Rostocker Dokumentenserver
Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.
Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de


Johann Heinrich Boeckler

Illustris Viri, Johan. Henrici Boecleri ... Historia Universalis, Quatuor Primorum a Nato Christo Seculorum, Chronologiam, Res Romanas, Externas, Ecclesiasticas, & Literarias, sistens ...

Rostochii: Wepplingius, [1695]

http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn746330790

Druck Freier Zugang PUBLIC DOMAIN



Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn746330790/phys_0001
DFG

Rb - 1992

Gebunden bei
R. Fuchs
Hof- u. Universitäts-
Buchbinder

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn746330790/phys_0002
DFG

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn746330790/phys_0003
DFG

ILLUSTRIS VIRI,

JOHAN. HENRICI BŒCLERI,

S. CÆSAREÆ MAJESTATIS ELECTORISq; MOGUNTINI CONSILIARII, PALATII AULÆq; CÆSAREÆ COMITIS, ET IN UNIVERSITATE ARGENTORATENSI PROFESSORIS HISTORIARUM ORDINARII,

HISTORIA UNIVERSALIS,

QVATUOR PRIMORUM â NATO CHRISTO SECULORUM; CHRONOLOGIAM, RES ROMANAS, EXTERNAS, ECCLESIASTICAS, & LITERARIAS, sistens,

QVAM, PROUT A. M. DC. LIX. IN LECTIONIBUS PRIVATIS, TAM EX LIBELLO MEMORIALI, QVAM DISCURSU B. AUCTORIS, AB AUDITORIBUS EXCEPTA FUIT;

PRÆMISSA

JOHANNIS FECHTII, D.

PRÆFATIONE ISAGOGICA,

INDULTU SUPERIORUM,

COLLATIS INTER SE MSC. EXEMPLARIBUS, INDICIBUS, VITÆ & SCRIPTORUM BOECLERI HISTORIA; MUTUISq; PAULI SARPII, VENETI, & JSAACI CASAUBONI, EPISTOLIS ADJECTIS,

EDIDIT, AC DISPUTATIONIBUS XII. PUBLICIS, LECTIONIBUSQVE PRIVATIS, IN UNIVERSITATE ROSTOCHIENSI

ILLUSTRAVIT

JOHANNES Gottlieb MÖLLERUS,

GEDANENSIS.

ROSTOCHII, TYPIS & IMPENSIS JOH. WEPPLINGII, UNIV. TYPOGR.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn746330790/phys_0005
DFG

Ex
Bibliotheca
Academiae
Rostochiensis

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn746330790/phys_0006
DFG

BENEVOLO CORDATOQVE
HUJUS OPUSCULI
LECTORI
SALUTEM P. P.

JOANNES FECHTIUS, D.

QVum studiorum causa in Academiâ Argentoratensi ab anno præsentis seculi LV. ad annum usq; LXII. per integrum prope septennium versarer, bonarum literarum qvarumlibet, Latinæ præcipuè lingvæ, sine qvâ nec intelligere solidè eruditos, nec loqvi cum iisdem ipse possem, haud perfunctoriam notitiam ante cætera omnia comparandam mihi esse statim intellexi. Itaq; publicas primum lectiones, qvas in optimos Latinitatis auctores instituerat, mox & privatas scholas consectari cœpi JO. HENRICI BOECLERI, qvem jam antea audiveram, in elegantiori qvacunq; literaturâ veluti ducem qvendam inter gregarios milites eminere. Cumq; Sallustium primùm, deinceps Romanæ historiæ principem, T. Livium, in freqventissimo auditorio enarranti sedulus auscultassem, cavissemq; summâ religione, ne meâ culpâ vel unam lectionem negligerem, & iis me paulò post adjunxi, qvi ad interiorem viri disciplinam admissi, Historiæ cumprimis & antiqvitatis, sacræ, civilis, literariæ, arcana ab ipso haurire recondereq; in futuros usus solebant. Qvare postqvam privatas viri commentationes, qvibus primò Virgilium, Romanæ gentis originem & incunabula pandentem, deinceps Florum, primorum Imperatorum historiam in compendio recensentem, illustravit, scientiam item civilem, qvæ postea sub schemate Institutionum Politicarum in publicum prodiit, ad perpetuos veterum fontes redactam, audivissem, ut familiarius me magno doctori, qvem jam ceu qvoddam o-

mnis eruditionis oraculum æstimaveram, insinuarem, eo Præside & elaborare ausus sum & proponere disputandi argumentum, ex historico studio excerptum. Id fuerat de AMPHICTYONUM in Græciâ CONCILIO. Hic verò laudanda mihi optimi Præceptoris sinceritas est, qvi primum meum conatum, utpote ex meo ingenio profectum & immaturum, planè rejecit, cumq; qvid ad tanti argumenti tractationem ex antiqvis Græciæ scriptoribus & recentioribus doctorum virorum monumentis ante omnia mihi non legendum tantum, sed qvasi devorandum esset, indicasset, ad iteratum novumqve me laborem invitavit, qvi hunc etiam mihi attulit fructum, ut versando diu noctuq; Grajorum scripta, eam mihi Græcæ lingvæ comparaverim notitiam, ut non dubitassem, cum qvovis in isthoc idiomate in colloqvium descendere & certamen. Cum itaqve tertium exhibuissem, desiderari adhuc à se qvædam vel in scribendi ordine vel in judicio, super rebus ipsis lato, nullâ tamen manus suæ notâ unqvam adpositâ, paucis verbis significavit, præfatus, haut molestum videri mihi debere eum laborem, qvi ad eruditionis meæ faceret profectum. Ex qvo toties, meo tamen Marte, mutato exercitio libentissime gratoq; animo profiteor plus ad me utilitatis dimanasse, qvam ex plerisqve cæteris, qvæ vix lecta doctoribus placuerunt, qvantumvis accuratâ limâ, sedulâq; correctione indiguissent. Id certè hac disputatione consecutus sum, ut exempli eam loco postea Introductione Generali in Notitiam Rerumpublicarum orbis universi, Cap. III. §. XIX. p. 26. adduxerit *Jo. Andreas Bosius*, qvo & ipso postea doctore Jenæ usus sum. Eam verò à tantæ doctrinæ viro tantæq; per orbem famæ saltem nominari, in majoris laudis parte pono, qvam ab aliis operosè laudari. Paulò post suo me motu in consortium conferendi Codicem MS. Polybii Augustanum, qvem ex indulgentiâ Procerum Reip.

semes

semestri spatio utendum acceperat, cum libris ejusdem Polybii impressis, Casauboniano imprimis, qvem ego prælegeram, pertraxit BOECLERUS; unde enatæ ipsi sunt *Lectiones Polybianæ MSC. Codicis Augustani*, dicatæ Johanni Capellano, Galliarum & Navarræ Regis Consiliario; qvamqvam illæ integro post decennio demum adspexerint lucem. Secutæ sunt postremo, anno nempe LIX. illæ ipsæ, ad qvas hanc præfationem adornamus, Scholæ, qvibus universalem qvatuor primorum à nato Christo seculorum historiam pulcerrimo ordine proposuit. Videres inusitatam qvandam ad has confluere freqventiam, qvam cum privatæ ædes haud caperent, ad publicum auditorium, horis tamen extra ordinem electis, invitavit. Tenebat universos igneus qvidam ardor & honestissima æmulatio, ut nunqvam minueretur vel audientium vel excipientium numerus & æqvali tenore liberalis hujus cœtus industria & principium acroaseon teneret & medium, nec remissiori contentione decurreret ad finem. Qvippe utilitatem statim sentiebant omnes, qvam & argumenti nobilitas, in universæ eruditionis, Theologicæ, Politicæ, Medicæ, Literariæ genus diffusa, & tractandi ordo, naturali qvasi elegantiâ & jucunditate intellectum afficiens, & materiæ, in compendio licet pertractatæ perfectio, singulas argumentorum partes ad genuinos veriſſimosq; antiqvitatis fontes revocans, & judicium doctoris, partim rebus ipsis, partim rerum scriptoribus, ἀναβάσεις solideq; interpositum, ipsorum animis ingerebant. Attraxerat ad has viri lectiones eos præcipuè, qvi sanctiori disciplinæ, qvam Theologiam vocamus, operam suam addixerant, fixa in omnium animis de BOECLERIANA pietate opinio. Non enim ille, qvod de cœtero multi Politicorum, eorum inprimis, qvi universalem qvandam eruditionem mente complexi sunt, παντεπιστήμονες ideò veteribus dicti, facere consveverunt, imò gloriolæ qvoddam

dam in eo qværunt aucupium, incessere Theologos vel aculeis vel dicteriis, vel ipsa etiam religionis sacra nauci habere, contemnere, irridere, & Ecclesiæ sententias novitatis studio convellere, suasq; obtrudere pro oraculis, sed in his qvidem ad puriores semper Theologos, qvorum ipsi in censu ante cæteros *Johannes Gerhardus & Joannes Hülsemannus* fuerunt, ablegare, in instruendis verò politicâ prudentiâ animis serium semper erga Divinum Numen affectum, innocuum infucatæ pietatis sensum, Divinæ providentiæ agnoscendam in cunctis hominum actionibus eventibusq; dispositionem, deniq; conscientiæ ad immutabilem DEI legem dirigendæ summam puritatem commendare enixo studio solebat. Id ego testor, qvi per integrum qvinqvennium viro indivulso obseqvio adhæsi, nec nisi jam maturis qvodammodo Theologiæ studiis abstrahi ab illo potui. Id in eodem observarunt, qvotqvot Divinos ingenii fœtus curatiore oculo lustrarunt. Id in scriptis suis ubiq; loqvitur ipse, imò clamat. Qvam enim Politico, verè Christiano, dignum est, qvod Lipsianam Politicam cæteris civilis prudentiæ institutionibus omnibus ideò præhabendam esse memorabili dissertatione commonstravit, qvod cæterorum pauci adverterint, *perfectionem civilis prudentiæ atqve fundamenta absqve veræ religionis, Christianæq; pietatis auspicio obtineri nunqvam posse*! Lipsius verò, qvantumvis ipse in religione varius, pietatem tamen in sensu & cultu Politices studioso, tatum item & conscientiam commendaverit, qvæ victuro robore civilem actum sustinerent, qvorum respectu ac veneratione pietas hic sit pietas, id est, in civilem vitam valeat, transferaturq.! Qvo dicto exclamat: *ô qvantum nervorum, qvantum vigoris haberet civilis administratio, si reverentiæ fati, si studio conscientiæ constanter & bonâ fide, qvod hic voluit Lipsius, inniteretur?* Qvi in eadem dissertatione monet: *pernicioſum in publicum erro-*

rem

rem existimandum esse, si accurata S. Literarum meditatio & Theologicarum commentationum cognitio solis relinqvatur Theologis. Qvorum ore, ait, *subinde solent loqvi eximii publicarum utilitatum tractatores, ut rectius loqvantur.* Qvanta hæc in viro Politico, de sacris loqvente, circumspectio est & cautela? Qvine pietatis negotium in qvalicunq; tantum Divini Numinis cultu, qvalem & è naturæ lumine gentiles qvondam hauserunt, consistere putaretur, incomparabilem *Ambrosii* de officiis libellum eâdem orationis majestate commendavit, ut animum viri Politici ad Divinorum mysteriorum & Christianarum virtutum, qvæ in DEI verbo revelatæ sunt, sublimitatem, atq; ad Divinæ providentiæ, qvalis in immaculato sacrorum libro describitur, venerationem eveheret. De qvo in Epistolâ de Ratione studiorum civilium ad Amicum: *Opus aureum est, ipsosq; fontes practicæ vitæ sapientiæq; recludit, sed judicio opus est & diligentia, ut penetres.* Qvam epistolam hac verè Christianâ, verè Divinâ paræneſi concludit: *qvod superest, Theologiæ gravioris studium inter veræ Politicæ gradus memorandum est, nam hinc vera animi magnitudo, virtutis Politicæ apex, conciliatur, actusq; humani gravitas felicius expenditur.* Hanc BOECLERIANI animi pietatem vexerunt in cœlum, qvotqvot eodem imbuti affectu ad res grandes, in Rep. gerendas, postea accesserunt, qvos inter nominare nunc liceat *Ulricum Obrechtum & Joannem Georgium Kulpisium*, illustres hodiè & literarum gloriâ & consiliorum eminentiâ viros, qvorum ille Schediasmate in somnium Scipionis, hic Epistolâ de studiis Academicis Juvenis Nobilis rectè instituendis, & eadem incedunt viâ & instituti sui ducem, BOECLERUM, unicè dilaudant. BOECLERO verò hanc Christianæ mentis bonitatem & nascendi conditio conciliavit, cum à parente, animarum pastore, sit ortus, & educationis felicitas. Nam in Epistolâ ad summum virum, *Joannem Christophorum Wagenseilium*, qvæ

est XXII. inter illas à *Christophoro Arnoldo*, de Fl. Josephi testimonio, Servatori nostro tributo, collectas, non diffitetur, *S. Literarum se studio inde à pueris flagrâsse, & quæ ex Hebræis fontibus, aliisq; linguis Orientalibus peti vel possint vel debeant subsidia, non ignorasse.* Comprobavit hoc, jam Professioni Academicæ admotus, qvinq; illis pulcerrimis disputationibus, qvibus Fl. Josephi Antiqvitatum Judaicarum nonnulla, circa τὸ ἑξαήμερον, circa Adami formationem ex limo terræ, circa animalium denominationem ab Adamo factam, circa Evæ ex costâ Adami productionem, circa Paradisum, circa lapsum protoplastorum, circa Patriarcharum historiam, cum qvinqve prioribus Geneseos capitibus composuit, disqvirens: *in qvibus mentem S. Codicis assecutus sit hic scriptor & in qvibus vel non exhauserit Divinorum librorum sensum, vel ad sequiores interpretationes deflexerit?* Ubi cum & Chaldæi simul Paraphrastæ & celebriorum è Judæis Rabbinorum & veterum pariter recentiumq; Scripturæ interpretum circa argumenta in medium proposita meditationes solido judicio examinaverit, commentariolum qvendam in descripta à Mose nascentis mundi primordia compoluisse meritò censendus est. Non minoris doctrinæ Theologicæ specimen præbet φιλολογία in Psalmum LXII. instituta, quæ & ipsa Dissertationum Academicarum fasce continetur & ex interiore sacri textus oeconomia, cum clarissimorum Ecclesiæ doctorum commentationibus collatâ, Divini carminis sensum venatur. Ut verò Hebraicæ linguæ, veterisqve Testamenti sublimiori notitiâ inclaruisse BOECLERUM ostendimus: ita non minorem ei gloriam ex Græcâ linguâ, noviqve Testamenti cultu asserendam esse, planè dubitari nequit. Nam & anno jam hujus seculi XLII. Dissertationem edidit de Linguâ N. T. originali, qvam ante paucos annos ceu *illustre viri in re literariâ consummatissimi monumentum, in gratam illius memoriam, usum &*

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn746330790/phys_0012
DFG

usumque studiosæ juventutis incomparabilem, denuò exscribi typis jungiqve Tractatui suo de Stylo N. T. celeberrimus Lipsiensium Theologus, *Joannes Olearius*, curavit. Novum verò Testamentum ipsum nitidissimo charactere Argentorati aliqvoties recusum, evulgavit, collatum cum optimis, quæ unqvam prodierunt, exemplaribus & MSC. membranis, adjecitqve simul prologum libro Pauli Apostoli in XIV. Epistolas ordinato præfixum & ex *Stephani Gerlachii* Theologi, qvi eundem Constantinopoli attulerat, hæreditate, primò ad *Matthiam Berneggerum*, deinde ad se devolutum, qvi exceptâ qvadam ejus particulâ ante lucem nunqvam conspexerat. Tanta BOECLERI decora Theologiæ cultores commovere facile poterant, ut ipsi non minus ac civilis prudentiæ & juris studiosi ad hunc variæ sapientiæ fontem accurrerent, extingverentqve sitim. Præsertim cum qvid ab hoc literatorum principe ut in universali historiâ ita & in eâ, qvæ res in Ecclesiâ gestas recenset & dijudicat, expectari qveat, in omnium luce positum esset. Qvippe triennio ante de Rebus seculi â Christo nâto IX. & X per seriem Germanicorum Cæsarum Commentarium ediderat, geminum huic ipsi, qvam hac præfatione describimus, seculorum â nato Christo quatuor tractationi; nisi qvod res extra Romanum Imperium gestas, Literarias item, scriptoresque & memorabilia cætera, non seculorum, sed Imperatorum ordini subjecit. In quo libro memorabilis omninò narratio est de Anastasio, a Moguntinensibus, eâ parte, qvâ Johannis IIX. quem mulierem fuisse Platina & alii asserunt, historia continebatur, turpi fraude contra MSCti auctoritatem in plerisque exemplaribus castrato. Qvæ profectò, ut ego qvidem arbitror, id effecit, ut cum antea maximi qviqve etiam è nostris & Reformatorum partibus viri, speciosò illo argumento, qvod à scriptoris coævi silentio deduce-

ducebatur, commoti, de historiæ veritate dubitarent, postea non facile qvisqvam refragari tam apertæ rei certitudini auderet. Qvamqvam, qvod ex *Freheri* narratione retulerat *Bæclero Salmasius*, id de MSC. Anastasij exemplaribus aliis ultrò confiteatur *Joannes Launojus*, magni nominis inter Pontificios Theologus; de qva re *Joh. Chr. Wagenseilius*, qvo nemo vel de literis omnibus, vel de bonis qvibuscunq;, vel de me ipso excellentius meritus est, curiosè agit, Exercitatione de Rom. Pontificibus, ex Germanorum gente creatis. Sed & universum illud opus, qvod sub nomine Compendij Historiæ Ecclesiasticæ, decreto Sereniſſimi Principis, ERNESTI, Saxoniæ Ducis, ab orbe condito ad nostra usq; tempora deducti, in publicum prodijt, planè tersum & accuratum, primum habet BOECLERUM auctorem, qvi & consilio operâq; suâ, imò ductu, *Vito Ludovico Seckendorfio*, immortali Eqviti, qvi Veteris Testamenti, *Joanni* item *Christophoro Artopæo*, Argentoratensis hodieq; Academiæ illustri ornamento, qvi novi historiam condidit, ubiq; adstitit, qvod & relatum sibi esse in Propylæo testatur *Severinus Waltherus Slüterus*. In cæteris verò Historiæ partibus, si qvibus victuris ad æternitatem Divini ingenij monumentis nomen suum vel illo ipso tempore vel postea nobilitaverit, enumerare instituerem, dies me potius deficeret, qvam materia. Fecit id in diligentissimo memoriarum opere amicissimus mihi *Wittenius*, deq; publico eo præcipuè facto præclarè meritus est. Qvæ verò oculos ipsius effugerunt, ad meam autem pevenerunt notitiam, ea adjiçere Witteniano Catalogo non gravabor. Sunt autem ista.

Vindiciæ Anti Blondellianæ. Et *Vindiciæ Vindicatæ.*

Excerpta controversiarum illustrium. Argentorati. 1680.

De Rebus seculi post Christum natum decimi sexti Liber Memorialis cum Commentario, Argent. 1685.

Historia universalis à mundo condito usq; ad Christi nativitatem, cui

tem, cui præmittitur Historia Principum schola. Argent. 1680. Continentur tamen libello tantum tres priores mundi ætates, ab exordio mundi ad regnum usqve Davidis, promittunturque cæteræ, sed fides liberata hactenus non est.

Rudimenta officiorum, extemporali specimine doctrinæ de officio prudentiæ & justitiæ breviter delineata. Item *Parallela Philosophica Græco-Latina in Officia Ciceronis.* Argent. 1680. Subjuncta sunt hæc opuscula Ciceronis libro de Finibus, aliisque similis argumenti, ab *Ulr. Obrechto* editis.

Historia Belli Svecо-Dani, opus posthumum, ex auctoris autographo.

Epistola ad Amicū, unâ cum adjuncto Diplomate Regio. Argent. 1660.

Ulrichi Veleni Libellus: Petrum Romam non venisse; Argentorati à Bœclero cum Præfatiunculâ, suppresso tamen editoris nomine, editus est, A. 1660.

Vita Friderici Imperat. ab Æneа Sylvio descripta; qvam Bœclerus ex MSCto optimæ notæ edidit, commentarioqve luculento instruere cœpit, sed laboribus primum aliis, ac ipsâ tandem morte impeditus, eandem absolvere non potuit. Qvæ fata fuerint hujus libri, & qvalibus supplementis in publicum comparuerit, Præfatio operis, à *Jo. Georg. Kulpisio* adornata, luculenter docere potest. Videatur & ejusdem *Kulpisii* Dissertatio de studio Juris Publici, p. 9.

Refertur qvoq; huc me judice haud immeritò libellus, ab Anonymo Germanopoli A. 1677. editus sub nomine: *Bibliographia Historico-Politico-Philologica Curiosa, qvid in qvovis scriptore laudem censuramve mereatur, exhibens.* Cui præmittitur *Dissertatio Epistolica posthuma de studio Politico benè instituendo;* subjicitur verò *Bibliotheca Politica contracta, h. e. recensus & judicia de Scriptoribus Politicis & ad Politicam pertinentibus, inprimis autem historicis.* Qvamqvam verò sola illa Dissertatio Epistolica Bœcleri nomen per ini-

tiales literas: J. H. B. præferat, cætera verò opuſcula de Bœclero, tanqvam de alio ſcriptore loqvantur, mihi tamen dubium nullum eſt, horum qvoq; eundem verum auctorem eſſe, qvantumvis occultare id editor voluerit. Arguit id & ſtylus Bœcleri extemporaneus, (nam qvæ prævia meditatione ſcripſit, terſius nitidiusq; incedunt:) & conſveta ipſi proponendi ratio & ſcriptorum elogia, ipſi familiaria. Sæpe meminit Bibliothecæ Svecicæ, cui qvondam præfectus fuerat, & codicum rariorum, qvos Regina ſibi comparaverat. Sæpe Argentoratenſium. Nec etiam qvisqvam præter ipſum tam idoneus erat, qvi tam vaſtæ, perq; omne doctrinarum artiumq; genus latè diffuſæ, eruditionis ſcriptum procudere poſſet. Verè enim admirandum eſt. Nonnunqvam eqvidem nec nomina ſcriptorum rectè expreſſa ſunt, nec in rebus ipſis auctoris ſenſum, qvi excepit, ſemper eſt aſſecutus, qvandoq; mendoſa comparet transpoſitio, aut aliqvid, qvod neceſſarium fuerat, omittitur, ſed hi defectus tanti non ſunt, qvin cæterorum inæſtimabili utilitate compenſentur. Nec enim qvicqvam ſimile in hoc Bibliographiæ genere, qvodq; majoris uſus eſſet, ullibi occurrit. Non poſſunt viri πολυμαθεῖς hoc libro carere. Et ne ex qvalibuscunqve nævis aliqva ad Bœclerum macula rediret, nomen viri non expreſſit editor, cui de cætero ob hoc benè de re literariâ merendi ſtudium, qvicqvid dicant, qvi aliter ſentiunt, multum debent univerſi.

Verus autor opuſculorum horum eſt Jo. Andr. Boſius. v. Fabricius in hiſt. bibliothecar. P. V. p. 228.

Tantæ in BOECLERO eruditionis apparatus totius in ipſum orbis oculos facile convertit. Nemo erat, qvin ipſũ tanqvam omnigenæ eruditionis theſaurum veneraretur. Admirabilis πολυΐστωρ, *Daniel Georgius Morhoſius*, ſolos illos duumviros, BOECLERUM & CONRINGIUM, noſtro tempore omnibus

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn746330790/phys_0016
DFG

bus doctrinæ præsidiis instructos esse judicavit, ut literariam condere Historiam, eamq; numeris omnibus absolutam, potuissent. *Jo. Andreas Bosius* unum BOECLERUM aptum esse censuit, qvi auctores observationibus politicis subtilioribus, solidis, nervosis, non illis umbraticis, lectionis tantum crisin sine ullo succo continentibus, posset exornare. *Solus*, inqvit, *hic vir doctissimus, judicii planè eximii, aut certè cum paucissimis, totam seriem textumq; historicum pro dignitate expendere ac evolvere solet. Hujus igitur opuscula tanqvam norma & exemplum hujus observationis semper ante oculos haberi debent.* Neq; qvisqvam unqvam mortalium fuit, qvi tanto lumini auderet obstruere & cum qvis fuisset, universi sapientum senatus consentiente judicio commeritas ad omnem æternitatem dedit pœnas. Id etiam causæ est, qvod cum diem BOECLERUS obiisset supremum, nunqvam defuerint sollicitæ de Literarum salute animæ, qvæ reliqvias ejus, auro contra habendas, conqvirere sategerunt &, si fieri ulla ratione posset, in publicam emittere lucem. Qvinimò jam anteqvam decederet, idem facere nonnulli circa ea, qvæ in privatis, ut vocant, Collegiis proposita auditores summo cum fructu exceperant, tentarunt. Compertum enim erat, qvæ extemporali diligentiâ scriberentur, faciliorem habere sensum ac proinde usum etiam lecta de sese diffundere majorem. Maximi qvilibet viri cum præviâ meditatione sensa sua illinunt chartæ, temperare sibi non possunt, qvin ingenio suo obseqventes, nervosis brevibusq; qvibus obscuritas non potest non obhærere, verbis ea complectantur. Inde fit, ut nisi ab iis, qvi pari ingenii subtilitate, rerumq; cognitarum copia sunt instructi, difficillimè intelligantur. At qvæ profundimus ex tempore, familiari qvotidianoq; sermone incedunt & intellectum adeò

de se generant promptiorem. Tu qvisqvis es, BOECLERIANAS dissertationes, cæteraqve, non sine studio scripta, lege, sponsione certare aussim, multo tempore, multâqve relectione opus esse, nisi & eruditissimus sis & exercitatissimus, ut intelligas. Qvæ verò pervia tibi erunt, nec indigebunt Oedipo, si versaveris extemporalia. Qvæ itaqve pluribus usui futura essent, ut in omnium notitiam per typum devenirent, qvibus res literaria curæ cordiqve erat, jure meritoqve optabant. Veruntamen BOECLERO, dum viveret, eripi libertas, sua in publicum edendi, non poterat, nec debebant alii inscio, invito, deprecante publicè auctore aliena rapere, formare & reformare & in lucem protrudere non sine multis depravationibus, ceu conqvestus ipse est præfatione, Notitiæ Romani Imperii præfixâ. Poterat enim auctor, qvoad usqve viveret, refingere sua, iisq; perfectius addere complementum. At qvæ imperfecta moriens reliqvit, talia tamen, quæ doctorum calculo nihilominus mereantur lucem, nec iisdem sine graviorum studiorum dispendio carere qveamus, ea credibile non est, BOECLERUM, inter cœlites agentem, livore ductum invidere literato orbi voluisse, qvibus ad emendationis, ultimæq; curæ diligentiam nihil amplius poterat accedere. Qvin publicum literarum commodum talium scriptorum in lucem productionem planè efflagitare, nec qvenqvam verè bonum intercedere posse, dummodo omni studio caveatur, ne qvid labis nomini BOECLERIANO affricetur, communi doctorum suffragio judicari prorsus sum persvasus. Fidem mihi facit ipsa BOECLERI cautela, qvâ, dum qvereretur de alienorum operum editoribus, usus fuit: *quæ cautio*, inqvit, *omnes sanè, quibus ullius juris sensus ususq; supereſt, deterrere poterat, ne alijs operibus se ingererent, auctorive viventi & videnti arbitrium suæ rei eriperent.* VIDENTI inqvit & VIVENTI, qvasi cum mors interveniens facultatem sibi sua expoliendi eripuerit, bonorum eruditorumq; judiciis, qvid eorum edi publicæ salutis interſit, relicturus esset. *Ulricus* verò *Obrechtus*, tanti viri ex ductâ filiâ, fœminâ planè incomparabili, gener & partæ gloriæ hæres, cujus cætera decora universa præ hoc utroq; umbratica sunt, neq; seculum ferunt, in eâ præfatione, qvam libello de Scriptoribus Græcis & Latinis præmisit, non diffitetur, postqvam reliqviæ BOECLERIANÆ desierint privati juris esse, qvippe qvæ per amicorum manus in plurium arbitrium sunt delata, editionem

nem illorum SUO QVODAM JURE à viris bonis & publici amantibus modestè flagitari posse. Qvare & ab *Obrechto* post BOECLERI mortem vel edita vel additamentis aucta esse videmus

Notitiam Rom. Imperii, 1681.
De Scriptoribus Græcis & Latinis Commentationem, 1674.
Institutiones Politicas & Libellum Memorialem Ethicum, A. 1674.
Notas & Animadversiones in Jus Publ. Dan. Ottonis: 1675.
De Rebus seculi XVI. 1685.
Historiam Belli Sveco-Dani, ubi impressionis annus non est signatus.
Historiam Universalem A condito mundo, 1680.
Rudimenta officiorum. 1680.
Excerpta controversiarum illustrium. 1680.

Sunt vero mihi in eruditorum passim manibus visa longè plura scripta BOECLERIANA, nec argumenti nobilitate, nec utilitate rerum pertractatarum illis inferiora. Quibus literato orbi communicandis operam citra dubium *Obrechtus* dedisset, nisi à literis, quibus à Deo & naturâ natus erat factusqve, abstractus ad Remp. gubernandam & forensia negotia abduci sese fuisset passus. Ita verò res literaria, qvæ usum de se longè ampliorem & ad omnem posteritatem manaturum diffundit, damnum passa est, non facile in alio reparandum. Poterat vices viri obire Frater Germanus, *Elias Obrechtus*, Academiæ Upsaliensis ocellus, non minore vel eruditione vel judicio instructus, si benigniora fata, ut Germaniæ nostræ redderetur, indulgere voluissent. *Joannes* enim *Bæclerus*, celeberrimus Archiater, mihiq; amicissimus, saluti vitæq; mortalium prorogandæ ita summo studio invigilat, ut nec ex pietatis sensu cuiqvam denegare, qvam implorat, opem, nec ex negotiorum, qvibus distinetur, multitudine animum ad qvæcunq; alia possit applicare. Credo etiam, nec in BOECLERIANORUM hæredum manibus omnia ea versari, qvæ ita concepta nataq; erant, ne privatas manus exirent, alibi certè felicius inveniri. Is nempe modus, ea ratio fuerat privatorum illorum congressuum, ut in libellum, nihil aliud qvam memorialem, referret BOECLERUS, de quibus dicturus erat, non ut exemplum eorum extaret, qvæ tractata sunt, sed ut index rerum, qvæ in argumentum colloquii venerant, capita generatim memoriæ subjiceret. Nec negari tn. debet, sæpe in scheda istâ, dicendorum summam complectente, cujus auditores libenter faciebat participes, & judicia gravissima subjuncta & auctores optimos ubiq; esse nominatos. Ipsum autem

discursum, de materiis àse consignatis habitum excepere auditores; de qvo rectè judicat Dissertatione de studio Juris publici ὁ πάνυ Kulpisius: *nihil ferè ipsarum explicationum ad calamum dictatse BOECLERUM ipsum novimus: quare etiam diversum genium præferunt istæ, pro diverso animorum, ut fieri solet, excipientium captu. Nonnulla exempla, qualia me vidisse scio, ita quoque sunt comparata, ut â vero auctoris sensu, de quo aliunde mihi constat, penitus abhorreant.* Priores itaque illos privatarum Scholarum indices memoriales inter schedas BOECLERIANAS adhuc hodie delitescere, forte dubium non est, discursus verò excepti, alibi potius, qvam in viri scriniis, qværendi erunt & advocandi. Fuerunt, qui arbitrarentur, libellos tantum memoriales, recisis discursibus, incertis, sæpe falsis, & BOECLERIANO nomini parum honorificis, evulgari debere. A qvorum sententiâ ego qvidem toto absum cœlo. Nam qvid est, quod instituto isto tuo lucraberis? Cum ipse clarissimus auctor præfatione ad Notitiam Imperii libellos illos neget aliis inservire posse, qvam qui congressibus illis, qvos super rebus illic contentis instituerat, olim ipsi interfuerint, profiteaturqve rem ipsam loqvi, de gravissimis qvibusvis quæstionibus non qvid actum sit, sed an actum sit, ostensum esse. Et qvamvis BOECLERIANÆ modestiæ meritò hoc effatum tribuat Kulpisius, cum & sola diffusæ materiæ per amplissimos locos, facta secundum ipsam rerum indolem collectio, ipsorumqve fontium ex scriptoribus propriis aut monumentis non ubiq; obviis commonstratio, nihil vulgare, sed qvod eximium omne est ac illustre sapiant, id tamen in tantum verum esse negari neqvit, qvâ de rebus consignatis plurimæ nihilominus intra solam qvæstionem consistunt. Qui verò in existimationis periculum BOECLERIANUM adducere nomen excepti ex ore doctoris Discursus poterunt, cum qvicqvid in iis bonum, qvicqvid solidum, qvicqvid BOECLERIANÆ indoli & eruditioni conveniens est, BOECLERUM profiteatur auctorem, disertâ verò protestatione ab eodem removeat, transcribatqve excipienti, qvicqvid vel infirmitatem arguit, vel nævum, vel errorem? Qvi si qvandoque scribentis incuriâ in discursum irrepat, non tamen cætera, qvæ in eo pretiosa sunt, aut inutilia reddet, aut luce indigna. Nunqvam enim deerunt, qvi ab adfluente qvalicunqve sordities nativam puramqve aqvam scient distinguere. Invehamur certè in eos, qvi sine judicio, sine sale, qvæcunque BOECLERUS ad privatæ institutionis disciplinam adornavit

atqve

atq; intra conatum primarum ac rudiorum linearum coercuit, ea illi tanqvam absoluta omnibus numeris opera attribuunt: non ideò laude sua defraudandi sunt, qvi & exotericis viri & popularibus conservandis operam impendunt, qvæ etsi sensuum abditorum profunditate, concisæq; gravitate dictionis acroamatica ejus non æqvant, facilitate tamen planioris doctrinæ & usu expeditiori citra dubium transcendunt. In judicando qvoq; liberalior hic fuit; qvæ res qvantum luminis vel ad eligendos, qvi in qvalibet materiâ nominantur, auctores, vel ad intelligendas discernendasqve res ipsas, præbeat, norunt, qvotqvot in cognoscendis argumentis, difficultate qvadam obseptis, versantur. Nec tamen ita ori suo frenum laxavit, ut cujusqvam læderet famam, non durius qvidqvam in qvemqvam dicere ausus, nisi ob notoriam vel impietatem vel stultitiam totius in se mundi justissimam iram provocasset. Qvamobrem cum ab uno sperari neqveat, ut BOCLERIANÆ dispersæ per orbem reliqviæ protrahantur in lucem, rogandi sunt singulatim, qvi de cimeliis istis qvidpiam in potestate suâ habent, ne id latere amplius patiantur, sed liberaliter, nec tamen nisi per viros doctos rerumque satis gnaros, ne ab imperitis BOECLERIANO nomini labis qvidpiam hæreat, orbi communicent erudito. Atqve jam ejus mihi rei in pulcerrimo argumento spem fecit amantissimus Collega meus, idemque celeberrimus in hac Ac. Juris Anteceſſor, *Joannes Sibrandus*, BOECLERIANÆ qvondam disciplinæ sectator accerrimus, sedulusqve tanti nominis hodieqve cultor. Ego verò, qvi has, qvas nunc exhibemus, in primorum seculorum historiam Scholas, earum qvondam auditor, instigantibus me ad id optimis doctissimisque viris, jamdiu in lucem parturivi, occasionem tamen implendi desiderii mei non sum nactus, nisi postqvam ad hanc primum Academiam accessisset, mox etiam in Professorum numerum, ob singulares animi virtutes, receptus esset *Johannes Gottlieb Mollerus*, qvi cum à summo viro, *Christiano Kortholto*, nuper qvidem cum bonorum omnium gemitu fatis functo, sed rerum in Ecclesiâ gestarum gloriâ immortali, mihi commendatus familiariter mecum vivere cœpisset, factâ harum Scholarum, qvæ & à se possiderentur, mentione, promptum volentemqve animum in earum editionem illico ostendit. Est in hoc viro planè inusitata rem omnem literariam juvandi, etiam cum propriarum facul-

facultatum dispendio, cupido, laborandi industria omninò ferrea, inqve proposito suo tenax qvædam & contra omnia impedimenta nitens constantia. Qvi cum de Academiâ nostrâ, ex qvo hanc in se provinciam suscepit, variis id genus exercitiis præclarissimè meritus esset, hunc qvoq; libellum non typis tantum imprimi curavit, sed ut duplici ejus uteremur fructu, colloqviis qvoq; commilitonū, honesta inter sese æmulatione accensorum, exceptis tamen rebus Ecclesiasticis, qvæ ex more hujus Academiæ Theologici fori sunt, subjecit. Cæterū in edendo eam adhibuit curam, ut major magisq; anxia nec reqviri qvidem potuerit. Quotquot nanciscì poterat, MS Cexempla, cum suo contulit, loca veterū adducta (qvo in genere BOECLERIANA planè incomparabilia sunt, in qvolibet argumento ad ipsos historiarum fontes deducentia:) sollicitè investigavit, ne qvid mendosum aut BOECLERIANO nomine indignum irreperet, summo studio providit. Quæ in manuscripto exemplari uncinis inclusa deprehendit, alio fecit charactere exprimi, ut differentia inter libellum memorialem & discursum, ab auditore exceptum, eò evidentius oculis illaberetur: Si verò in cæteris etiam sint, qvæ BOECLERIANAM ἀκρίβειαν haud referant, ea, qvocunque sint typo descripta, BOECLERO attribui nolumus, sed scriptori. De quibusdam circa sacra sententiis, nihil est ut dicamus. Si qvidqvam in his foret, qvod delicatiorum qvorundam aures ferre non possent, ii ne reqvirant à nobis pudendam, qvà Pontificii à longo tempore inclaruerunt, artem, bonos auctores, ob vel perperam vel impie dicta castrandi, sed meminerint, non Theologi nos edere scriptum, sed Philologi, Politici, Historici, qui tamen complurimis Theologis, etiam celebritate nominis inclytis, in Historiæ Ecclesiasticæ diffusâ accuratâqve notitiâ palmam longè præripuit. Nihil tamen ab eo invenio dictum, qvin & assertum id à maximi nominis Theologis, qvi Academiam Argentoratensem lumine suo illustrarunt, fuerit. Cumqve planè confidam, bonis omnibus & solidæ literaturæ amantibus, qvod hoc BOECLERIANUM ὑπογραμμάτιον in lucem promovi, me rem gratam & acceptam feciſſe, meoqve exemplo alios ad similes accendisse conatus, nihil addo aliud, nisi ut, Benevole Lector, MOLLERO nostro pro exantlatis laboribus benè preceris, eiqve ad plura id genus bono publico evulganda calcar addas. Scr. in museo, Rostochii, d. XX. Martii, A. O. R. MDCXCV.

Edi-

LECTORI INGENUO,

S. P. P.

M. JOHANNES Gottlieb MÖLLERUS,

GEDANENSIS,

GR. L. IN UNIV. ROSTOCH. PROF. ORD. & FCTis ſuæ h.t. DECANUS.

QVantumvis Orthodoxa, qvæ à Lutheri ſe Miniſterio Lutheranam dici patitur, Eccleſia, toto abhorreat animo, â profano illo reliqviarum cultu, qvem Vasqvezius (a), *unus ille inſtar Doctorum omnium* (b), delineavit, ſcribens: *Apud Catholicos veritas indubitanda eſt, reliqviæ Sanctorum, ſive fuerint partes ipſorum, ut oſſa, carnes, & cineres, ſive res aliæ, qvæ ipſos tetigerunt, vel ad ipſos pertineant, adorandas & in hoc honore ſacro habendas eſſe*; Tantum tamen abeſt, ut, qvemadmodum cavillatur Baronius (c), cum Vigilantio, (ſi modo fides hic habenda Hieronymo, (d), *reliqvias Martyrum calcandas eſſe, ingq; ſterqvilinium projiciendas* ſtatuat, ut debitum potius honorem viris illuſtribus, etiam poſt fata decernat. Expreſſit, ut alias, ſic in præſenti qvoqve negotio accurate ſatis doctrinam Lutheranorum, illuſtris ille Lutheranus ante Lutherum Doctor, Auguſtinus (e), *Si*, inqviens, *paterna veſtis & annulus, ac ſi qvid hujusmodi, tanto charius eſt poſteris, qvanto erga Parentes major affectus; nullo modo ipſa ſpernenda ſunt corpora, qvæ utiq; multo familiarius atq; conjunctius, qvam qvælibet indumenta, geſtamus. Hæc enim non ad ornamentum vel adjutorium qvod adhibetur extrinſecus, ſed ad ipſam naturam hominis pertinent.* Solet nimirum humani is affectus eſſe animi, ut qvoscunqve vivos præ aliis amplexi fuimus, eorum, ubi fatis etiam functi ſunt, utut minima, noſtro amplectamur favore. Vel fictilis Epicteti lucerna, tribus

(a) *In III. Thomæ* Qv. XXV. Diſp. 112. c. 2. (b) ſic dicitur Dianæ *Reſol. Moral.* P. 1. Tr. III. *Reſol.* 3. (c) ad Annum 15. n. 10. (d) in opere anti-Vigilantiano, (e) L. 1. De *Civit. Dei* C. 13.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn746330790/phys_0023
DFG

drachmarum millibus venit, qvia Possessore gavisa fuit Epicteto! Ecqvis ergò omni adeò careat humanitate, ut Sanctiores illustrium virorum reliqvias contemnat! Nec vitio hactenus qvisqvàm vertit Hieronymo, qvod exæstuanti in Pamphilum Martyrem amore glorietur (f): *In duodecim Prophetas viginti qvinqve ἐξηγήσεων Originis volumina manu ejus* (Pamphili) *exarata reperi, qvæ tanto amplector & servo gaudio, ut Cræsi opes habere me credam. Si etenim lætitia est, unam epistolam habere martyris, qvanto magis tot millia versuum, per qvæ mihi videtur sui sanguinis signasse vestigia.* Et sanè ubi corporibus honor sepulturæ debitus mansit, *ut homo, qvi primum è terræ sinu divino opificio formatus est, qvi terreno pabulo victitat, qvi terram calcat, atq; inhabitat, ubi demum mori contingit, ipsius terræ visceribus, nativi ejusdem ac pretiosi instar depositi commendetur*; (Verè non minus qvam eleganter ipso profitente Aringho (g);) vix aliæ supererunt reliqviæ, majori habendæ pretio, qvam, qvæ doctrinæ ac laboribus summorum debentur virorum, qvæq;, non uti corpora, tegumentum sibi à terra, qvam communē profitentur matrem, postulant, sed in publicum prodire amant. Probantur hinc non immeritò communi ab ingenuis omnibus applausu, qvotqvot summorũ monumenta ingeniorum non tàm in scriniis delitescere, qvàm lucē adire jubent. Qvamvis enim cavendũ omnino veniat, ne, sub splendido demortuorum nomine, & ea simul, qvæ splendorē, per opera, vivis adhuc suis auctoribus emissa, refulgentem, ullo obfuscent modo, edantur, qvicqvid tamen subesse videtur periculi, declinabitur omne, qvando de auctoris primum, cujus (ut sic loqvar) publicari debent reliqviæ, suffragio, si non expressè omnino, tacitè minimum certiores sunt editores, ac dignam tum & opere & scriptoris fama industriam adhibent, indubitatò persvasi, qvantus qvantus etiam

(f) Catalogo Scriptorum Eccles. (g) Romæ subterran. L. I. C. II. 12.

etiam impensus labor fuerit, nondum tamen in eo, qvo ab Auctore vivo potuisset, opus sisti vigore, nec ideô auctoritate, qvâ polluisset, si viva scriptoris fingendo refingendoq; manus accessisset, conspicuum fore. Non est L. B. ut discursus Tibi hujus ratio prolixè pandatur, cum vel ex solo, operis, qvod tecum nunc communicamus, intuitu, luculenter eadem pateſcat. Sistitur *UNIVERSALIS Qvatuor primorum à N. C. seculorum HISTORIA*, qvæ magnum, nec præter ignarissimos fugiens BOECLERI nomen gestat. Multa sunt Viri & infinita prorsus in rem literariam merita, de qvibus, qvot manibus Eruditorum teruntur scripta, tot publica simul testimonia prostabunt. Neq; in iis tamen orbis acqvievit eruditus, sed posteaqvam ereptum terris doluit sumum Polyhistora, qvicqvid ejus corradere potuit reliqviarum, anxiè conqvisivit, ac luci publicæ temporis successu exposuit; nondum tamen, ut voluit, obtinere vota valuit, plurimis adhuc ingenii pulcherrimi monumentis, qvæ publico servire possent usui, in scrinijs partim delitescentibus, partim cum tineis blattisqve misere concertantibus. Hæc inter numerata etiam, nisi me fallunt omnia, fuit hactenus, ipsa UNIVERSALIS, qvæ luce nunc publica primum donatur, HISTORIA, *Qvatuor primorum à N. C. Seculorum* memorabilia, in qvinq; *Sectionibus*, qvarum *Prima CHRONOLOGIAM*, *Secunda ROMANA*, *Tertia EXTERNA*, *Qvarta ECCLESIASTICA*, *Qvinta HISTORICO-LITERARIA* sistit, recensens. Communicavit eam Auctor celeberrimus lectissimæ Auditorum (è qvibus hodie plurimos, ut Atlantes suos literaria veneratur Respublica) coronæ, in Prælectionibus privatis *Anno MDCLIX.* (h); & qvamvis, ut passim videre est (i), ad Secula etiam subseqventia deducere filum Historiæ intenderit

(h) Sic intelligendus est Bœclerus S. I. S. 1. §. I. p. 1. lin. 32. (i) vid. Sec. IV. Sect. II. §. 12. p. 158. & Seculi ejusd. Sect. III. §. 3. p. 156.

non tamen, ob impedimenta sine dubio, qvorum tamen nos latet cognitio, *qvartum* ultra *Seculum* continuavit. Delatum est felici qvodam fato, cum literis operam Kiloniinavarem, aliqvod Lectionum laudatarum ad me exemplar, juxta tenorem ejus, qvod Venerandus Ulmensium Præsul (qvi Auditorum tunc illustravit numerum) D. D. VEIELIUS, ipse consignavit, descriptum, qvæcunq; libellus servavit memorialis Bœclerianus, ab his, qvæ ex discursu notarunt audientes, sollicitè distincta exhibens. Communicavi id protinus magno, qvi Bœclero vix majorem Germanos habuisse Polyhistorem judicabat, MORHOFIO; is tanti æstimavit scriptum, ut abitum maturanti, non nisi ægrè, publicationemq; promittenti, restitueret. Commendavit idem propositum Incomparabilis KORTHOLTUS; Confirmavit tandem animum, nec consilia modo, verum & auxilia suppeditavit promptissima, noster, qvem in Palladium Ecclesiæ & solatium Academiæ, sospitem DEUS servet, FECHTIUS; promoverunt institutum celeberrimi FACULTATUM OMNIUM in UNIVERSITATE NOSTRA PROFESSORES, & præ aliis, Incluti, qvibus Venerabile superbit COLLEGIUM THEOLOGICUM, ASSESSORES; qvi pro paterno toties jam declarato nobis affectu, rerum Ecclesiasticarum non benevolam modo concesserunt censuram, sed ipsam etiam publicationem indulserunt. Accesserunt variorum, qvos inter PUFFENDORFIUM nunc & BECHMANNUM, Viros laude nostra majores, nominasse sufficiat; preces Eruditorum, neqve exiguum tandem addiderunt calcar *Commilitones Clarissimi, & Auditorum & Respondentium* sibi spartam ultro vindicantes. Aggressus igitur bono cum Deo sum opus ipsum, utq; primitias Spartæ Professoriæ, ab AMPLISSIMO REIPUBLICÆ HUJUS *SENATU*, eodemq; COMPATRONO ACADEMIÆ MUNIFICENTISSIMO, præter meritum gratiosè mihi

desti-

destinatæ, sisterem aliqvas, exemplari meo cum iis, qvæ laudatus Jam D.D. FECHTIUS, ut & celeberrimus in Academia nostra Juris Anteceſſor, D. D. SIBRANDUS, & nuperrime Excellentiſſimus FRISIUS, (qvi omnes ex ipſo BOECLERI ore ſua hauſerunt) benevolè communicarunt, collato, locis allegatis, qvo fieri potuit ſtudio, perluſtratis, præviaq; ſemper accuratiori Venerandi FECHTII reviſione, ipſas *BOECLERIANAS SCHOLAS* exſcribi typis curavi, ita tamen, ut (I.) Sectionis cujuscunq; contenta, pro materiarum ratione, qvo lectio fieri poſſet commodior, in *numeros ſeu paragraphos* diſpeſcerem; (II.) Memorabilia, qvæ ſummam cujuscunqve continent paragraphi, extantioribus ſignari literis juberem; (III.) Ea, qvæ *libellus* exhibuit *Memoralis* Bœclerianus, typis ordinariis, qvæ vero in diſcurſu prolata, & characteribus aliis, & uncinis incluſa, repræſentari curarem; (IV.) *Indices & Sectionum, & Rerum Verborumq;*, præmiſſa, qvæ profundam Auctoris ſui ſpirat ubiq; Eruditionem, *Præfatione Iſagogica*, additoq; ad renovandam Bœcleri memoriam, *Programmate Exeqviali, & Scriptorum*, uti ſiſtitur in Clariſſimi Wittii *Memoriis Philoſophorum, p. 457; Catalogo*, ſubjicerem; (V.) Ob argumenti ſimilitudinem Mutuas *F. PAULI SARPII VENETI, & ISAACI CASAUBONI*, Virorum, vel ipſius Bœcleri (k) judicio maximorum, EPISTOLAS, qvantum hactenus conſtat, nondum publicatas, una cum *additamentis*, per modum appendicis adderem; (VI.) Ne, quæ brevius à Bœclero ſunt expreſſa, obſcuriora viderentur, præcedente in lectionibus privatis enucleatione, *DUODECIM* in Auditorio maximo *DISPUTATIONIBUS* publicis conſiderarem. Cujus dum mentionem injicio exercitii, non poſſum, quin nominetenus hic, eo, quo cathedram Reſpondentium exornarunt ordine, citra vel ætatis Academicæ vel Eruditionis reſpectum recenſeam, Viros Generoſos, Præcellentes & Clariſſimos DN.

(k) v. Hiſtoriam hanc inlndi ſub Voce *Caſaubonus*.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn746330790/phys_0027
DFG

DN. NICOLAUM Richter/ *Gedan* | Dn. SAM. ULR. Grümacher/ *Gryph.*
DN. CHRISTOPH. Cothe/ *Rostoch* | Dn. JOH. WILH. Stricker/ *Güstr.*
DN HENR. ASC. Engelcke/ *Rostoch.* | Dn. CAR. AUG. à BüLOV. *Equ. Meg.*
DN. ALB JOA. à Krakevitz Eqv. *Meg.* | Dn. HERM. Hesebeck/ *Cremp. Holsat.*
DN. CAROL. ARNDIUM, *Güstrov.* | Dn. THEODOR. SCHMID. *Pom.*
Dn. JO. CHRISTOPH. JAUCH. *Güstr.* | Dn. DANIEL SASSIUM, *Camm. Pom.*

Qvorum hactenus studia plus simplici jam vice publicis probata specimini-bꝰ æstimavit alma mater Academia, utq; felicissimo coronentur porro successu, unanimiter precatur. Et hæc ferme sunt, qvæ monitu duxi necessaria, restabit jam aliud nihil, qvam ut ingenuos opusculi hujus Lectores, qva decet observantia, etiam atq; etiam obtester, qvo pro suo in literas elegantiores favore, Reliqvias has Bœclerianas suscipiant, æstiment, foveant, &, si qvid præter ea, qvorum jam emendationem in *corrigendis* ipsi subjecimus, Bœclerriano indignum nomine repererint, non Bœclero, sed descriptori imputent, mihiq; benevole indicent, qvo in altera, qvam in forma minori, & literis majoribus, ac si Deus voluerit, addita forsan continuatione, à Seculo V. ad nostra usq; tempora, publicaturus sum, editione, emendari possint. Qvod si non omninò dissimulasse conatus meos deprehendero, HISTORIAM LITERARIAM CONRINGIANAM, vel OBSERVATIONES HISTORICAS BOSIANAS prima qvaq; Occasione communicabo. Rostochii, d. 12. Oct. A. 1695.

ERRATA extantiora sic corrigantur.

In *PRÆF. ISAG.* p. 1. l. 29. pro: Imperatorũ, lege: *Romanorũ*. In *HISTORIA IPSA* p. 4. l. 38. pro: Caligulæ; *Claudii*. p. 11. l. 12. pro: Petavius; *Fronto Ducæus*. ib. l. 30. & 35. p. 18. l. 31. p. 59. l. 20. p. 63. l. 20. pro: Pseudo-Isodoro; l. *Pseudo-Isidoro*. p. 16. l. 22. pro: Konigshofius; l. *Konigshoferus*. p. 17. lin. 34. pro: Propriorum; l. *Propiorum*. p. 31. l. 15. deleatur: *inprimis*. p. 47. l. 3. pro: Petarchæ; *Petrarchæ*. p. 60. l. 8. pro: post; *possunt*. p. 63. l. 23. loco parentheseos post voces: *Cent. Magd; Caput. II.* p. 64. l. 21. post vocem *exstant*: deleatur parentheseos signum. p. 65. l. 18. pro suis; *ejus*. p. 72. l. 6. pro: &; l. *seu*. p. 73. l. 11. post vocem *immergunt*; omissum signum qvo clauditur parenthesis. p. 73. l. 28. pro: reservatur; *refertur*. p. 74. l. 35. pro: Seriverius; *Scriverius*. p. 90. l. 12. pro: &; l. *ex*. p. 98. l. 20. pro: signari; l. *signare*. p. 107. l. 27. pro: Galsisq; l. *Gallisq*. p. 109. l. 11. pro: dominationit; *Dominationis*. p. 119. l. 32. pro: velut; l. *vebit*. p. 120. l. 33. pro: Professoris; l. *Professores*. p. 123. l. 10. pro: 7. 12. 13. 17. lege: 8. 6. 23. 19. ib. l. 22. pro: vincenti lerinensis; l. *Vincentii Lerinensis*. ib. l. 36. pro: seu; l. &. ib. pro: habetur; l. *habentur*. p. 124. l. 3. pro: qvos; l. *qua*. ib. l. 19. pro: Commeliana; l. *Commeliniana*. p. 127. l. 16. pro: Ticini; l. *Ticini*. p. 128. lin. 8. & 17. pro: Vospico; l. *Vopisco*. ib. l. antepen: pro: Phago Aureliano; l. *Phago Aureliani*. p. 131. l. 6. pro: Constantinus; l. *Constantius*. p. 138. l. 20. pro: peregrinum; l. *peregregium*. p. 142. l. 4. pro: Constantio; l. *Constantii*. ib. l. 17. post vocem, *dum*; deleatur comma. p. 143. l. 28. pro: Constantii; l. *Constantini*. p. 144. l. 26. pro: Constantino; l. *Constantio*. p. 146. l. 36. & penult. deleantur verba hæc: *Sed Persarum Ammianus* L. XIIX. p. 150. l. 10. pro: cum; l. *Eum*. p. 165. l. 18. & 32. pro: Arrianis; l. *Ariana*. In *Additamentis ad Epp. l. Sarpii & Casauboni*. N. V. l. 6. pro: 1682; 1602. N. VI. l. 2. pro 163 31. 39. Pro:

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn746330790/phys_0028
DFG

PROGRAMMA,

IN EXEQVIIS

NOBILISSIMI, AMPLISSIMI, ET EXCELLENTISSIMI VIRI,

DN. JOHANNIS HENRICI BOECLERI,

S. CÆSAREÆ MAJESTATIS, ELECTORISQVE MOGUNTINI CONSILIARII, PALATII AULÆQVE CÆSAREÆ COMITIS, ET IN HAC UNIVERSITATE PROFESSORIS HISTORIARUM ORDINARII AC LONGE CELEBERRIMI,

PROPOSITUM

â

RECTORE UNIVERSITATIS ARGENTORATENSIS,

MARCO MAPPO,

MED. DOCT. ET PROFESS. PUBL,

JUXTA EXEMPLAR ARGENTORATENSE RECUSUM
ROSTOCHII, Typis JOHANNIS WEPPLINGII, Univ. Typogr.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn746330790/phys_0029
DFG

POtuisset, sicut cum primum ex hoc loco ad vos *Cives Academici*, verba facerem, notavi, tristis ille nuntius, qvi de Nobilis Academici obitu inter ipsas Senatus Academici, dum Rectoratum Academicum suscipiebam, congratulationes afferebatur, ad terrorem animo injiciendum prorsus videri comparatus. Occurrebat illico animo, qvod passim observatur, principiis plerumqve consentire exitus, & talem subsecutionem atqve eventum expectandum, qvale primordium fuerit, occurrebat tamen juxta, flebile etiam principium meliorem sæpe fortunam secutam esse. Ita me spes, futura tum præsentibus fore potiora, erexit, metumqve vicit. Verum enim vero didici hactenus (heu nimium!) & modo amplius disco, Rectoratum meum non tantum accessionem esse notatæ illius observationis, sed & DEUM T. O. M. hunc ipsum tantis, non solum è nobilium Civium, sed & Magnorum in Republ. & Academia virorum jactura, cladibus velle insignire. Postquam enim nuper ex ordine Civium Academicorum duorum una Patritiorum Lubecensium, & in seqventem diem, ex supremo hujus Reipubl. Magistratuum ordine, *Amplissimi atque Prudentissimi Domini Consularis*, *Domini* CHRISTOPHORI STEDELII, (cujus memoria in benedictione) funus indixi, modo denunciandus vobis est, Viri ex Professorio ordine, non solum sincera Eruditorum per orbem æstimatione Magni, sed & Illustrium personarum encomiis celebrati, Serenissimorum, Christianissimi Regis, imo Glorioßissimi & Invictissimi Imperatoris LEOPOLDI ex longinqvo amorem promeriti, luctuosus obitus: Luctuosus, inqvam, obitus *Viri Nobilissimi, Amplissimi, Excellentissimi & per orbem celeberrimi, Domini* JOHANNIS HENRICI BOECLERI, *S. Cæsareæ Majestatis, Electoris & Moguntini Consiliarij, Palatii Aulæq; Cæsareæ Comitis, & in hac Universitate Professoris Historiarum ordinarii.* Divinam ergo veneror Majestatem, ne tristi ejusmodi charactere meum, qvod prima vice gero, officium amplius notare pergat, dum ad id, quod officii ratio à me requirit, accingo. Quamvis autem fortassis á nobis exspectetur, ut accuratius Tanti Viri tum vitæ curriculum, tum merita præclara, prosequamur, præceps tamen scriptionis festinatio aliquid tanto Viro dignum exarare non sinit, nec sinit novi doloris acerbitas. Delineare igitur potius qvam exprimere, memorare potius qvam celebrare Tanti Viri vitam nobis est animus, vel eam etiam præcipuè ob causam, qvod major, qva per orbem celebris est, gloria, accessionem ex sepulchrali inscriptione, aut qvod ejus apud Nos loco est, funebri programmate, non desideret. Natus ille est anni supra millesimum sexcentesimum undecimi, mense Februario. Locum natalem & patriam nactus est Cronhemium, Franconiæ pagum.

Paren-

Parentes habuit *Virum Reverendum & Doctissimum* DN. JOHANNEM BOECLERUM, *Ecclesiæ dicti loci Pastorem, fidelissimum* Patrem; Matrem, fœminam honoratissimam MAGDALENAM SUMMERIAM, *Doctissimi atq; Clarissimi Viri Dn.* HARTMANNI SUMMERI, *Rectoris Gymnasii Feuchtwangensis*, filiam. Horum cura, fine mora per baptismum CHRISTO consecratus fuit. Deinde sub dexterrima optimi Patris informatione, domi pietatis & bonarum literarum rudimenta, qvæ bona indoles sponte appetebat, avide hausit. Anno vero ætatis suæ decimo, ex consilio ejusdem Heilsbronnam se contulit, & in celeberrimo tum ibi Gymnasio & optimorum ingeniorum feracissimo, paternis aliqvandiu sumptibus, deinde eorum, qvibus ob raras ingenii dotes virtutisqve amorem insigniter placuit (inter qvos præcipuè nominandus *Vir Reverendus* DN. M. JOHANNES SNOILSHIK, *Ecclesiastes & Hebraicæ Linguæ Professor eximius*) liberalitate, & deniqve munificentia extraordinaria Serenissimi Principis CHRISTIANI Brandenburgici, commodius variis studiis dedit operam: ita ut adjutus fidelissima manuductione modo nominati Domini SNOILSHIK, Domini M. JOHANNIS MEHLFÜHRERI, *Theologi gravissimi & Sacrarum literarum Professoris celebratissimi*, *nec non* DN. M. JOHANNIS NICOLAI SCHÜLINI, *vigilantissimi Gymnasii Moderatoris*, intra decennium Linguarum, Latinæ, Græcæ, & Hebraicæ accuratam cognitionem sibi acqvisiverit, disciplinisqve Philosophicis plerisqve pertractatis, in ipsa etiam Sacrosancta Theologia facilè egregios fecerit progressus, editis sub inde in publico variæ eruditionis specimini-bus. Anno MDCXXXI. exposita Martis furori pulcherrima Schola, Norimbergam, qvæ in vicinia habet Altorphium, nobile literarum Emporium, perrexit; hinc Tubingam profectus est, & tandem ejusdem anni mense Majo, bonis auspiciis, Alsaticas nostras Athenas salutavit. Primum Fautorem & Patronum hic habuit, *Virum maximè Reverendum, Amplissimum & Excellentissimum*, *Dominum* JOHANNEM SCHMIDIUM *SS. Theologiæ Doctorem & Professorem publicum celeberrimum, Conventus Ecclesiastici Præsidem gravissimum*: Hic partim ex literis commendatitiis intelligens, partim ex sermonibus notans, *quam acri promptoqve excelleret ingenio, & quanta industria optimam naturam excoluisset*, (sunt verba nominati beati Viri) hunc novum Academiæ civem omnibus literarum Fautoribus atqve Patronis, inprimis autem Viro Plurimum Reverendo atqve Doctissimo, DN. M. SAMUELI SCHALLESIO, *Ecclesiæ Neopetinæ Pastori vigilantissimo*, tum de privata filii sui SAMUELIS (*Eloquentiæ nunc apud nos Professoris celeberrimi, & Gymnasiarchæ laudatissimi*) informatione sollicito commendavit, qvi omnibus illum competitoribus prætulit,

& de dexteritate informationis sibi gratulatus est plurimum. Filum interim studiorum suorum strenuè continuavit Noster, variis variarum scientiarum Professoribus innotescens, inprimis autem DN. M. MATTHIÆ BERNEGGERO, *Professori tum Historiarum, admirandæ eruditionis Viro*, cujus deinde familiaritas & paulo post convictus ei plurimum profuit. Edito in studio qvoqve Theologico, publico, Præside supra nominato, sed nunqvam satis laudato Domino D. JOHANNE SCHMIDIO, magno cum applausu specimine, perplacuit summis in Republ. Viris ita, ut illum, qvem hactenus amaverant, ad altiora, qvibus genius ipsius destinatus videbatur, promovere constituerent. Ad tempus igitur de talium Virorum voluntate, per amicos redditus certior, *Latinitatis in qvatuor superioribus Gymnasii nostri classibus suscepit curam*, Anno scilicet M. DC XXXVI. qvo eodem Magisterii Philosophici honores accepit in hac nostra Universitate, sub Decanatu Viri Spectabilis DN JSAACI MALLEOLI, Mathematum Professoris celeberrimi. Cum autem in provincia in Gymnasio ipsi demandata, omnium superaret exspectationem, Anno M DC. XXXVII. Oratoriæ Professionis Cathedram in hac alma studiorum Universitate, ab iis, penes qvos hæc est potestas, jussus est conscendere, atqve ita munus Professorum die 4. mensis Maji à solenni oratione, qva *de vera Eloqventia, qvæ vitæ usibus, non Scholæ ostentationi servit*, verba fecit, auspicatus est. In hac functione, cum & rei domesticæ ratio ita poscceret, fidam tori sociam connubio sibi junxit, omnibus sexus sui decoribus ornatissimam tum Virginem SUSANNAM, in mœrore nunc superstitem viduam, supra nominati Domini M. SAMUELIS SCHALLESII *Pastoris Neopetrini optimè meriti* filiam, celebratis cum ea festivitatibus nuptialibus Anno M DC XXXIIX. die 16. Mens. Januarii. Qvamvis autem festivitates nuptiales mox exceperit luctus ex DN. Soceri supra laudati obitu, qvi incidit in diem 31. Januarii, de reliqvo tamen Conjugium fuit non solum jucundum, pacificum & tranqvillum, sed & fertile & fœcundum. E casto enim thalamo dedit filios quatuor, filias septem. Illorum natu primus JOHANNES HENRICUS vitam, qvam paulo ante acceperat, cum morte commutavit. Reliqvi adhuc, nunc in mœrore sunt superstites, nimirum *Vir Nobilissimus atq; Amplissimus Dominus SAMUEL BOECLERUS, Illustrissimi Domini* JOHANNIS CASIMIRI *Comitis Leiningensis Dachsburgici*, S. Cæs. *Majestatis Colonelli, & Augusti Judicij Cameræ Spirensis Præsidis Consiliarius*, qvi nuperrimè *Viri Nobilissimi, Amplissimi & Consultissimi Domini* FRIDERICI OTTONIS, J. U. D. & *Consiliarii Hanoi i* filiam virtutibus ornatissimam, CHRISTINAM MARGARETHAM, matrimonio sibi junxit *Nobilissimus atq; perexímius Dn.* JOHANNES BOECLERUS natus in Svecia, Medicinæ

Stu-

Studiosus, qvi jam publice atqve solenniter egregia suorum in Studio Medico profectuum dedit specimina: Et Dn. JOHANNES PHILIPPUS, Philosophiæ Studiosus eximius. Ex filiabus ad cœlestem gloriam evocatæ sunt SALOME & ANNA MARGARETHA: supersunt ANNA SUSANNA, *Viri Reverendi atq; Doctissimi*, DN. JOHANNIS FELTZII, *Diaconi Paleo-Petrini* Conjux, ex qva ὁ Μακαρίτης qvinq; vidit nepotes: ANNA MARIA, *Viri Nobilissimi atq; Amplissimi* DN. ULRICI OBRECHTI, J.U. *Doctorandi*, Conjux suavissima. CHRISTINA, (nata Hamburgi) ELISABETHA, CATHARINA Virgines. Omnes iis virtutum gemmulis ornatæ, qvæ sexum muliebrem admodum commendant. Sed ut ad publica redeamus, cum strenuè in Professione sua laboraret, Decanatus in sua Facultate ipsi fuit demandatus Anno M DC XXXIIX Anno M DC. XL receptus fuit in numerum Canonicorum Thomanorum; eodemqve anno Magnificus Universitatis Rector fuit proclamatus. Cum autem deinceps Decanatum iterum Anno M DC XLI. Anno M DC XLIII. Anno M DC XLV. Anno M DC XLVII gessisset, Visitatoris etiam Collegiorum munere aliqvoties functus fuisset & Rectoratum Universitatis Anno M DC XLIX. iterum gereret, Anno priore M DC XLIX d. 25, mensis Novembris à Serenissima tum Regina Sueciæ Upsaliam ad Professionem Eloqventiæ Regiam vocatus, die 14. mensis Februarii Argentorato valedixit. In Suecia, ad qvam vocatus erat, functioni per annum præfuerat, cum porro ab eadem Serenissima Regina Holmiam vocatus, & ad Historiographi Regii dignitatem evectus fuit. Exacto in officio illo biennio, cum in Germaniam, ceu rationibus suis convenientiorem redeundi veniam impetrasset, cum Titulo *Historiographi Regii*, destinato illi hoc nomine 800. Imperialium in singulos annos salario, clementissime dimissus est. Salvus & incolumis cum Suis cum iterum ad nos esset reversus, paulo post ab inclyto hujus Reipubl. Magistratu denuo Professio Historiarum ipsi fuit demandata, & qvemadmodum olim, ita tum iterum jus civitatis, ex singulari in ipsum favore, donatum. Ab eo tempore Decanatum iterum Annis M DC LIV. M DC LV. M DC LVII. M DC LX. M DC LXII. M DC LXV. M DC LXVII. M DC LXX. Rectoratum Anno M DC LIIX. M DC LXIIX. gessit. Anno M DC LXII. ab Eminentissimo Archi-Episcopo & Electore Moguntino in numerum Consiliariorum est receptus, qvem amplum amicitiæ principalis gradum ita gessit, ut Eminentissimo Archi-Episcopus & Elector non dubitaret, ejus qvoqve opera & industria in Tractatibus Heilbronnensibus de componenda inter Eminentissimos & Serenissimos duos Electores pace institutis, uti. Anno M DC LXIII. à S. Cæs. Majestate titulo Consiliarii Cæsarei & salario hoc nomine annuo 500 Imperialium, nec non Comitis Palatini honore in filios, qvoqve & qui-

dem natu semper maximum hæreditario, donatus fuit. Christianissimus qvoqve Galliæ Rex LUDOVICUS XIV. jam ab aliqvot annis dignum judicavit, qvi in illorum esset numero, in qvos ob singularis Eruditionis gloriam peculiaria Regiæ benevolentiæ exempla edere decrevit. Essent jam plura dicenda, de literariæ gloriæ fastigio, rebus gestis, celebritate operum, commerciis familiaritatis intimæ cum summis per Europam viris, & similibus argumentis aliis; sed horum ne qvidem numerum caperet angusta hæc pagina: Alius præterea loci, alius temporis, nec non alius facundiæ fuerit, illa pro merito percensere. Nobis notandus adhuc tanti Viri vitæ terminus. Ideam morbi non capit pagina. Verbo: latuit in corpore corruptorum humorum colluvies, qvæ effervescendo & fermentescendo die hujus mensis 8vo. non sine malignitate, sui juris facta, colicos cruciatus, vomitiones horrendas, ingentem sitim, anxietatem etc. intulit, ventrem in ingentem tumorem elevavit, vires prostravit & vitam. Fecerunt officium Medici fecerunt adstantes, sed docta arte plus valuit malum. Ipse animadvertit die Martis proxime præterito circa vesperam, suprema urgere fata; propterea solatio ex verbo divino, & Eucharistico Epulo ac Ephodio recreari, animamqve ad æternam qvietem præparari desideravit; Voti ultimi compos redditus â plurimum Reverendo atqve Doctissimo Dn. M. JOHANNE THEOBALDO HENRICI, Pastore in Ecclesia Dei vigilantissimo, Fautore atqve amico meo honoratissimo, in summa deinde qviete voluntatem & signum Imperatoris evocantis expectavit, professus antea palam, se unicè Redemptoris sui arbitrio vota sua conformasse, qvem etiam animum, sermone deficiente nutu adhuc aliqvoties significavit, anteqvam hora noctis ad decimam vergente, beata nunc anima ex corporis vinculis plane emergens, evolaret eo, ubi in æternum ipsi bene est. Est in discessu morsus! & magnifacta est in Republ. literaria jactura Viri! propterea & solatia hic essent variis varia submini stranda, si ratio instituti hoc pateretur. Addat DEUS T. O. M. illis, qvæ aliunde affluunt, vim divinam. Exuviæ tanti Viri, *Cives Academici O. O. honoratissimi*, mandabuntur terræ Corporum nostrorum matri, cras die 14. Mensis Septembr. Efferentur ex ædibus qvas incoluit hactenus Vir Amplissimus, hora post meridiem prima. Invitant Vos ad ultimum officium præstandum Tanti Viri Virtus, Merita, Fama. Perscriptum Argentorati. Anno M DC LXXII. d. 13. mensis Septembris.

SCRIPTA.

Oratio funebris in obitū summi viri Matth. Berneggeri Argent. 1640 in 4. Æmilius Probus, sive Cornelius Nepos de Vitis Excellentium Imperatorum cum notis ibid. 1640. 1648. 1653. 1656. in 8. Lipsiæ 1653. 1669. in 8.

Ultraj. 1665. in 12. Hamburgi 1673. in 12.

Oratio de Typographiæ, Argentorati inventæ, divinitate & fatis. conf. D. Joh. Schmidij, Danck-Predigt wegen der im Jahr 1440. in Straßburg erfundenen Buchdrucker-Kunst *p. 65. ibid. 1641. in 4.*

Oratio Secularis de Statu Scholæ Argentor. vid. D. Joh. Schmidii, Schulbrunnen *p. 137. ibid. 1641. in 4.*

Christi Servatoris fasciæ ibid. 1643. in 4.

Commentationes Plinianæ, quibus præcipuè incomparabilis Panegyrici materiæ explicantur ibid. 1640. in 8.

Dissertatio de Politicis Justi Lipsii ibid. 1642. in 12. Francof. 1674. in 12.

Annotationes & Characteres Politici in C. Velleji Paterculi Historiam Romanam ibid. 1642, 1662, 1672. in 8.

Laudatio posthuma, qua illustris Viri Francisci Rudolphi Ingoldi Reip. Argentor. Senioris, memoriam publica pietate honoravit Acad ibid. 1642. in 4

Commentarius in C. Cornelii Taciti XV. Capp. priora libri I. Annalium ibid. 1643. 1645. 1648. in 4.

Herodiani Historiarum libri IIX. cum notis & animadversionibus ibid. 1644. 1662. in 8.

De Auspicio Regio liber. ibid. 1645. in 4.

Novum Testamentum Græcum ejus cura editum ibid. 1645. in 12

Diss. in C. Svetonii Tranquilli Cæsares ib. 1647. in 4

Comment. in Taciti Annales & Historias ibid. 1648. in 4. 1664. in 8

De Eloquentia Politici Libellus ibid. 1649, 1664. in 4.

Elogium Linnarti Torstensonij tumulo dicatum Holmiæ 1651. in fol

Orationes & Programmata Argent. 1654. in 8

Comment. de rebus Seculi à Christo nato IX. & X. per seriem Germanorum Cæsarum ibid. 1656. in 4.

M. Manilius cum notis Jos. Scaligeri & Jsm. Bulialdi cura J. H. Bœcleri editus ibid. 1654. in 4.

Annotationes in Terentium ibid. 1657. in 8.

Dissertationes Academicæ ibid. 1658. in 8.

Excerpta ex Actis Senatus in Parnasso ibid. 1663. in 4.

Notitia Sacri Romani Jmperii ibid. 1663. 1670. in 4.

Museum ad Amicum ibid. 1663 1672. in 8.

Tractatus de Amnestia ibid. in 4.

Epistola ad Episcopum Spirensem ibid. in 4.

Commentatio in Hugonis Grotij librum de Jure Belli & Pacis ibid. 1663. Ejusdem liber secundus ibid. 1664. in 8.

Elogi-

Elogium Christophori Forstneri ibid. 1669. in 4.
Lectiones Polybianæ ad Capellum ibid. 1670. in 4.
Dissertatio de legione Romana ibid. 1670. in 4.
Dissertatio de comparanda Latinæ Linguæ facultate Jenæ 1669. in 8.
De utilitate ex Historia universalis compositione capienda Argent. 1670. in 4.
Animadversiones in Hippolyti à Lapide dissertat. de ratione status in Imperio Romano Germanico ibid 1674. in 12.
Notæ & Animadversiones in Danielis Ottonis Jus publicum ibid. 1675. in 8.
Institutiones Politicæ, Dissertationes ad selecta Veterum historicorum loca & libellus Memorialis Ethicus, opus posthumum ibid. 1674. in 8.
De Scriptoribus Græcis & Latinis ab Homero ad initium Seculi post Christum natum XVI. Commentatio ibid. 1664. in 8.
Exercitationes aliquot in Flavii Josephi Antiquit: Judaicas.

DISSERTATIONES.

De Conjuratione Catilinaria.
De bello civili Cæsaris & Pompeji.
De Cæsare Augusto.
De bello Mutinensi.
De bello Perusiano.
De bello Cassii & Bruti.
De bello cum Sex. Pompejo
De bello Parthico.
De bellis Cæsaris cum Antonio & Cleopatra ac adversus exteras gentes.
De Triumviratu.
De Subtilitatibus Politicis & Aulicis.
Mecænas sive Conciliator Regius:
Themistocles, sive idea magni Civis
Epaminondas.
Minos Maris Dominus. (no
Scipio Polybij, ex fragmento Peireskia
Formula pacis Antiocho à Romanis da-
Historia Scholæ Principum. (ta.
Theodoricus Ostrogothus Italiæ Rex:
Hannonis Periplus.
Comparatio inter Hippolitum Euripi-
Miles Captivus. (dis & Senecæ.
In Bucolicon Virgilii quartum.
Συνέδριον Αμφικτυονικὸν.
Leges Ægyptiorum.
Ex Psalmo 82.
De annona sub Imperatoribus Romanis.
De Congressibus & Colloquiis Principum.
De Principalium Familiarum perpetuatione.
De Lexicis Veterum, præsertim Græcorum, ad Photii Critica.
De Mensura Pretii.
De Mercatura Politica.
De Potentia Civitatum.
Ἰσοψηφία, *sive Calculus Minervæ.*
De Peregrinatione Germanici Cæsaris.
Judex unus & multi ex Tacit. 3. Annal.
Historia Tamerlanis. (10.
De Dominio eminenti.
De veteri & nova militia.
De Lingua Novi Testamenti Originali.
De Lingua Celtica sive Germanica.
De Clarigatione & Manifesto.
Argo nova, sive de navibus Heroicis & fatalibus.
Historia Caroli M. Imperatoris Roma-
De Impedimentis pacis. (ni.
De Legato.
Civitas maritima.
Roma sub septem Regibus.
Conductor Carolinus. Etc. SE CU-

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn746330790/phys_0036
DFG

SECULUM I.

CHRONOLOGIA.

I. INitium Seculi, ut vocabula promunt, Natalis Domini constituit, qvem à condito orbe alii distare ajunt Annis 3963. alii 3947. alii 3951. Petavius, qvi accuratissimus est, 3984. Idem causam diversitatis eruditè & breviter concinnatam reliqvit in *Rationario Temporum* Part. post. L. II. C. I. §. 2. Maxima ratio difficultatis est Chronologia S. tum LXX Interpretum versio & scriptores SS; Cui accedit qvoqve alia difficultas ex sacris, ubi non ponuntur anni semper præcisè, sed rotundo numero, non annotato, qvantum majus minusve esset. De mundi ortu valdè etiam Chronologi variant: nemo tamen eò audaciæ processit, ut id diceret, qvod Isaacus Vossius fecit in L. *de vera mundi ætate*, qvi mundum toto millenario antiqviorem esse asserit, qvam hactenus creditum est. Qvæ res altioris esset indaginis, si eam vellemus accuratiùs excutere; hoc tamen dicendum, Vossium fundamentis admodum infirmis niti: ponit enim (1.) omnes Codices Hæbreos à Judæis esse vitiatos; qvod postulatum grande vix obtinebit; ejus qvoq; falsitatem eruditè & accuratè demonstravit Buxtorffius contra Lud. Capellum in *Anti-Crit.* Ponit (2.), nos veram versionem LXX. Interpretum habere, qvod falsum esse dudum Scaliger & Drusius, qvi fragmenta illius interpretationis peculiari opere digessit, docuerunt. Qvæ autem idem Vossius ex Rabbinis affert, omnia habet ex ore Capelli; ipse enim nihil ferè in Hebraicis intellexit & sine punctis legere non potuit, atq; in Rabbinicis peregrinus & hospes fuit; qvod Capello etiam exprobravit Buxtorffius, & multis locis ostendit, Capellum Codices Hebræorum impunctatos sæpè non potuisse legere. Hisce igitur nititur Vossius, sed qvæ ruinosa fundamenta esse videmus. Non negandum quidem, esse difficultates qvasdam in sacris inexplicabiles in materia Chronologica, quia Scriptura plerumq; annos non ponit præcisè, sed rotundo tantùm numero, & qvia LXX. mirificè dissentiunt, qvos seqvuntur Africanus & Eusebius: multa tamen feliciter expedivit Buxtorffius, licet non omnia. Inter eos, qvi hodiè in literatura Orientali regnum tenent, excellit qvoq; Samuel Bochartus, is diu cum Buxtorffio sensit, ii autem, qvi noviter eum in Gallia viderunt ajunt, defeciisse eum ad Capellum, motum duobus locis Nehem. VII. & Esdræ II. qvæ Buxtorffius non enodavit. Non dubitandum tamen, qvin aliqvis id adhuc sit præstiturus, neq; desistent amici Buxtorffium monere, ut huic qvoq; rei succurrat, & hanc difficultatem expediat. Aliàs σχέμμα illud de anno mundi etiam sibi tractandum sumsit Jacobus Ussherius, Armachanus, in præfat. operis sui *Annal.*; magnopere autem à Petavio & reliqvis discrepat. Nemo certè fuit, qvi hanc difficultatem & profunditatem satis explicare potuerit; Qvantum sibi placuit cum rationibus suis Scaliger? Qvantum item Calvisius ante Scaligerum, qvi multa qvoqve egregia hic vidit?

Qvàm Petavius? At ab his rursus dissentit Hieronymus Vechietti, cujus ingens opus Augustæ Vindel exscriptum, sed posteà suppressum fuit diu, circa Ann. XX. autem ejus potuit haberi copia. Et nemo tantum laborem exantlavit in re Chronologica, ipse tamen biennio toto distat etiam â Petavio; magis autem Usserius, Vir alias doctissimus, sicut omnia ejus opera demonstrant, qvi certius qvid se inveniss̃e putat; sed non deërunt, qvi ipsi qvoqve adversabuntur.

II. Vocatur autem æra Christiana communis Dionysiana, â Dionysio, cognomento EXIGUO, qvi Sec. VI. post Christum natum hanc numerandi rationem instituit. Qvam licet alii anticipent, retinenda est tamen vitandæ confusionis causa: cujus æræ characterem constituunt annum periodi Julianæ 4714 (*Rectius autem faciunt in numeratione, qui æram illam antevertunt toto quadriennio, nisi manendum esset in usitatâ æra.*) Qvid periodus Juliana sit, nemo brevius & clarius explicavit, qvàm Vossius § 4. de *anno natali Christi*. Inventio ejus debetur absq; dubio Josepho Scaligero. Petavius, qvi sibi sumsit refutandum Scaligerum, cùm negare non posset, præstantissimum & nobilissimum hoc inventum esse Scaligeri, cujus beneficio maximæ ac innumeræ difficultates fuerunt superatæ, ausus tamen est dicere, olim tale qvid prævisum & indicatum esse â Veteribus; qvod certè malignè est judicare, undè etiam Alexander Morus in novissima *Eusebii Scaligeriani* editione hoc virus & malignitatem in Petavio exagitavit. Sed hoc est Jesuitarum proprium, ut laboribus aliorum obtrectent. Profectò si Scaliger nihil aliud profecisset, maximas tamen posteri ei deberent gratias, qvamdiu qvidem ratio temporum constabit, manetq; opus ipsius admirabile. Non qvidem dissimulandum est, Petavium multa post Scaligerum demonstrasse & addidisse, Scaligerum tamen non ubiq; ita reprehendere debuisset, & hinc qvando nihil aliud dicit, objicit ipsi, eum interdum minùs latinè scripsisse. (*Aliàs Petavius paucos in ordine suo habuit pares; Sed si Scaliger Eusebium & emendationem temporum non edidisset, ipse eò nunquam pervenisset, cum facilius sit inventis addere.*) Consentit in anno Periodi Julianæ Jacobus Usserius Armachanus in *Annalibus V. T.* ætate mundi VII. â p. 546. Mundi autem annum hunc putat 4004, qvem Petavius 3984. ut dictũ est, posuerat. Finem seculi Johannis Evangelistæ & Apostoli obitus, qvi in annum 99. refertur, occupat. Annus centesimus est Periodi Julianæ 4813. Trajani Imperat: tertius, vel (ut alii volunt) IV tus. Epochas seculi hujus, tum ad historiã Christi, tum Imperatorum pertinentes, disqvisitas vide apud Petavium *in Rationario Temp.* P. II. L. IV, adde Vossiũ *Diss. de tempore Dominicæ Passionis* & Usseriũ ætate mundi VII.

II. ROMANA.

I. AUGUSTI primum in his nomen est, cujus qvoto anno natus sit Christus, contenditur. Variè enim anni numerantur Augusti. Quidam numerant â primo Consulatu; qvidam à Triumviratu; qvidam â pugna Actiaca; sed omninò numerandi sunt, qvatenus huc pertinent, â victoria Actiaca, unde mirorPer-

Petavium eos à primo Consulatu numerare, cùm ipse tamen respiciat ad conditam Monarchiam, ad qvam tum multum adhuc laboris & temporis reqvirebatur. Ut ita Christus natus sit in eo anno, qvem à primo Consulatu 44. putant. Auctor ejus Epochæ est Dio Cassius, qvi tradit post illam victoriam Rempublicam recidisse in statum Monarchicū; Et post Dionem, judiciosissimus Scriptor & Dione longè superior, Herodianus L. I. c. 1. adde Vellejum, & qvæ nos ibi demonstravimus. Implent hoc seculum Augusti extrema, & alii Imperatores Svetonio descripti, cum Nervæ & Trajani initiis, de qvibus Tacitus & Svetonius, & è recentioribus nemo accuratius Christ: Heidmanno, Viro doctissimo, in *Cæsaribus*, qvod opus qvidem morte præventus non perfecit, sicut alia multa, qvæ egregiè annotaverat. Nos breviter & per excerpta agemus, notabilia tamen afferemus, qvia de Tacito & Svetonio, scriptoribus difficillimis, aliàs sæpè egimus, causasq; difficultatis investigavimus, (*Svetonius quoque est inter difficillimos, quique à paucissimis intelligitur, multas enim res congerit & abstinet ferè à judiciis, & unicâ voculâ sæpe plurima comprehendit, qvæ nemo capere potest, nisi qui omnium verborum accuratissimum indaget sensum: quod ipsum egregia dissertatione demonstravit Dan: Heinsius in Orat.*) Prima & præcipua ad sacros civilesque usus consideratio, est totius fati Monarchiæ Cæsareæ, incipientis & progredientis, quam variis in locis & præsertim in *Dissertationibus ad Svetonium* tentavimus; Sequitur aptatum eò judicium de singulis, itidem non intactum nobis; Tum varii generis φιλολογήματα ad notitiam Historiæ & aliarum disciplinarum.

II. Qvantum ad secundum membrum, sæpè conquestus est Polybius, paucos capere, quid sit historia universalis, quam nos hodie neobiter qvidem tractamus. Nemo hactenus est ausus, ut contextu Politico historiam universalem consignaret, qvale quid in animo quidem habuit Thuanus. Sicut autem singulare Cæsarum Imperium, tentatum à Jul: Cæsare, primus AUGUSTUS constituit ac firmavit: ita omnibus ingenii dotibus & animi artibus ad tantum opus perficiendum divinitus instructus fuit. Eluctandum erat per omne genus publicæ perturbationis ac civilium bellorum, quæ tot regna tot nationes pervagata sunt. Secuta quies magna, verequè Augusta, & quietis amor, rarum in tanta felicitate bellandi decus Talis status decebat Imperium, in quo Pacis Princeps JESUS CHRISTUS nasciturus esset, de qua qviete magnificè admodum loquitur Florus L. 4. C. 12. n 64: ubique *cuncta atq; continua totius generis humani aut pax fuit aut pactio.* Sic tanta in orbe fuit pax, ut Veteribus qvoque Theologis eo nomine notata fuerit. Hinc omnia præsidia & ornamenta pacis æstimari debent, quibus hoc seculum efflorsuit; Artes, Inventa &c; quibus armis Ecclesia postea feliciter est usa Nostro quidem tempore varia inventa celebrantur, sed & Augusti ævo haud ignobilia conspiciebantur, qvæ hodiè defecerunt. vid: Pancirollum. Ratio imperandi, ju-

re regio fundata firmissime, (*hucenim origo legis regiæ spectat, non ad Jul. Cæsarem, de quo usurpari potest, quod Justinus* 9,8,21. *ait de Alexandro M.* Qvibus artibus orbis imperii fundamenta pater jecit, operis totius gloriam filius consummavit;) externam speciem multis libertatis & civilitatis simulacris convestitam, habuit. (*Confundunt illa simulacra cum juribus multi, inprimis scriptores juris publici, qui auctores quidem ejusmodi legerunt, sed nunquam penetrarunt; qvæ magna est ἀναισθησία*) Svetonio addatur Tacitus, paucis capitibus sed multo sensu. Dio Cassius diligenter qvoque gesta Augusti descripsit, & Aurelius Victor, qui, cùm non nominatur, semper tamen intelligitur. (*Duo autem sunt libri, qui hoc præferunt, unus de Cæsaribus, alter Epitome, idem argumentum tractans; Stylo quidem non valde valens, multa tamen ex Antiquioribus habens, præsertim ex Tacito, ex quo multa sublegit: an autem idem utriusq; libri sit auctor, posteà videbimus.*) Conferantur etiam Florus L. IV. Vellejus L. II. Nicol. Damascenus in *Excerptis Peirescianis* p. 471. & seqq. ex Poetis, Virgilius, Ovidius L. de Ponto, Horatius aliiq;. Moritur Augustus A C. XIV. al. XV. ut Petavius & Usserius; U.C. 767 al. 765.

III. TIBERIUS succeessit, qvi postqvám imitationem Augusti & boni Principis artes aliqvandiu simulasset, in omnia acerbissima tyrannidis scelera & flagitia prorupit. Stetit tamen foris felicitas seculi Augustæi, notabiliter descripta Philoni *in Legatione ad Cajum Cæsarem & lib. in Flaccum.* Svetonius & Tacitus hic iterum seorsim laudandi, qvibus sine causa idonea dicam scripsit in rebus hujus Principis Vir & amicus noster honoratissimus, dum fata sinebant, Christoph. Ad. Rupertus in *Observ. ad Beſoldi Synopſin*, ab Arnoldo qvondam editis, qvas ipse Autor nunqvam, puto, nisi mutatis compluribus editurus erat. (*Graviter tum Boeclerus refutavit errores Ruperti Tacitumque contra criminationes vindicavit.*) Addatur Dio, & qvæ inde descripsit Joh: Antiochenus *in Excerpt. Peiresc.* p. 800. Vellejus adulatus est. Mors Tiberii incidit in A. C. XXXVII. juxta Petavium & Usserium U.C. 790 al. 789.

IV. Succedere CLAUDIUS & CALIGULA. Caligula cœpit imperare A. C. XXXVII. U.C. 790 al. 789 Claudius verò incepit A C. XLI. U. C. 794. al. 793. Sub Caligula & Claudio, si demas, qvæ pro bonis Principib9 inter initia & per simulationem fecerunt, cruenta & turpis dominatio res Romanas exercuit. Sustentabat tamen magnitudo nominis Cæsarei Rempublicam, ne dilaberetur. Svetonius iterum præcipuus hic Scriptor; Apud Tacitum enim Caligulæ omnia, Claudii autem pleraq; periêre. Pertinet huc Satyra Senecæ de *Apocolocyntho si*, loco ejus, qvod debebat scribere *Apotheosin*, qvod aliis fiebat, ob summa nimirum Caligulæ scelera, in qvam eruditam Dissertationem scripsit D. Heinsius. Videantur Xiphilinus, qvem eruditi cum Dione promiscué citant, qvia Xiphilinus sua verbotenus ex Dione descripsit

scripsit; Philo in *legat: ad Caium & in Flaccum*, ubi Aulam Romanam accuratè descripsit, habetq; ea, qvæ magni sunt momenti; Joan. Antiochenus *Excerpt: Peiresc:* p. 805. &c Notum est Claudium ab Historicis propter stultitiam infamari, qvod reprehendit Casp. Barthius Vir Cl. L. 7. Adversf. C. 1. & L. 54. C. 13. Sed lapsus est Clarissimus & Nobilissimus Vir, nam ut habet Rupertus ex Cl. Reinesio, Sarisberiensis ad Gellium docet, Caji nomine sæpè intelligi Cæsarem Julium; non tamen propterea exagitandus est error tanti viri, qvem præclarissima ejus merita in literas alibi satis compensant: Ipse tamen Rupertus incautiùs loqvitur, ut aliqvis verba ejus eò trahere possit, qvasi Sarisberiensis apud Gellium loqvens introduceretur. Ostendimus nos ad Terentium, judicium de Terentio, qvod Caji nomine circumfertur, non esse Julii Cæsaris, sed hujus fortasse Claudii, qvi acerrimus omnium Doctorum hostis fuit.

V. Seqvitur NERO, qvi cœpit imperare A. C. LIV. U. C. 807. al. 806. Neronis qvinqvennio nihil ad imaginem boni Principatus exactius fuit, reliqvo tempore nihil fœdius ac immanius. Svetonii & Taciti hic perierunt multa; vid. Xiphilinus Joan. Antiochen. in *Excerpt: Peiresc.* 808 seqq Lucanus, nobilis Pöeta licet, pessimo Principi adulatur, qvanqvam illum Doctissimus Asini laudator, Heinsius, in Orat. de laude Asini defendit, inqviens: *secius & in contrarium esse accipiendum*; Sed ingeniosè magis qvam vere.

VI. GALBA successit, qvi cæpit A. C. LXIIX. U. C. 821. 7. ferè mensibus, al. 820. OTTO A. C. LXIX. U. C 822 al. 821. trib. mensibus, VITELLIUS eodē anno 8 mens. Sub Galba, Ottone & Vitellio, finita jam Cæsarum domo, *in certum diu & qvasi vagum imperium fuit extium rebellione Principum & cæde*, sicut Svetonius indicat in Vespasiano C. 1. idem, qvi res eorum tradidit. Sed Tacitus hos motus rerum cum Vespasiani initiis pragmatico opere executus est, Historiarum libris, qvi supersunt, v. Xiphilinus, Jo. Antiochen. in *Exc. Peiresc.* p. 815. Chronologiam disqvisivit Petavius de *Doctrina Temporum*. L. XI. c. 16.

VII. VESPASIANUS incipit A. C. LXIX. U. C. 822. TITUS A. C. LXXIX. U. C. 832 al. 831. DOMITIANUS A. C. LXXXI. U. C. 834, al. 833 A. Vespasiano nova Periodus incipit ex bono ipsius & Titi regimine in sævissimam Tyrannidem Domitiani desitura, cui penè lenitudo ENERVIS (ut joco eum vocat Lipsius) NERVÆ ἀναρχίαν subjecisset, nisi labentis imperii onus suis humeris suscepisset TRAJANUS, novæ periodi instaurator. Svetonii opus cum Domitiano desinit. Apud Tacitum Vespasiani pleraq;, Titi & Domitiani omnia perierunt; nisi qvòd in *vita Agricolæ* & de *moribus Germanorum* aliqva supersunt. Adde de Domitiano Plinii *Panegyricum*; Eidem Cæsari adulatur Martialis. Vid. Xiphilinus, Joan. Antiochen. *Exc: Peiresc.* p. 816 & præsertim Josephus de *Bello Judaico* L. VI. C. V & VII. Juliani Cæsaris Satyra. Titum tanqvam speculum boni Principis in Academia qvondam nostra

exegit Magnus Berneggerus noster. Vespasiani LEGEM REGIAM exhibet Onuphrij Panvinij in *Fastis*; addendi sunt Orosius, Eusebij, Zonaras; nam etiã cum non nominantur, semper tamé eos intelligi fas est, qvia de fontibus nostra mera est cura.

IIX. NERVA incipit imperare A.C. XCVI. U.C. 849. al. 848. Hinc imperium Romanum externos nanciscitur Moderatores. Coccejus Nerva primus est; & credimus Aurelio Victori de *Cæsaribus*, qvi *Cretensem* vocat p. 739. *Hist. Aug.* Unde apparet, non eundem esse scriptorem *Epitomes*, qvi oppido *Narmiensi* in Umbria genitum scribit; scilicet Henr. Valesius dici posse putat, abavum vel atavum fuisse Cretensem, ipsum Nervam Narmiensem, quò se majores contulissent. Prior sententia magis placet. Vid. Disp. Ruperti. Adde de rebus Nervæ *Histor. Miscell.* L. X. manu Eutropii scriptam partim, partim deinde Pauli Diaconi, completam â Xiphilino. Laudat eum etiam Plinius in *Paneg.* TRAJANUS incipit A. C. XCIIX. U.C. 851. al. 850. Marcus Ulpius Trajanus (Imp: Cæs. Divi Nervæ F Nerva Trajanus) sine controversia peregrinus est, Hispanus scilicet. Historia ejus ex Aurelio Victore, Eutropio L. IIX. *Hist. Misc.* L. X. Plinii *panegyrico* & Xiphilino repetenda est. In Plinii scriptura imperiti cæcutiunt, qui simulacra imperii Cæsarei â Juribus Imperii non distinguunt. Tacitus in *Vita Agric.* & aliàs per occasionem magnificè eum laudat; Inprimis etiam Plinii Epistolæ huc pertinẽt multis locis de imperio Trajani tractantes; vid. Rupertj & Heidmannj. Sed ejus pleraq; in seqvens Seculum congruunt, ubi Rupertus iterum scriptoribus iniqvior esse videtur.

EXTERNA.

I. ASIA â *Syria usq; ad flumen Euphratem, quantum ingenti terrarum sinu ambitur, qvatuor legionibus coercita: accolis Ibero Albanoq; & aliis Regibus, qui magnitudine Romana adversum externa imperia protegebantur.* Tac. IV. A. 5. PARTHIS Romanorũ æmulis materia dissidendi fuit Armenia, vid: Tac. II. A. 56. XII. A 50 XIII. A 34. XV. A. 25. adversj qvos expeditionẽ sumet in seqventi seculo Trajanj.

II. JUDÆORUM res Romanis jam servientium qvales fuerint ante excidium Hierosolymitanum ex Philone & Josepho disces; qvi & excidium ipsum descripsit Add. Tac: L. V. *Hist.* nugis & mendaciis rejectis. Ex Josepho diligenter repetit Heidm. in *Cæsar.* Lipsius quoq; de *Constantia* L. II C. XXI. considerat clades Hierosolymitanas Tempus excidii Hierosolymitani disquirit Petav: de *Doctr. Temp.* L. XI. C. XVII. Add. *Rat. Temp.* P II. L. IV. C. V. Heidmannum considerationi hujus fati intentum in *Palæst.* C. II. Inprimis Casaubonum *exercit. ad. ers Baron.* V p. 20. ut & Usserium in postrema parte *Annal:* Qvæ consideratio lectu digna est, qvomodo scilicet Deus Hierosolymam tam acerbè puniverit, ut nunquam ad hunc usq; diem resurgere potuerit, Ethnicis, Judæis & Christianis frustra connitentibus.

III. De HERODIS & HERODIADARUM annis vid: disqvir. Petav: D. T. L X. C. VI & L. XI. capp. prioribus, Gerh: Joh. Voss. Dissert. de *natali Christi* §. 15. & 16. p. 7. &

7. & seqq. Inprimis verò totam Historiam in Petavii; *Rat. Temp.* Part. I. L. IV, C. 22. breviter & accurate collectam habemus, ut & Josephi nobilem observationem de fato Herodiadarum L. XIIX. C. VII.

IV. In AFRICA *Mauros Juba Rex acceperat donum populi Romani; Cætera Africæ per duas legiones* habebantur, annotante Tacito IV. A. 5. Anno hujus seculi XVII. Tacfarinate Duce defectio facta à Camillo re primitur Tac. II. A. 52. Renovatur Bellum eodem Duce Tac: III. A. 20. seqq. & 32. 39. iterum deficiunt III A. 73. Debellantur Anno Seculi 24. U. C. 777. Tacit. IV. Annal. 23. 24. 25.

V. ÆGYPTUS itidem duabus legionibus coercebatur, Tac. IV. A. 5. & *Hist.* IV. vide qvæ nos ibi prolixè; regente *Præfecto Augustali*, cujus sæpè fit mentio in jure publico, equite Romano, ob metum Provinciæ.

VI. In EUROPA HISPANIAS recens perdomitas tres legiones coercebant Tac. IV. A. 5. Inde Galba adversus Neronem insurgit.

VII. GALLI rebellionem cœptavere anno seculi XXI. U. C. 774. Ducibus Julio Floro & Julio Sacroviro Tac: III. A. 40 & seqq. Anno Seculi LXIIX. U. C. 821. Vindex in Neronem Gallos concitat, à Rufo ipse dejectus; Svetonius in Nerone C. 40. & Galba C. 11. At in GERMANIA duo apud ripam Rheni exercitus erant; superior ac inferior, ita collocati, postquam Variana clades acciderat, pene exitiabilis, tribus legionibus cum Duce legatisque & auxiliis omnibus ad 60000 cæsis, anno hujus seculi IX. U. C. 762. Svet Aug. 23. Dio L. LVI. imprimis Vellej. II. Tacit. I. A. 58, 60, 61, 62. Sed illæ, de quibus cœpimus dicere legiones, gravi seditione tumultuatæ sunt anno seculi XIV. U. C. 767. quam Tacitus scriptione Pragmatica exsequitur. I. A. 31. & seqq. Dio. 57 In Germanos expeditionem fecit Tiberius post cladem Varianam cum Druso Germanico anno seculi XI. U. C 764. Dio L. 65. ante cladem Varianam anno seculi 6. U. C. 759. Dio L. 55. de alterâ expeditione etiam Svetonius in Tiberio C. 9. Vell. II. 95. Germanici Cæsaris Drusi filii in germanis gesta anno sec: XV. vel XVI. U. C. 768. vel 769. exeqvitur Tacitus, L. I. & II. Ann. & de *moribus Germ. 37.* Mox ingentes C. Cæsaris Caligulæ minæ anno sec. XL. U. C. 793. in ludibrium versæ; Sveton. Calig. 43. usq; ad 48. Inde otium, donec occasione discordiæ Romanæ & civilium armorum expugnatis legionum hybernis anno seculi LXIX. U. C. 822. etiam Gallias affectavere. Vid. Tacitus IV. Ann. *Proximis temporibus triumphati magis, qvam victi fuere* Tac. *de Mor. Germ. 37.* Ita *derisui fuit falsus è Germania triumphus* Domitiani, *emtis per commercia, quorum habitus & crines in captivorum speciem formarentur.* Tac. in *Vita Agricolæ* 39. Trajanus cum adoptaretur, Germaniæ præfedit tanqvã summus dux, utriq; enim exercitui suus præerat Dux, superiori & inferiori, qvi ad huc sub supremo erant, qvalis fuerat Germanicus & Trajanus, cujus virtutem Panegyricus Plinii celebrat C. IX. & XIV. alias nihil extat, qvod in Germania gesserit. Putarem Trajanum in hybernis tantum ibi fuisse, & excursionibus quibusdam Germanos lacessivisse,

V. III.

VIII. GERMANIÆ Heroes tum fuere MAROBODUUS Vell. II. 108, 109. & ARMINIUS Tac. II. A. 88. Hujus tanto magis eminuit virtus, qvod Romanos floreſcente ſtatu appetere auſus eſt, eosq; ingenti clade affecit. Hunc Tacitus aliquoties laudat celebratqve, qvod Elogium eò majoris faciendum, qvia ab hoſte proficiſcitur.

IX. THRACUM primò Rheſcuporis tumultus aſtu Tiberii coercitus; Tacitus II. A. 64. usqve ad 68. Svet. Tib. 37. tum anno ſeculi XXVI: U. C. 779. delectum detrectantes, bellumqve auſos Sabinus caſtigat Tac. IV. A. 46. usqve 52. *Ripam Danubii legionum duæ in Pannonia, duæ in Moeſia attinebant, totidem apud Dalmatiã locatis* Dio. L. LV. Tac. IV. A. 5. Batone duce DALMATIS defectioné auſis, Tiberius in Illyricum ab Auguſto mittitur anno Sec. VI. U. C. 759. Dio. 55. & in ſeqventi anno Germanicus, Dio. ibid. qvarto anno res compoſitæ, Batone dedito Dio 56. Vell II. 114. ſeqq. Sveton. Tib. 9. anno Sec. XII. U. C. 765. PANNONICARUM legionum ſeditio primo Tiberii anno, A. Sec. XIV. U. C. 767. Tac. I. An. 16. usq; ad 31. Dio LVII. Druſus. A Sec. XVII U C. 770. in Illyricum mittitur Tac. II. A. 44.

X. DACICUM Bellum anno ſec. LXXXIIX U C. 841. Cum Decebalo Domitianus pactione conficit. Svet. Domit. 6. Dio LXVII. vel Xiphilinus (*ſupra enim diximus Xiphilinum Dionem ſolere exſcribere ejusq; Epitomatorem eſſe, nam non tantum ea habet Xiphilinus ubi Dio deficit, ſed Hiſtoriam Dionis, quæ hodie adhuc ſuperſtes eſt, verbis Dionis propriis in Epitomen redegit, unde conjicimus, eum eodem inſtituto poſtea uſum:*) Occaſione hujus Scriptoris qværitur, an abbreviare liceat ſeu Breviaria ex majoribus operibus exſcribere? Qvam qvæſtionem memorabiliter tractat Claudius Salmaſius in *Præfat ad libellum memoriale Ampelii* eosq;, qvi hoc facere ſolent, excuſat. Qvod qvidē ratione non caret. interim tamen dicendum eſt, conſcriptione iſtiusmodi epitomarum factum fuiſſe, ut majora opera paulatim negligerentur. e. g. Conſtantinus Imperator Porphyrogenitus ex variis Scriptoribus juſſit qvædam congeri, quorū hodie duo tantum ſuperſunt tituli unus de *virtutibus & vitiis*, alter de *legationibus*, qui liber auſpiciis Nicolai Peireſcii inventi & editus eſt, poſterior quidē primò Auguſtæ ſeorſim auſpiciis Dav. Hœſchelii prodiit; niſi igitur hæc compendia fuiſſent, forſan ipſi Auctores ad nos perveniſſent integri, quorū minor habebatur poſtmodum cura, cùm iſta breviaria uſurparentur.

XI. BRITANNIAM, à Julio Cæſare oſtenſam potius, quàm traditam, C. Cæſar Caligula fruſtra affectaverat. Svet. Cal. 44. Tac. *Agricol.* 13. Felicior fuit Claudii expeditio Britannica, de qva Sveton. Claud. 17. non ſuâ tamen ſed Veſpaſiani virtute; Svet Veſp 4. Tac. Agric. 13. Defecit Britannia Anno LXI. U. C. 814. ſub Nerone. in qva Paullinus Svetonius bellum ſtrenuè geſſit, Sveton. in Nerone 9. Tac. XIV A. 29. usq; ad 40. deinde Britanniam cum cœtero orbe Veſpaſianus recuperavit Tac. Agric. 17. ubi & ſub Domitiano geſta virtute Agricolæ exponuntur. De AMERICA tunc nondum cognitum fuit.

ECCLE-

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn746330790/phys_0044
DFG

ECCLESIASTICA.

I. HIc, ne confundantur aliqva, partitè incedendum est. CHRISTI primò HISTORIAM integris voluminibus contextam habemus, & olim ab Evangelistis & postea ab Harmoniarum Evangelicarum Scriptoribus: sed & Chronologiam diligenter inqvisiverunt plerique. Et qvoniam Ministerium Christi publicum per IV. Paschata distinguitur, acta ejus præter alios consignata & per tempora digesta exhibet eruditissimus Jac. Usserius *ætate mundi septima*, ex *Evangelica Harmonia* Joh. Richardsoni, Episcopi Ardachadensis, qvi sub Usserio Archiepiscopo fuit & adhuc forsan vivit. Qvod opus certe videtur esse diligentissimum adeò, ut nemo tanta diligentia congesserit historiam, seu seriem IV. Paschatum. De tempore Passionis nota est dissertatio G. J. Vossii, eo nomine merito commendanda, qvod tradita & inqvisita recentiorum diligenter collegerit.

II. Inter EXTERNA DE CHRISTO TESTIMONIA celebratur Josephi, Judæi, L. XIIX. C. IV, Doctoribus Ecclesiæ & olim & hodie laudatum, qvod etiã aliis externorum testimoniis augeri potest. Veteres de *actis Pilati* loqvuntur, Justinus M. ad Imper: Antoninum; sed pro veris, qvæ laudibus cumulabant Christum, falsa in ejus vituperium fuerunt substituta â Qvartadecimanis & Maximino Tyranno v. Epiphanius *adversus Hæreses L. II. T. I. hæres:* 50. Extitisse autem *acta Pilati*, nullum debet esse dubium, per summam Romanorum diligentiam, sed iis abolitis adulterina supposita fuerunt. Johannis Antiocheni testimonium aliqvem in fraudem inducere posset, qvod legitur in *Excerpt. Peiresc.* p. 809. de Nerone, (*ex qvo descripsit Svidas in voce NERO*) qvasi hic crediderit, Christum adhuc in terris ambulare & ob supplicium ejus Hannam, Caipham & Pilatum in vinculis habuerit, qvod tantum Virum Imperatore inscio ê medio sustulerint. Verum hæc narratio multis modis confelli potest ac rationibus, qvamvis magnam habeat speciem. (1) Tempora non conveniunt: nam Pilatus communi consensu sub Caligula obiisse traditur, memorante etiam Chronico Eusebii. (2) De tali studio Neronis cæteræ historiæ planè tacent; Et qvomodo tam crassus ille error in aula Romana contingere potuit, ut crederetur, Christum adhuc vivere? (3) Verba, qvæ ibidem mox seqvuntur, falsitatis narrationem convincunt, qvia additur: *Neronem statim Paulum & Petrum necasse*; qvod si ille Christum tanti æstimasset, ejus Discipulos non tam crudeliter occidisset. Si qvis tamen vellet aliqvid pro Johanne Antiocheno dicere, non

deesset illud qvidem. De Antiocheno eqvidem nihil nobis constat, qvis vel unde fuerit; unde Vossius etiam frustra *de Hist. Gr.* de eo inqvisivit. Verum dubitandum non est, Historiam ejus aliqvando alicujus auctoritatis fuisse. Memoravimus supra Epitomatores majora opera descripsisse, qvos sæpissimè lapsos esse nemo non novit; Hinc facilè fieri potuit, ut, qvia Tiberius Claudius & ille, qvi κατ' ἐξοχὴν *Nero* dictus est, omnes appellati fuerunt *Nerones*, imperitus Librarius id, qvod de Tiberio dictum erat, ad hunc Neronem referret, quod infrequens vel absurdum non esse inde videmus, quod in tanta luce literarum Viri docti sæpe nomina Neronum confuderint, ut in præcedentibus de Cajo Cæsare exemplum habuimus. Hinc non videtur omnis auctoritas huic Johanni Antiocheno deneganda, quem & hic & alibi descripsit Svidas. (*Non dubitandum itaq; fuisse auctorem bonum, Svidas enim vix reperietur aliqvem non probatum exscripsisse, licet inter optimos illos, qvos exscripsit, unq; præ altero majoris sit auctoritatis.*)

III. Testes autem Christi habemus irrefragabiles, EVANGELISTAS ET APOSTOLOS, de quibus nunc est annotandum. Illi primum viva voce Christum prædicarunt. Primus scribere aggressus est MATTHÆUS, anno post adscensionem Christi 8vo, ut habet Eusebius in Chron., quem Theophylactus sequitur, adde Irenæum L III C.I, Hebræo primum sermone, sed mox in Græcum verso, vel ab Apostolo vel certè ab Apostolico viro, ut Græcus Textus, qvo semper usa est Ecclesia, non minoris sit auctoritatis. Ebionæi & Nazaræi corruptum tenuerunt Hebraicum Matthæi Evangelium, ut non sine singulari providentia Divina fieret, ut in Græcum transfunderetur. Non diu superfuit hoc Hebraicum Evangelium, vid. Hieronymus & Baronius in ann: Christi XLI.

IV. MARCUM circa idem tempus aut biennio posterius scripsisse memorat Eusebius, Hist Eccl. L. 2. C. 4. quam sub prælo esse cura Clar: Henr. Valesii audimus, qvi post Christophorsonum & H. Stephanum non pauca egregia præstabit, qvibus carere certe non debemus in hac parte historiæ. An latinè, qvia Romæ & ad Italos scripsit? Ita vult Baron. & ex eo Spondanus ad annum Christi XLV. §. 13. auctoritate Anastasii potissimum; Sed eruditè refutatur â Conrado Hornejo Hist. Eccl. L. I. C. VI. §. 15. (*Scribit autem Baronius linguam Græcam sub Tiberio jam ferè exoleviss*e, *propterea, qvod in Svetonio legitur, illum Imperatorem aliqvando noluisse uti voce Monopolii græca; deindè quia Marcus ad Italos scripserit; sed hæc Consequentia est nimis*

nimis Φορτικὴ; scripsit ad Italos, ergo Italicè? Falsum est Græcam linguam tum in desuetudinem venisse, nam & Augustus & Tiberius peritissimi erant linguæ Græcæ, ipseque Tiberius versibus græcis frequenter usus est, nobiliores quoque linguâ Græcâ multum utebantur. Certè vir tam doctus, qualis fuit Baronius, non quâcunque re arreptâ statim, quod sibi placeret, pronunciare debuisset.)

V. LUCAM Hieronymus putat Catal. C. VII esse eum, cujus meminit Paulus Col. IV. 14. II. Tim. IV. 11. (*ex solo enim Hieronymo hæc traditio habetur, apud antiquiorem nullum idem reperitur.*) Niceph: Callistus L. 2. Hist: Eccl: qvam Petavius duobus Tomis Græco-Latinam edidit, (ante enim latinè tantum extabat,) asserit Lucam etiam fuisse Pictorem, sed qvando hic aliqvid affirmat sine consensu aliorum, non multùm meretur fidei. Fluxit ex Hieronymo vulgaris illa opinio, Lucam fuisse Medicum, res tamen est incertissima. *Evangelium & Acta* nobis reliqvit, volumina divinitus inspirata. Eusebius Hist: Eccl III. 4. Priorem librum contexuit ex narratione eorum, qvi Christi comites fuerunt; alterum, ut putatur, ut αὐτόπης. Qvo anno? Theophylactus putat Christi XLIIX. circiter, Baronius decennio ulterius ponit tempus.

VI. JOHANNES scripsit Evangelium post annum Christi LXV, ut autumat Theophylactus præfat. in Matth., vid. Hieronymi Catal. 9. Euseb. Hist. Eccl. III. 18 Adde de scriptis ejus C. Horneji Comp. Hist: Eccl. 1. 15. Baronius curiosius in tempus inqvirit, & â reliqvis discrepat, scriptionemqve in ultima ejus tempora conjicit. An Evangelium post Apocalypsin scripserit, ad liquidum vix deducitur. vid. Hornejus.

VII. Addendum nunc aliqvid de Codd. M. S., qvibus characteribus dignoscantur. Tigurini antiqvissimum totius N. T. habent exemplar, qvod magna pecunia â duce Rohanæo redemerunt, non tamen est primæ antiqvitatis codex. Codices enim (1.) primæ antiqvitatis scripti sunt literis qvadratis seu uncialibus: verùm totum instrumentum ita non reperitur: sed sigillatim qvidam libri his literis inveniuntur. (2.) Antiqvitas oculis tantum repræsentat lectionem sub figuris qvibusdam, non literis exactis, qvale exemplar nos adhibuimus, qvod inæstimabile fuisset, si totum Testamentum haberemus, sed deficiunt Evangelia & Acta. (3) Basileæ in vicinia servatur Codex; qvi primam literis scilicet qvadratis mentitur antiqvitatem, ut puto, sed cætera non verè est ejus ætatis. (*In conferendis istiusmodi Codicibus egregia fuit opera R. Stephani.*)

IIX. Evangelistarum de Christo historiam excipiunt πράξεις τῶν Ἀποστόλων

Actus Apostolici, (*de nomine frustra disputatur, an dicendum sit ACTUS, an ACTA, nisi quod actus dicantur, qvi generatim sunt πράξεις, acta contra, qva παρχθέντα.*) Luca Evangelista scriptore, qvibus continetur Historia Apostolorum non omnis, neqve omnium, sed qvantum divinæ visum fuit providentiæ, ad eorum, qvi in Ecclesia servari cupiunt, notitiam proferre. Diligentissimè historiam Actuum digessit Jac. Usserius, ita qvidem, ut nemo cum eo comparari possit, qvod apparebit illi, qvi ipsum cum Baronio conferre vellet.

IX. Succedunt EPISTOLÆ APOSTOLICÆ, è qvibus XIV. Paulo tribuuntur, (illa scilicet ad Hebræos inclusa.) septem *Catholicæ* appellantur ad Christianos, non tam certi loci, qvàm universos scriptæ. De his Nazianzenus in Carm: XXXIII, qvod semper in Ecclesia magnæ fuit æstimationis.

Δέκα ἡ Παύλου, τέσσαρές τ' ἐπιστολαὶ.
Ἑπτὰ ἡ Καθολικαὶ. ὧν, Ἰακώβου μία,
Δύο δὲ Πέτρου. τρεῖς δ' Ἰωάννου πάλιν.
Ἰούδα δ' ἐστὶν ἑβδόμη. πάσας ἔχεις.

Paulinæ Epistolæ nomine unius Voluminis sæpe dicuntur βίβλος Παύλου. (*de Pauli vita, operibus, gestis, vide Flacium præf. in Epistolas Pauli.*) Hic ferè ordo collocationis in libris. De alio ordine MSC. optimi nostri secundæ antiqvitatis â prima diximus in N. Testamento sub finem. Ordo, qvo scriptæ sunt Paulinæ Epistolæ, â Theodoreto T. Operum III hic ponitur præf: in Epist: Pauli: (I) I. ad Thessalonicenses (II) II. ad Thessalon: (III) I. ad Corinthios, (IV.) II. ad Corinthios: (V) I. ad Timotheum (VI.) ad Titum (VII) ad Romanos (VIII) ad Galatas (IX) ad Philippenses. X) ad Ephesios (XI) ad Colossenses (XII) ad Philemonem, XIII) ad Hebræos (XIV) II. ad Timotheum. Annos scriptionis Usserius ita collegit, ut ad Thessalonicenses utraqs; scripta sit A. C. LIV, ad Corinth. prior A. C. LIIX. ad Galatas A. C. LIX, posterior ad Corinthios A. C. LX. & eodem Epistola ad Romanos. A. C. LXIV. hæ: ad Philippenses, ad Colossenses, ad Philemonem, ad Ephesios, ad Hebræos. A. C. LXV. ad Timotheum prior & ad Titum. A. C. LXVI. ad Timotheum posterior. In qva digestione diligentiam Petavii longè superavit, & hactenus nemo id ita præstitit. Petavius negligentius & ita ordinat: ad Thessalonicenses utraqve A. C. L. ad Corinthios prior A. C. LIV. ad Corinthios posterior A. C. LV. ad Timotheum prior, ad Titum, ad Romanos anno eodem, ad Timotheum posterior A. C. LVII. ad Ephesios eodem, ad Philippenses, ad Colossenses, ad Philemonem A. C. LIX., ad Galatas, ad Hebræos eodem; Ubi tamen de Epistola ad Galatas dubitat, prior hæc illis, an

an posterior sit. De qvibus temporibus etiam Baronius disputat. Adde Commentatores. Notæ sunt Paraphrases in omnes Epistolas Calixti & Horneji. De Catholicis Epistolis, (nam de earum auctore, auctoritate & tempore qvæsitum fuit) diligenter Historiam conquirit Hornejus in præfat. singularum. Addantur Commentatores alii. Erasmus qvoqve in omnes Epistolas Pharaphrases scripsit & singulis judicia præmisit, in quibus valde temerarius est, unde non injuriâ graviores censuras à Theologis, Lutheranis Pontificiis & Reformatis meruit.

X. APOCALYPSIS JOHANNIS supereſt, qvam Gregorius Nazianzenus non recenset, sed Epistolis Catholicis satis audacter subjicit:

εἰπ ᾗ τάτων ἐκλὸς, ἐκ ἐν γνησίαις.

Qvalia dubia adversus Apocalypsin ex Antiqvitate etiam collegit Erasmus, cui singulatim respondet Theodorus Beza. Vid: Comment. D. Hoë & aliorum. Hoc est corpus illud N. T. sacrosanctum & θεόπνευστον opus, qvo Deus hoc seculum primum beavit, ut omnium seculorum thesaurus esset. Nihil enim Scriptorum præter Apostolica & Canonica ex primo seculo integrè & sine suspicione vel arte interpolationis ad nos pervenit, in qvo divinam providentiam agnoscunt aliqvi, ne scilicet aliorum scripta cum sanctissimis illis libris confunderentur.

XI. SYMBOLUM APOSTOLICUM, ab Irenæo & Tertulliano *Canon & Regula* dictum, in hoc seculum referunt, tanqvam traditionem Apostolorum antiqvissimam, vid. Baron. & Spondan. ad A. C. 44. §. 8. & notentur Auctores seu Patres laudati à Baronio, non tamen sine confusione, qvod fieri non debuisset. Sicuti autem de auctoritate non dubitatur, qvin doctrinæ Apostolicæ summam contineat, ita de tempore, qvo in talem formam iverit, & qvomodo illud factum fuerit, ac similibus, non parva est disputatio. Vid. Gerh. Joh. Vossius in Diss. *de 3. Symb.*, add. Usserii Dissert. *de Symb. Apost.*, qvo nemo diligentior est, tum, qvi de Symbolo hoc & ad Symbolum plurimi scripserunt.

XII. An ergo planè nihil aliud scripserunt Christiani Doctores hoc seculo? nemo hoc pertendit, sed, ut ante diximus, non adeò liqvet de qvibusdam. Ita EPISTOLARUM IGNATII meminerunt sanè Veteres, Polycarpus & ejus Discipulus Irenæus, Origenes, Eusebius, Athanasius, Hieronymus, Chrysostomus, Theodoretus, Damascenus, Photius, alii. Sed qvid in illis, qvæ ad nos pervenêre, sincerũ sit, semper qvæsitum fuit: Falsa enim & spuria inesse dubio caret. Ostendit Nicolaus Vedelius in suâ editione additis dissertationibus, A. 1623.; qvi Vedelius inter Reformatos non obscurum fuit nomen. Secuta est Usserii editio, Deniq; A. 1646. Isaaci Vossii,

qvi demonstrare voluit, genuinas esse illas Epistolas; ut judicia Vossii in his talibus satis sunt promta, in qvo tamen ego nollem acqviescere; meritò certè adhuc dubitant illi, qvi non nimis securè judicare volunt. Ita BARNABÆ EPISTOLA, ejq; qvi Pauli comes individuus hæsit, â Claudio Menardo, postea ab Isaaco Vossio edita & propugnata pro divina, non statim undiqve genuina haberi potest; non mirum autem hoc â Vossio fieri, qvi ad hæc tractanda parum pietatis attulit. XIII. CLEMENTIS qvoq;, cujus Paulq; meminit Phil IV. 3. EPISTOLAS AD CORINTHIOS A. 1633. Patritius Junius edidit Oxon. (*Viro Doctiss mo, qui eas eruditissimis notis illustravit, ut omnia ejq Viri opera sunt eximia, multâq; eruditione referta. Multa vir iste suppleßet ex Bibliothecis Anglicanis, nisi præmaturâ morte fuisset abreptus, hodie nemo est in Anglia, qvi ei possit comparari in Græca lingva & Antiqvitate,*) celebraruntq; eas pro genuinis non editor tantùm, sed & Vossii, Pater & Filius; nondũ tamẽ effectũ est, ut nihil dubitationis supersit. Qvi pro germanis illas Epistolas nõ agnoscunt, hoc argumento præcipuè utuntur, qvod resurrectionẽ carnis cũ Phœnice comparat, at hoc inconveniens est Viro Apostolico, rem gravissimâ fabulâ velle firmare. Respondent quidem Vossii, non absurdũ esse populariter loqui & argumentum ab istiusmodi re petere, in quo aliàs præsidium tutò non collocari posset, nisi ipsa communiter credita sit, sed animadvertit Junius, ut accuratissimo judicio fuit præditus, hanc responsionem doctis non sufficere, unde annixus est probare, Phœnicem non esse avem fabulosam. Unde nobis olim ea occasio nata fuit Studiosis quibusdam persvadendi, ut Orationes de Phœnice aliquas haberent, in quibus singillatim argumenta Juniana examinavimus. Vid. Programma præfixum p. 60. Certe aliàs magna est gravitas in Epistolis Clementis, ipseq; codex venerandæ Antiqvitatis fuit, ex qvo eas Junius descripsit, cum qvibus Epistola Barnabæ nullo modo conferri potest. Multo minus Clementis hujus, qvem sedisse volunt Pontificem ab A. C. XCIII. ad CIII. LIBRI RECOGNITIONUM probari possunt, qvorum Auctor videtur vixisse circa A. C. 180. vel 200, qvod erudite demonstrat David Blondellus. (*Fuerunt autem suppositæ â Pseudo-Isiodoro qvodam, cognomento Mercatore vel Peccatore.*) Defendit eos contra Centuriatores Magdeburgenses ex professo & integro opere Franciscus Turrianus, Jesuita, in qvo vehementissimè gloriatur, se omnia argumenta Hæreticorum refutasse; repertus tamen est anno hujus seculi XXVIII Vir doctissimus David Blondellus edito doctissimo libro, cui tit: *Pseudo Isiodorus*: cujus libri notitia paulò nos remorari debet. Non tantum enim refutavit nugas Turriani, verum etiam ingens thesaurus Historiæ Ecclesiasticæ ibi reperitur; nemo enim Historiæ Ecclesiasticæ peritior hodie vixit.

Spes

Spes qvoqve est ejus animadversiones in Baronium editum iri, qvod promisit Alexander Morus in Præfat: ad Euseb.Scalig:, neqve deerunt, qvi â Magistratu Amstelodamensi, qvi Exemplar Baronii Blondello usurpatum, in qvo plurima annotavit, in Bibliothecam publicam transtulit, petent evulgationem illarum notarum. Nemo certè par posset ei nominari in hoc seculo, adeò in studio Ecclesiastico excelluit, qvod citra injuriam ullius dici potest. Scio unum & alterum ex viris eruditis ejus Blondelli plumis se exornasse, qvos nominare nolo, qvia exemplaria valdè sunt dispersa: &, cum Typographi qvotidiè novas nugas recudant, dolendum est istiusmodi opera non recudi, sicut nec Epistolæ Clementis ad Corinthios amplius comparari possunt. Vanitatem autem Jesuiticam de his Epistolis vel Titulus Epistolæ Clementinæ ad Jacobum fratrem Domini, *Episcopum Episcoporum Dei Ecclesiam regentem*, refutare posset, qvi tum jam obierat; qvem ictū â Magdeburgensibus intentatum cùm non posset declinare Turrianus, mirum qvantas nugas agat: Posteriora qvoque epistolæ desumpta sunt ex *Epitome Gestorum* Petri ab ipsis Pontificiis damnata. Collegit autem primo Blondellus judicia Pontificiorum, Baronii, Bellarmini, de Turre cremata &c; postea argumenta Turriani singillatim accuratissimè & solidissimè refutat. Liber est auro contra non habendus, cui nihil in hoc genere simile extat.

XIV. DE PROCHORI, HERMÆ, itemq; LINI, DIONYSII AREOPAGITÆ, scriptis & CLEMENTIS *constitutionibus* videatur *Patrologia Joh. Gerhardi*. Addatur Catalogus eorum, qvi apud Spondanum leguntur ad A. C. XLIV. §. 24, 25, 26. *Orthodoxographa Patrum* Basileæ impressa; (*quô titulo tamen non innuitur, quod omnia in illo opere Orthodoxa sint.*) *Bibliotheca Patrum Minorum* â Binio 6. Tomis adornata; (sed qvæ novissimè â Parisiensibus multis modis auctior prodiit, additis pluribus Græcis, qvi antea latinè tantum legebantur) Acta universorum Apostolorum conficta; Scripta supposititia eorum nomine conscripta, & Christi nomine conficta. Addendum aliqvid est de Epistola CHRISTI AD ABGARUM, Edessæ Toparcham, qvam refert Euseb. Hist: Eccl. L. I. C. 13. Qvam Gelasius Papa in Concilio Romano in decreto *de Apocr. script:* inter Apocrypha retulit. Qvâ Pontificiâ & Synodicâ auctoritate non obstante, Baronius, qvem hoc decretum malè habet, absqve dubitatione ab Antiqvioribus receptam vult ostendere ad A. C. XXXI §. 66. Casaubonus *Exerc.* 13. ad ann. XXXI. meritò miratur hoc factum; cujus censuram non attigit, qvi alias, ubi potest, in eum incurrere solet Spondanus nec qvicquam mutire audet: sagaciter; præstat enim silentium frigida & inepta responsione, qvalem molitus est Jac: Gretserus *de Imaginibus*,

non

non manu factis C. III, ubi fatetur Epistolam hanc scripturis sacris longe postponendam esse; atqui si epistola est Christi genuina, cur aliis scripturis erit postponenda? Sophisticè autem ibidem tractat Gretserus Magdeburgenses, qvi Cent. I. L. I. C. II. innocenter qvidem, sed nescio an satis caute, de illa Epistola locuti sunt. Est autem opus illud Centuriarum Magdeburgensium plane Heroicum, non sine singulari divina providentia, animos adgubernante, conscriptum, qvale nunqvam antea sperare licuit, qvod agnovit etiam Casaubonus, licet judicio Auctores qvoq; lapsi fuerint interdum. Pari ratione tractat locum Procopii Gretserus, & more solito locutionem conditionatam pro assertiva arripit.

XV. PROPAGATIO autè DOCTRINÆ CHRISTIANÆ, PER APOSTOLOS jussu Christi facta, fidem habet ἀοίδιμον ex S. literis, Marci XVI. 15. & 20 Act. XVII. 30. Roman. X. 18 Col. I, 6. qvod in universum orbem pervenerit Evangelium; Qvanqvam fortè in Historia Ecclesiastica non omnis hujus Propagationis Historia tam sit accuratè, sicut optari potest, consignata. Dicunt igitur, Apostolos in celebriora loca venisse, ex qvibus deinde notitia Evangelii ad obscuriora pervenerit. Seqviora certè secula pro lubitu suas conjecturas, nec rarò fabulas, invexerunt, dum nulla vult videri provincia, qvæ non certis locis vindicet Apostolum aliqvem, aut virum Apostolicum fidei Christianæ Doctorem. (*Sic qvam multa confingunt de S. Materno, à D. Petro in Germaniam, Galliam & Alsatiam misso, quâ de re quidam Konigshofius in Chron: Argent: nondum edito,*). Auxit hoc licentia Pontificia, *Legendæ, Vitarum Scriptores*, in quibus mira fabularum libido; qvam deprehendet, qvisqvis perlegerit modo vitas Surii, qvæ qvamvis in Monasteriis inter cœnandum vel prandendum legantur, fatentur tamen ipsimet Pontificii, se non omnia credere. Ex Veteribus hic præcipua monumenta sunt: Eusebii *Historia Ecclesiastica* & Hieronymi *Epistola ad Dextrum*. Nam Nicephori Callisti fides, nisi aliunde fulciatur, sibi non sufficit; adeò in illo Scriptore cuivis, qvi vel unum librum legerit, licet palpare ἀκεφαλίαν, temeritatem & impudentiam. Sed Pontificiis qvidlibet sufficit ad nugas suas muniendas. Extant & passim in Scriptis Patrum aliqva. Baronius ad A. C XLIV. inquirit, in qvas orbis partes Apostolorum quisque profectus sit docendi Evangelii causa. Add. Spondanum Ao. eodem §. 10. usq; ad 24, ubi vera & modesta clausula est, cujus utinam omnes Pontificii semper memores essent: *Atq; hactenus de divisione Apostolorum ad gentes, quæ sanè res est perdifficilis investigatu, ac potius breviter tractanda, quàm fabulis exaggeranda.* Objiciunt hujc historiæ de annunciato per universum orbem Evangelio

Patroni

Patroni absoluti decreti, in America non fuisse prædicatum Evangelium. Ubi malim ego eorum sententiam sequi, qvi nondum habitatam tum esse Americam autumant, qvam suspectis non uno nomine narrationibus auscultare. (In qvo negotio omnia tandem redeunt ad Acostam, hominem qvidem diligentem & eruditum, sed tamen Jesuitam, qvi ad lubitum omnia reformare solent. Afferunt nonnulla argumenta, qvibus fidem facere volunt, jam olim Americam fuisse habitatam, quia reperti fuerint quidam nummi Imperatorum insignia gestantes; qvasi vero non ipsi Jesuitæ ejusmodi numismata subjicere potuissent, vel prius defodere, postea rursus eruere, quas *pias fraudes*, ut vocant, inter artes habent.) Platonis commemoratio de *Atlantide* Insula, si Americam velis capere, inexplicabiles, si Plato ipse legatur, habet nodos; & conjecturis qvibuscunqve longè possunt opponi firmiores conjecturæ. (*Tractatum est hoc argumentum â decoris ingeniis, ut Grotio, cui respondit Joh. de Laêt, Vir harum rerum peritissimus, intervenit G. Hornius, cujus auspiciis opus de America prodiit. Vossius qvoq; de Scient: Mathem: C. XLVII. eò inclinat, olim fuisse inhabitatam. Add. Dissertationes Erasm. Schmidii de America in Commment: Pindari.*) Exitum singulorum Apostolorum, qvi omnibus, præterqvam Johanni, violentus fuit, ut & Virorum Apostolicorum, qvos & minores Apostolos qvidam vocant, qvatenus in hæc tempora congruunt, consignavit ex antiquitate satis diligenter Hottingerus *Hist. Eccl.* C I.S. II p. 27. usqve ad 32:

XVI. DOCTRINA HUJUS SECULI scripturis N. T. eximiè tradita, â viris autem Apostolicis hoc quidem seculo, ut dictum est, parcè consignata, ab insequentium autem proximiorum temporum Doctoribus repetita est. Add. Centur. Magd. Cent. I. L. I. C. IV. & L. II. c. IV.

XVII. RITUS ECCLESIASTICOS Centuriatores Magdeburgici collegerunt. In qvo genere Baronius non curiosè modo, sed interdum temerè solet versari, ut auctoritas antiqvissima rebus novis accommodetur.

XVIII. DE OECONOMIA ET FORMULA REGIMINIS ECCLESIASTICI in primitiva Ecclesia iidem Cent. I. L. I. C. VII. & L. II. C. VII. cordatè egerunt, re scilicet non unis difficultatibus obseptâ. Nisi qvod prima scripturæ ratio habenda est, qvousque Historia N. T. ducit, ad qvam in exponendis Patrum huic Sanctissimæ ætati propriorum locis subinde respiciendum est. Qvantum concertationis Ecclesia vidit in verbis interpretandis, dum alii ad Juniorum seculorum formam pro lubitu interpretantur, quæ diversissimam antiquis illis temporibus faciem habuerunt: alii, ne quid novis temporibus simile admitterent, sollicitè

cavent? Potest Exemplo esse DISPUTATIO DE EPISCOPIS ET PRESBYTERIS inter Petavium & Salmasium, contrariis scriptis agitata, ab illo quidem in variorum Patrum editionibus, ab hoc in tractatu de *Primatu Papæ* sparsim, & peculiari libro *de Episcopis & Presbyteris*; Qui, sicut alter vocabulum *Episcopi & Presbyteri* semper ad morem hodiernum interpretatur, ita ipse in alteram partem excedit, & nihil eximii in illa voce vult agnoscere. Intoleranda inprimis est Pontificiorum temeritas, ipsum Apostolorum genium ad curiæ Romanæ morem formantium, reformantiumque, argumentis levibus & cavillatoriis, sicut ostendunt, qui contra primatum Petri una cum Centuriatoribus Cent. I. L. II. C. VII. disputant. In illa ipsa Disputatione, si vocem *Episcopi* & ἐπισκοπῆς semper de *Pontificatu*, ut quidam sibi formant, accipiunt, qvid facient Epiphanio, ad quem, velint nolint, ipsos oportet confugere? Cum L. I. T. II. hær. 27. clarissimis verbis ponit: ἐν Ῥώμῃ γὰρ γεγόνασι πρῶτοι Πέτρος καὶ Παῦλος οἱ ἀπόστολοι αὐτοὶ καὶ ἐπίσκοποι εἶτα Λῖνος, εἶτα Κλῆτος, εἶτα Κλήμης. *Etenim Romæ primi omnium Petrus & Paulus Apostoli pariter atq; Episcopi fuerunt. Inde Linus; tum Cletus; post hunc Clemens.* Si enim Paulus æqve ac Petrus fuit Romæ Episcopus, cur in Catalogo Episcoporum Romanorum non ponitur? Et sanè de Episcopis Romanis non est illustrior locus in antiquitate hoc ipso Epiphanii, adversus quem cùm nihil excipere possunt Pontificii, mirè eum torquent & dicunt, Paulum ante Petrum occisum fuisse, qvod eos non juvat, nihilominus enim inter Episcopos fuisset ponendus, sicut Clemens & Linus, qvos inter Episcopos vel Chorepiscopos collocant, vivo adhuc Petro: Nam de cæterâ serie Episcoporum Romanorum certissimum est, ordinem adeò intricatum confusumque esse, ut explicari humanâ qvidem ope nequeat. Frustra id tentavit Dionysius Petavius ad Epiphanii hær. 27. Frustra Turrianus, qvem convincit David Blondellus, (*qui in hoc argumento omnium diligentiam vicit, quod facile deprehendetis, qui studiosè inquisiverit*) cujus postea aravit vitulo Isaacus Vossius & Cl. Salmasius, qvod sæpe qvidem dissimulat in L. *de Primatu Papæ*. & sibi unam atq; alteram Observationem tribuit, qvam ex Blondello sumsit, v. ejus *Pseudo-Isidorus* ad Epistolam Clementis primam supposititiam: ubi diversi antiqvorum Catalogi non hoc tantum seculo, sed & ulterius proponuntur. Adde de primis Pontificibus Salmasium *de Primatu Papæ*. Onuphrius Panvinius ex *Pseudo-Damaso* qvodam (ita vocat Dionysius Petavius ad Epiphanium) in hoc seculum confert. I. PETRUM ab A. C. XLIV. ad LXIIX., ut sederit Ann. 25. M. 5. d. 12. II. LINUM, qvem cum Cleto Chorepiscopum facit, altero mense & die 26. à Petri morte

cæsum

cæsum. III. CLEMENTEM, qvem primum facit post Petrum Romanum Episcopum, à 3. Cal: Jun. A. C. LXIIX., qvo Martyrium subijt Petrus secundum ipsum, usq; ad A C. LXXVII d.9. IV. Cletum ab A. C LXXVII ad LXXXIV., in qvo 6. Cal Maji occisus sit, inde vacasse ait Pontificatum per 10. dies. V. ANACLETUM, occisum A. C. XCVI. 3. Id Jun., ut sederit annos XII M. I, d. 27. inde vacasse sedem dieb. 13. VI. EVARISTUM annis 13, m. 3. A. C. CIX. occisum, vacante sede d. 19. (Hæc Onuphrius, *qui in toto illo opere Chronico Pontificum maximorum non respondit Auctoritati famæ & expectationi concepta, hinc etiam ea, quæ solvere nequit, dissecat*). Contra hunc castigatam Pontificum seriem ita proponit Petavius ad *Epiphanii hæresin.* 27. PETRUM passum esse anno XIII. sub Nerone, Capitone & Rufo Coss. A. C LXVII. non LXIX. ut sit in Annalibus, aut LXVIII, ut apud Onuphrium. Eodem anno successisse LINUM, cui tribuuntur anni XI. m. II. d. XXIII. mortuum A. C LXXIIX, 23. Septembr. non verò anno, ut ipsi putant, LXXX. Excepisse CLETUM Linum sediseq; annos XII. m. VII. d. 2. mortuum A. C. XCI. 26. April Trajano & Glabrione Coss. Qvartum esse CLEMENTEM, cui anni tribuuntur IX. m. VI. d 6. mortuum A. C. C. 9. Cal. Decembr. Qvintum ANACLETUM ann. IX. m. III. d. 10. mortuum A. C CX. Sextum EVARISTUM, ann IX. m. III. mortuum A: C. CXIX d. 26 Octobr. Septimum ALEXANDRUM, qvi sederit X. annos & vixerit ad A. C. CXXX. Octavum XISTUM, annos X. mortuum A. C. CXL. Nonum THELESPHORUM ann. XI. m. IX. d, III. Martyrio coronatum A C. CLII. Decimum HYGINUM Annis IV. obijsse A. C CLVI. Undecimum PIUM An. IX. M. VI. Mortuum. A. C. CLXV. Duodecimum ANICETUM Annis IIX. minus mensibus 2. d. 7. mortuum A C. CLXXIII. Addit Petavius: *Hactenus Romanorum Pontificum series ex Annalibus deprompta, sed ad veros annos redacta. Quorum quidem singillatim tempora perscrutari plus molestiæ, quam utilitatis habet.* (*Quod indicium est animi diffidentis*) Hoc qvidem certum est, fuisse aliqvod nomen Ecclesiæ Romanæ primis illis temporibus, sed eam Primatum obtinuisse nunqvam probabitur.

XIIX. HIEROSOLYMITANÆ ECCLESIÆ, cujus tum maxima erat auctoritas, primum Episcopum facit Eusebii Chronicon JACOBUM A.C. XXXIII, cui successerit SYMEON seu SYMON A. C LXII. ANTIOCHIÆ, primum Episcopum Ordinarium idem Chronicon refert EVODIUM A. C. XLIV; ALEXANDRIÆ primum post MARCUM Episc. ordinatum ANNIANUM A.C LXIII, cui successerit AVILIUS. A. C. XXCV,

XIX. Cœterum Ecclesiæ adversantur dogmata à VERITATE ALIENA, tum extra Ecclesiam, tum intra eam; præterea PERSECUTIONES.

XX. EXTRA ECCLESIAM, JUDAISMUS & GENTILISMUS occurrit, JUDAISMO SAMARITANISMUM etiam comprehendere fas est; (*Quod alicui mirum videri posset, cùm Judæi & Samaritani maximo odio semet ipsos fuerint persecuti: Sed postquam Judæi connubia cum Samaritanis jungere cœperunt, dogmata quoq; permiscuerunt, quod elegantissimè ostendit Doctissimus Hottingerus in Exercit. Anti Morinianâ,*) videatur de Samaritis Epiphanius *hær.* 9; Qvorum variæ fuerunt sectæ. De *Essenis*, prima Samaritanorum secta, Epiphan. *hær.* 10., de *Sebuæis* secunda Samaritanorum secta *hær.* 11. de *Gorthenis*, tertia Samaritanorum secta, *hær.* 12., de *Dositheis* qvartâ Samaritanorum sectâ *hær.* 13. (*Non frustra autem quæsivi de Sectis Samaritanorum, ignorantia enim hujus rei viros etiam doctos valde turbavit, inprimis quando de Codice Samaritano mentio incidebat, quem nonnulli venerandæ antiquitatis esse putarunt. Verum, qui Samaritanos noverunt, deprehendent Pentateuchum, Josuam, valdè ab iis esse corruptos, quod monstrat Jacob Usserius in eruditissimâ Dissertatione de LXX. versione, ubi digressionem habet de Pentateucho Samaritano, accuratiùs tamen & prolixiùs Clariss. & Doctiss. Dn. Hottinger.*) JUDAISMUM in VII. Sectas distribuit Epiphanius (I.) *Sadducæorum* (*hær.* 14.) (*II.*) *Scribarum* (*hær.* 15.) (*III.*) *Pharisæorum* (*hær.* 16.) (*IV.*) *Hemerobaptistarum* (*hær.* 17.) (*V.*) *Nazaræorum* (*hær.* 18.) qvi ab iis, qvos infra adducemus, sunt diversi, (*VI.*) *Ossenorum* (*hær.* 19.) (*VII.*) *Herodianorum* (*hær.* 20.) Qvas sectas adventus Christi reperit atq; dissipavit. De *Pharisæis*, *Essæis*, *Sadducæis* egerunt etiam Centuriatores, tum totis Diss: Drusius, Scaliger & alii.

XXI. GENTILIUM sannas probra & calumnias erga nomen Christianum nihil attinet colligere; fecerunt hoc illi, qvi adversus Gentilismum insecutis seculis ex professo scripserunt, suis locis enumerandi Confundi aliqvando nomina *Judæorum* in hoc primo seculo cum nomine Christianorum i. e hos illorum appellatione nominari, notum est, & Scaligero non semel notatum *animadvers. ad Euseb:* (*unde mirari licet esse adhuc hodiè qvosdam, qui loca istiusmodi apud Dionem, Xiphilinum Svetoniũ interpretari nesciant, ubi Judæi & Christiani confunduntur. Fecerunt hoc Scriptores Ethnici non ex contemtu, sed ex ignorantia, unde CHRISTI qvoq; nomen in CHRESTUM & CHRISTIANORUM in CHRESTIANORUM mutatum est, non tam contumelia*

meliæ causa, sicut existimavit Clariss. Hottinger Hist. Eccl. Sec. 1. p. 36. quam per errorem & ignorantiam, unde etiam Tertullianus ait: Rectè iis objici posse, ne nomen quidem ipsis notum esse, qui & nomen Christi & illuà Mysterium, quod in eo latet, nosse potuissent.) Concidere tamen cepit cum Oraculis magna pars paganicæ superstitionis, sicuti seculis inseqventibus ostendetur.

XXII. INTRA ECCLESIAM SIMON MAGUS omnium patet Hæreticorum est; qui Christi nomen ementitus est, sed doctrinam deseruit, & Petro Apostolo se opposuit. v. Epiphan. hær. 21., qvo nemo hac in re accuratior. Hujus discipulus MENANDER, secundam post adventum Christi hæresin MENANDRIANORUM condidit. de qva vid. Epiph, hær. 22. Sicut tertiam SATURNILIANORUM, SATURNILIUS qvidam excitavit, Epiph: hær: 23; Qvartam BASILIDIANORUM, BASILIDES, de quo Epiph: hær. 24. Qvintam NICOLAITARUM, NICOLAUS, e numero VII *Diaconorum*, postqvam Diabolo se præbuit infatuandum. Epiph: hær. 25. Sexta GNOSTICORUM ab eodem NICOLAO prodiit. Epiph hær. 26. Septimam CARPOCRATIORUM, ex omnibus prioribus erroribus conflavit CARPOCRAS qvidam Epiph. *hær.* 27. Octavam CERINTHIANORUM seu MERINTHIANORUM geminus Carpocrati CERINTHUS, procudit, Epiph: hær. 28. Nonam NAZARÆI constituunt, aliam sectam ab Judæis, Epiph. *hær.* 29. Decima EBIONÆORUM, EBIONEM portentum hominis in doctrina & moribus auctorem habet, qvi & Evangelium Matthæi corruperunt, item ψεύδες πίτρε & falsas πράξεις ἀποστόλων venditarunt. Epiph. hær: 30. fusè (*Epiphanio addendi Irenæus, de cujus interpolationibus alibi; Theodoretus* L. *V. fabularum Hæreticarum. Philastrius qvi Brixiensis fuit Episcopus & vixit anno 400. & historiam Hæreticorum ad sua usque tempora produxit, sed ad opus tam laboriosum & accuratum multum qvidem diligentiæ attulit, sed non satis eruditionis, unde sæpe aliquam doctrinam hæresin vocat, qvæ non vera hæresis est. Theodoreti qvidem labor etiam est valde laudabilis, cùm judicio & diligentiâ præcellat, vincitur tamen ab Epiphanio, qvi inexhaustus est hujus antiqvitatis Ecclesiasticæ thesaurus, cui multitudine rerum nemo potest comparari, meritoq; legendus. Quæ tamen nolim ita accipi, quasi ἀβασανίςως omnia credi debeant; non enim sine examine omnia debent arripi.*

Adde de Hæresibus & Horneji H. E.) Centuriatores Magdeb. addunt ELYMAM MAGUM Pseudo-Apostolorum, qvorum in Epistolis sacris mentio facta, Anti-Christum.

XXIII. De PERSECUTIONE ECCLESIÆ qvidam ita agunt, ut comprehendant persecutionem in ipsum Christum à vario hominum genere factam. Centur. Magd. C. I. inde exponunt, qvomodo Judæi Apostolos post adscensionem Christi persecuti sint Hierosolymis: qvomodo sub Caligula calamitas Judæis intentata etiam Christianorum multos absorpserit. Deinde qvomodo Claudius edictis sævierit, pellendo Christianos, & sub Claudio Herodes ac Judæi Christianos passim afflixerint. Alii & pleriqve qvidem Historici & Auctores, Ecclesiæ primam cruentam persecutionem numerant, qvæ sub NERONE accidit. Notus est celebris Tertulliani locus in *Apolog. primum Neronem in sectam Christianorum tum maximè Romæ orientem Cæsariano gladio sæviisse.* Tertulliani auctoritatem alii postea secuti: Eusebius in Chron: PRIMUS NERO *super omnia scelera sua etiam persecutionem in Christianos facit, in qva* Petrus *A.C.LXIX.* (sed Scaliger reponit in LXIII, Petavius in LXIV, qvi duo facile conciliantur, qvia crudelitas eodem momento non desæviit) & *Paulus gloriosè Romæ occubuerunt.* Nicephorus Callist: L. II. Svet. Ner. C. XVI. & nobilis locus Tac. XV. A. 44. qvi Christianis ansam dedit invehendi in Tacitum, ubi *molesta tunica*, qva Christiani induebantur, periphrasticè describitur. Neminis tempus martyrii testatius est consignatum, qvàm Pauli, ab *auctore vetusto*, ante Scholia Oecumenii (hinc etiam Chrysostomus ait, mortem Alexandri M. non tam certò fuisse notatam qvam D Pauli; causa est, qvia Epistolis Paulinis historia Martyrii ejusdem plerumque præmitti solebat, qvam etiam in codice nostro, cujus ad calcem N. T. meminimus, habemus,) & tamen magna adhuc reperitur diversitas in re tam diligenter observata. vid: Scaliger *animadv.* in Euseb: ad ann. 2083. (de cujus sententia nunc pronunciare non licet, sed amplius erit cogitandum) & Hornej H. E. L. 13. & Usserius Æt. mundi VII. p. 692. SECUNDUS *post Neronem* DOMITIANUS *Christianos persequitur, & sub eo Johannes Apostolus, in Pathmum Insulam relegatus, Apocalypsin vidit*; ita Euseb. in *Chron.* A.C XCV. Petavius initium refert in A.C XCIII. Eusebius ad A.C. XCVII. *Domitianus eos, qvi de genere David erant, interfici præcepit, ut nullus Judæorum regno reliqvus foret; Scribit Brutius, plurimos Christianorum*

stianorum sub Domitiano fe.isse martyrium: inter qvos & Flaviam Domitillam Flavii Clementis Consulis ex sorore neptem in Pontiam Insulam relegatam, qvia se Christianam testata sit: vid. Scaligeri notata de hac re & dissert: nostra ad Svet *Domit. §. 6.* De exsoluto Johanne exilio vide Eusеb: ad A. C. XCIIX. De persecutione tota Euseb: H. E. L. III. C. XIII. & XIV. Niceph: Callist. L. IX.

XXIV. CONCILIUM seu Synodus hoc seculo occurrit unica Conciliorum omnium norma, qvam describit Lucas Act: Apost. XV. & explicant summatim Centuriatores, Petavius in annum seculi XLIX refert & probat L. XI. Doctr. T. C. XIII. Usserius an. 53 tribuit.

V. VIRI CELEBRES, LITERÆ, ARTES, INVENTA, ET ALIA.

I. Centuriatores Magdeb: Cent. I. L. II. C. 10. vitas Doctorum Ecclesiæ & aliorum illustrium virorum laudabili industria prodiderunt; *Petri, Andreæ, Jacobi Zebedæi, Johannis Evangelistæ, Philippi Apostoli, Bartholomæi, Matthæi Apostoli, Thomæ, Jacobi Alphæi, Judæ Lebbæi qui & Thaddæus, Simonis seu Simeonis, Matthiæ, Pauli Apostoli, Marci, Lucæ, Josephi, Philippi Diaconi & Evangelistæ, Barnabæ, Agabi, Timothei, Titi, Silæ, Judæ Barsabæ, Aristarchi, Aquilæ & Priscillæ, Archippi, Alexandri, Andronici & Juniæ, Luciæ Cyrenensis, Ananiæ, Fortunati, Achaici & Stephanæ, Crispi, Chloe, Carpi Apollo, Zenæ, Artemæ, Tychici, Trophimi, Onesimi, Onesiphori, Crescentis, Epaphroditi, Epaphræ, Eubulæ, Artemillæ, Gaji, Hermæ, Mnasonis, Sosthenis, Secundi, Stachys, eorum qvorum nomine Romanos salutat, Eubuli, Pudentis, Ephodiæ, Syntiches, Eutychi, Justi, Manahenis, Philemonis, Theophili, Gamalielis, Demæ, Diotrephes, Demetrii, Platonis, Fulviani, Hierothei, Apellis, Nigri, Prochori, Nicanoris, Timonis, Parmenæ, Evodii, Aniani, Abilii, Aquilæ alterius, Eunuchi Candaces, Sanctini, Eutropii, Apollinaris, Materni, Ægistι, Hermagoræ, Dionysii Areopagitæ.* Laudabili industria digitum intenderunt ad eos, quos S. literæ aut Historia Ecclesiastica memorat, adjecta memorabili clausula: *Sed Consilio quodam nostro reliqvos, qvos hoc seculum Doctores & personas Ecclesiasticas habuisse, à Vincentio, Antonino, Bergomensi, Nauclero, Hermanno Contracto, Henrico, temporum fasciculis &c. proditum est, omnes enumerare supersedemus; tum quia non necessarias & ambiguas commemorare historias, nec utile, nec necesse est, tum quod, qui*

qui illis delectantur, ex Scriptoribus iis, quos diximus, petere possunt. (Certè nominati illi Historici multum detrimenti Historiæ Ecclesiasticæ attulerunt, dum omnia conscripserunt sine commemoratione fontium & temporum, ut mirum mihi videatur, hodienum esse quosdam, qui horum auctoritate fabulosas Historias etiamin suggestu recitare non erubescant).

II. Imperatoribus Romanis consilio, & forti opera adfuerunt; *Augusto* qvidem M. AGRIPPA, bonus militia & MÆCENAS, secretarum cogitationum particeps, quem describit Tac: III. A.30., cujus vitam eruditè descripsit Vir doctissimus Joh: Heinr: Meibomius, Archiater Lubecensis. Hujus nomen tam celebre fuit, ut ex eo schema proverbiale fieret, in cujus tamen scriptione multi tam sæpe aberrarunt, nescientes apud Græcos constanter scribi μαικήνας Fuit autem Mæcenas non tantum Politicis rebus sed & literis illustris. DRUSUS GERMANICUS & filius ejus CÆSAR GERMANICUS, Heroum nomina alibi celebrata sunt. Adde Svet: *Calig.* I. breviter sed signatè & Tac: I, II. A. Sub *Tiberio* SEJANUS celebratus est, specimen magni & præpotentis aulici apud Tac: IV. A. Dio. LVII. & LIIX. Jvit certè in schema proverbiale magni fati in aulicos incumbentis; quo pertinent scripta, Petri Matthæi Gallicum, (opus satis celebratum; sicut omnia ejus opera prudentia & eruditione excellunt, qvamvis scribendi artibus ingenium non æquet) & Baronis Enenckelii Latinum, titulo *Sejanus* (occasione casus Cardinalis Clesselii). *Caligulæ* præcipuus minister MACRO fuit, malis artibus id assecutus, ut merito pati judicaretur, qvod immerito Tyrannus, de qvo præclarè erat meritus, ei destinabat. Tacit. Dio & præsertim Philo *legat. ad Caj: & adversus Flacc:* (& nisi hæc Philonis extarent, pauca de illo Macrone nossemus). Sub *Claudio* LIBERTINI in vicem Ministrorum Status, ut hodiè appellantur, successerunt, illustres autem Viros occiderunt. Neronis Imperium magnos Viros vidit, VESPASIANUM inprimis, posteà Imperatorem, ad cujus laudem TITUS Filius succrevit. CORBULONIS ducis magnum nomen cum antiquis comparandum. BURRHUS interim præcipuus aulæ Minister, nam TIGELLINUM & cætera propudiorum nomina referre qvid attinet? Sub *Galba, Othone, Vitellio*, SVETONIUS PAULLINUS præcipuam militiæ gloriam tulit. *Vespasiano* præcipuus in gerenda Republ. adjutor fuit MUCIANUS, Tacito descriptus Hist. I. 10. Militari laude his temporibus & sub *Domitiano* floruerunt CERIALIS ET AGRICOLA v: Tacitus & Dio.

III

III. Inter Eruditos incipiemus à GRAMMATICIS. Sub *Augusto & Tiberio* vixit VERRIUS FLACCUS, de quo Svetonius L. *de illustribus Grammaticis* C. 17. Ejus fragmenta quædam collecta in *Veteribus Grammaticis* Gothofredi; meminit Eusebius ad A. C. IX. LUCIUS CRASSITIUS & SCRIBONIUS APHRODISIUS eodem tempore fuerunt. Svetonius in *Vett. Gramm.* C. 18. & 19. CAJUS JULIUS HYGINUS; Svet. *Gram.* C. 20; Supersunt liber fabularum, & Poëtici Astronomici libri quatuor; Jacobus Micyllus primus ex MSC. edidit Basileæ cum aliis Astronomis A. 1549. CAJUS MELISSUS; Svet. *Gramm.* C. 21. MARCUS POMPONIUS MARCELLUS; Svet. *Gram.* C. 22. REMMIUS PALÆMON VICENTINUS Svet. *Gram.* C. 23. Superest libellus titulo: *Ars Grammatica in Vet. Gramm.* Eliæ Putschii â pag. 1366; Meminit Euseb. ad A. C. 49. MARCUS VALERIUS PROBUS. Svet. *Gr.* C. 24; Supersunt a p. 1386. libelli II. *Grammaticarum Institutionum*: & libellus de *notis Romanorum interpretandis*: quam postremum etiam edidit Henr. Ernstius, Vir doctissimus, Professor in Academia Sorana. Meminit Euseb. Chron. ad A. C. LV. ASCONIUS PEDIANUS PATAVINUS sub *Nerone & Vespasiano* claruit; Grammaticus insignis, sicut ostendunt *fragmenta notarum* in Cic. *Orationes*, quæ habemus, aureum opusculum. (*Potest hic certè judicium lectoris acuere, omnes enim superat Grammaticos, etiam Donatum & Servium, qui ad ejus acumen & eruditionẽ non pervenerunt; stylum habet nitidissimum, qui non tam ex notis, quam orationum argumentis præfulget insigni vetustate. Scripsit & historiam, unde ap. Euseb. in Chron. ad A. C. LXXVI. extat. Q. Asconius Pedianus scriptor Historicus clarus habetur; An unus sit scriptor disputarunt Scaliger ad Euseb. & Vossius Hist. Lat. L. I. C. 27. p. 129. qui argumenta in utramque partem diligenter collegit, & Scaligero hoc concedit, quod duo fuerint Asconii, hunc tamen cum Grammatico eundem putat*). SCRIPTA IMPERATORUM GRAMMATICA vid. in Svetonii *Vitis* & ap. Vossium in *arte Gramm.*

IV. Grammaticos sequuntur RHETORES ET ORATORES. Qualia Romæ studia RHETORUM hoc seculo fuerint, v. apud Svetonium eleganter hoc exponentem *de claris Rhetoribus* L. C. 1. IMPERATORUM LIBERALITAS ET FAVOR IN HÆC STUDIA apud Svet. in *Augusto* C. 84. seqq. *Tiberio* C. 70. *Caligula* C. 53. *Claudio* C. 41. *Nerone* C. 52. *Vespasiano* C. 18. *Tito* C. 2. *Domitiano* C. 20. CERTAMINA ORATORUM vid. ap. Svet. *Domitiano* C. 4. & qui prolixius id egit Ludovicum Cresollium in

Theatro Rhetorum usque ad suam ætatem per plura secula, libello utili. Scripserat Svetonius de pluribus Rhetoribus usque ad suam ætatem, quorum memoria nunc repetenda est partim ex *Eusebiano Chronico*, partim ex Fabio Quintiliano, tum M. Seneca in *Controversiis*. Adi etiam G. J. Vossium de *Rhet. Nat. & Constit.* C. XIII. De ipso M. SENECA dictum; de quo præclarè meritus est Andreas Schottus, (*non habemus enim in hunc usque diem accuratius in ipsum scriptum*) ut & de QVINTILIANO; cujus de scriptis bene meriti sunt Angelus Politianus, splendida & gravissimâ præfatione, & Petrus Gallandius, nitida & incomparabili editione Parisiensi in fol. (*Superiori seculo de hoc Auctore contenderunt. Laurentius Valla judex in his rebus nimius fuit, & satius fuisset, ut quædam non diserentur. Quod in Quintiliano carpunt, id est, quod ab Aristotele toties discedit, quo nemo in constituendis artis Oratoriæ fundamentis diligentior fuit, à quo in Definitione, Divisione & Συνάξει dissentit, & ubi ad rem progreditur, solidum corpus elaborat, ad quod Aristoteles digitum tantum intendit. Et licet opera Rhetorica Ciceronis tam perfecta sint, ut nihil videatur addi posse, invenit tamen Quintilianus viam, qua Lectores penitius in Mysteria artis Oratoriæ introduceret. De quibus rebus pauciſſimi hodiè possunt judicare, quia pauci quoque eum accurate legerunt. Notabilis est querela A. Mureti: quod arbores fructuosissimæ vilipendantur, rami autem magni æstimentur; ad Petrum Ramum alludens, qui de plerisque Antiquis scriptoribus non dextrè judicabat. Consultant hodiè ubique de emendatione Scholarum, & methodo docendi in scholis; deplorandum autem eos Auctores negligi, qui huc quam maximè facerent, inter quos est noster Quintilianus, in quo tot Thesauri Eruditionis reconditi sunt. Hinc Principes & illi quibus in urbibus cura Scholarum demandata est, Doctoribus publicis gravissimè injungere deberent, ut Quintilianum diligentissimè evolverent, in quo nihil est ad artem Oratoriam pertinens, quod ipse non suaviter, jucundè & eruditissimis vocabulis tradiderit, quem qui non legerunt, & recentiora tantum compendia sectantur, barbaras voces adhibere coguntur, ubi elegantissimarum ex Quintiliano copiam habere possent.) De Declamationibus* Ejus (qvæ tamen non sunt unius auctoris) benè meritus est, sicut de omni literatura, Petr. Pithæus Vide omnino etiam G. J. Vossium de *Rhet. Nat. & Const. C.* 15. (*Cicero certè in operibus Rhetoricis perfectissimus est, sed per Dialogos magis sectatur amœnitates more Platonico; Quintilianus autem magis insistit disciplinæ.*)

V. In

V. In hoc seculum congruunt hi ORATORES post M. VALERIUM MESSALLAM: C. ASINIUS POLLIO, cujus aliquæ ad Ciceronem Epistolæ; vide *Dial. de causis cor. eloqv.* PASSIENUS, v. Senecam *Controv.* 13. & 34. MARCUS PORCIUS LATRO, de quo M. Seneca; ut & de TITO CASSIO SEVERO, iidem scriptores videndi. T. LABIENUS, â libertate linguæ RABIENUS dictus. SEXTUS JULIUS GABINIANUS; vid. scriptores modo laudati. ASINIUS GALLUS, Pollionis filius, cum CORNELIO GALLO non confundendus. JUNIUS GALLIO M. Senecæ filius, L. V. *controvers.* præfat. M. ASPER, CURIATIUS MATERNUS, JULIUS SECUNDUS & VALERIUS MESSALLA temporibus Vespasiani vixisse intelliguntur ex Dialogis *de causis corr. Eloqv.* PLINII JUNIORIS ætas etiam in sequens seculum excurrit. Ejus sunt EPISTOLÆ (aureum opus) multa Jurisprudentiâ refertum, nec minus multa eruditione s. varia literatura: de quibus enim argumentis ille memorabiliter non disputat? Edidit eas nuper Cl. Buchnerus, de re literaria benè meritus, ac eruditas notas addidit. Benè etiam de illis antea meritus erat pro ratione illorum temporum Catanæus; (*cujus Viri scripta non sunt accurata, pro illo tamen tempore sic satis.*) PANEGYRICUM cum notis variorum edidit Gruterus; Lipsius etiam eruditas in ipsum notas scripsit. Est hic Panegyricus incomparabilis, quem quidem omnes exprimere voluerunt secuti Panegyristæ, sed impari longè successu, de quibus suo loco.

VI. GRÆCAM ELOQVENTIAM *Claudii & Neronis temporibus intermortuam*, Eunapius ait. Augusti tempore DIONYSIUS HALICARNASSÆUS floruerat, de quo in Historicis. (*De arte Oratoria, quæ scripsit, sunt nobilissima.*) PHILOSTRATUS ille, cujus, extant duo *Iconum* libri, venustè & Atticè scripsit; (*cujus memorabile MSC. habebam, cum satis eruditis scholiis; reliqui eum in Bibliotheca Ser. Regina Svecia; Plures Philostrati fuere, de quibus suo tempore.*) DIO PRUSÆUS seu PRUSÆENSIS hæc tempora quoque attigit, ab eloquentia *Chrysostomus* dictus. (*Orator pressior & voce πολιτικὸς minimeque περίεργος.*) præclarè de eo meritus Js. Casaubonus, qui egregiam editionem edidit. Gloriatur de ejus lectione H. Grotius, quem merito inter selectiores politicos scriptores habuit. Est etiam editio Parisiensis.

VII. POETÆ LATINI huic seculo debentur in ipsa ἀκμῇ Poëseos; post VIRGILIUM qui XVI. Annos ante C. N. decessit, OVIDIUS in Exilio

moritur, annotante Euseb. Chron. ad A. C. XIIX. (*Quantus in sublimi carmine epico fuerit, testatum faciunt libri* METAMORPHOSEON, *Opus in hunc usque diem paucis intellectum, in quo admirabili inventione historiam universalem tradere voluit. Est quidem in opere Virgiliano plus forsan ingenii, at in hoc plus operæ & laboris. Certè plerisque est hoc opus inaccessum. Canterus aliquid monstravit, quantum subesset, tentarunt idem in lingua suâ quidam Galli, sed infelici conatu, non enim satis eruditionis ad hoc attulerunt. In elegiis scribendis haud dubiè est* Princeps. *Malè autem in scholis libri de* PONTO ET TRISTIUM *pueris proponuntur, qui ab ingenio Adolescentum alieni sunt, rectius explicarentur* FASTI, *qui imperfecti sunt, VI. enim tantum menses absolvit: repertus tamen est inter Gallos, Vir non ineruditus, Morisotus, qui VI. reliquos menses maxima quidem cum laude collegit ex antiquitate, sed existimationi suæ non admodum consuluit, dum suum scriptum cum Ovidii opere comparare voluit; possunt quidem ejus Versus, qui maximam partem eleganter currunt, & stylum Ovidianum, phrases & formulas referunt, etiam doctis satisfacere, si cum Ovidianis non conservantur, hoc autem si fit, semper comparebit aliquid durum, & à latinitate Ovidii abhorrescens.*) EPISTOLÆ HEROIDUM non sunt omnes Ovidii. De scriptis quæ perierunt, nunquam multa dicemus, sed ad alios ablegabimus. Sunt & in Ovidio quædam supposititia, vid. G. J. Voss. de *Poët. Lat.* C. II. p. 30. & quando de Poëtis loquimur, semper intelligendus Lilius Gyraldus, Vir doctissimus. (*Aldus de Ovidio omnium præclarissimè meritus est, nec quisquam ejus diligentiam æquavit. Dan. Heinsius suam ad Aldinam formavit. Editionis suæ nuper Nicolaus Heinsius gustum edidit, sine notis, qui undique MSt. Codd. inspexit, brevi cum notis editurus.*) HORATIUS hoc seculum non attigit, sicut & PROPERTIUS, qui *Romanus Callimachus*; Janus Dousa de eo, ac Catullo & Tibullo meritus est, nec non Wechelius quoque & Scaliger. PEDO ALBINOVANUS æqualis Ovidii, cujus supereſt *elegia in mortem Drusi*; an & altera in obitum Mæcenatis? non videtur, si conferas, illa enim longè est eruditior; Quæ scripserit docebunt Ovidius de Ponto, Marcus Seneca Svas. Martialis 2. 77. AULUS SABINUS quæ scripserit, docet Ovidius L. II. *Amor.* eleg. XIIX. & IV. de *Ponto* eleg. XVI. obiit ante Ovidium. DE TITIO SEPTIMIO, CORNELIO SEVERO, ARISTIO FUSCO, aliisque Horatio æqualibus v. G. J. Voss. *de Poët. Lat.* C. II. p. 34 &c.

&c. Lilius etiam Gyraldus adeundus. MANILIUM *Augusti* temporibus tribuit Vossius ex Jos. Scaligero in Proleg. ad Manilium, (*rejiciunt hunc quidam in seculum II. quidam in Theodosii ætatem; fortiora tamen sunt argumenta Scaligeri pro ævo Augustæo. Complexus est universam πεαγματείαν ἀστρολογικὴν, qui eum non intellexerunt, putarunt versus ipsius esse scabros, sed Poëta profecto est magni Spiritus & facundus, quod ex digressionibus apparet, optandum, ut in alio opere epico ingenium consumsisset, quam in hoc, sunt enim hæc Astrologica mera figmenta.*) Sub TIBERIO vixit PHAEDRUS THRAX, Augusti libertus. (*Scriptor eruditissimus & dignissimus, qui pueris proponeretur, est enim facilis; meriti sunt de eo Rittershusius, Douza, Meursius, Scriverius;*) Quorum nihil extat, Nomina consignant, quos dixi, Scriptores. Temporibus Domus Augustæ, quæ in Nerone desiit, scripserunt, inclinante tamen non multum eloquentia Poëtica; SENECA, cujus *tragœdiæ* non unum habent auctorem; sunt autem præstantissimæ, planè ad normam artis ab Aristotele traditæ, conscriptæ, una est *Octavia*, quæ leges artis non implet. Ediderunt Lipsius, Heinsius, Petr. Scriverius, cujus editione nihil est exquisitius, quæque omnibus aliis palmam præripit, sicut sunt omnes illius Viri labores, qui meritò inter Doctissimos hujus seculi habendus. AULUS PERSIUS FLACCUS Satyricorum obscurissimus, ut videtur, de industria, qvia animadvertebat, se plurimos læsurum, cujus vitam Tranquillus scripsit. (*Eximiæ prorsus in Persium sunt curæ Js. Casauboni, prodiit & ingens editio Parisiensium auctior cum notis variorum, & Scholiaste Cornuto.*) LUCANUS, Egregius Pöeta, (*& valdè Politicus, cui tamen viri Eruditi Poëtæ nomen abrogare voluerunt, inprimis Scaliger, quod nulla μυθολογέμενα in eo reperiantur, quæ censura tamen forsan est rigidior, vindicare laudem illius aggressus est in festivo libro de laude asini D. Heinsius*) Præclarè de eo meritus est H. Grotius, qui eum inter præcipuos amavit, & nitida atque elegantissima editione procuravit. PETRONIUS ARBITER, quantus Poëta fuerit, intelligitur ex fragmentis de *Bello civili*, quodsi ad nos perveniset, nescio quis ei fuisset præferendus, adeò magni est Spiritus & copiosæ Eloquentiæ. Scripsit & *Satyricon*, in quo dum obscœnos Rom: mores arguere voluit, ipse docuit; præclarissimè de eo meritus est Johannes Wowerius. Non autem potest commendari industria Lotichii, qui ad scriptum tam obscœnum ingenti commentario inania etiam quæque & ineptissima undique consarcinavit. SILIUS ITALICUS ab Italia Peli-

gnorum civitate sic dictus; videantur præter dicta scripta, quæ Vossius notavit in *Historicis Lat.* L. I. C. 29. (*Eruditio ejus impar fuit, ut assequeretur Majestatem Virgilii*) Laboravit in eo Domitius Calderinus, conatu & industria quam effectu felicior, quod & dicimus de Petro Larso. Ediderunt quoque Modius, Heinsius, præsertim Dousa. Sub Flavia gente occurrunt STATIUS PAPINIUS; ejus interpres Placidus Lactantius an Luctatius. (*Imitator Virgilii studiosissimus, magni Spiritus & ingenii Poëta, si quis tamen perfectam crisin instituere posset, deprehenderet, quantum in eo ad ingenium Virgilii deesset.*) Edidit eum Crucæus, indoctus homo vasto opere in IV, contra qvem Diatribam suam in Statium scripsit Doctissimus Joh. Fried. Gronovius, & famæ exordia hinc quæsivit. (*Edidit eundem Eruditus Vir Joh. Bernartius.*) CAJUS VALERIUS FLACCUS reliquit *VIII. Argonauticorum Libros*, imperfectum opus. MARTIALIS inexhaustæ eruditionis Poëta, sed obscœna multa habens, quæ resecuerunt Jesuitæ, in quos Epigramma Scaligeri exstat:

Bilbilicus Vates, qui mas audire solebat &c.

(*Hoc quidem in mores Jesuitarum verum, sed si juvenibus prælegendus, vel commendandus, spurca ista abesse possunt.*) Prodiit & ingens Editio Parisiis cum inerudito illo Langii indice. Præclarè verò de JUVENALI meriti sunt Parisienses ad cujus illustrationem faciunt scripta duo doctissimorum Virorum; Js. Casauboni Libri duo de *Satyrica Poësi Romanorum & Græcorum*, & Heinsii Comm. de *Satyra Horatiana*, ubi disputat, uter præstiterit, Horatius, an Juvenalis. *Aratea Translatio* CÆSARIS GERMANICI, non illius Herois, sed DOMITIANI, qui illud nomen sibi quoque sumsit; eruditæ in illam extant curæ H. Grotii SULPITLÆ POETRIÆ unica *Satyra* exstat. De amissis videndi Gyraldus & Vossius.

IIX. GRÆCI POETÆ in hoc seculum congruunt: DIONYSIUS ALEXANDRINUS περιηγητὴς, ἡ οἰκουμένη, qvam scripsit sic dictus, vixit Augusti temporibus, aut paulo post; Scholiastæ ejus duo sunt, unus editus, alter ineditus. Dissensus est de ætate; optima editio est H. Stephani. ANDROMACHUS CRETENSIS, MEDICUS, Poëma Elegiacum de *Theriaca* Neroni inscripsit, conservatum â Galeno. Non opus est addere, qvorum scripta perierunt, de qvibus Scriptores ante nominati videndi sunt.

IX. Ex HISTORICIS GRÆCIS, DIODORUS SICULUS non attigit hoc seculum. Commemorantur autem DIONYSIUS HALICAR-

CARNASSENSIS; de qvo vid. G. J. Vossius de *Hist. Gr.* L. II. C. 3. & NICOLAUS DAMASCENUS; V. Voss de *Hist. Gr.* L. II. C. 4. idem in Lib. de *Rat. Stud.* p. 9. vastam ejus eruditionem laudat; At hi sicut sub hoc seculum floruerunt, ita an omnino attigerint annos Christi haud æqve certum est. ATHENODORUS TARSENSIS in Philosophis memorabitur; De qvo tamen Vossius etiam *Hist. Græc.* L. II. C. 5. Hic, qvanta apud Augustum fuerit gratia, aliqvot exemplis docet Dio. STRABO scripsit IV. Tiberii Imp. anno (*magnus & nunqvam satis laudatus scriptor, vereqve πολιτικὸς, qvi solus perspexit, qvantum & prudentiæ, & eruditionis requiratur ab eo, qui regiones describere velit. Nemo certè plus eruditionis ad hanc rem attulit, ut nullam ejus partem ignorasse videatur,*) præclarè de eo meritus est Js. Casaubonus inprimis in editione posteriori, qvæ & typi splendore & commentatoris diligentia inprimis præcellit. POTAMO, Philosophiæ Eclecticæ Auctor; Voss. *Hist. Gr. L.* II. C. 7. sed non supereſt, itaque hunc & similes qui non extant, omittimus, videndos apud Voss. H. G. L. II. C. 6. 7. 8. 9. 10. PHILO, rectius fortasse in Philosophis nominandus, scripsit tamen quædam historica. V. Voss. *Hist. Græc.* L. II. C. 7. scripta ejus pleraque sunt φιλολογούμενα & βιολογούμενα; eloqventiâ est planè singulari & æmulâ Platonis; qvantum ad tractationem rerum, plerumqve allegoriis indulget sicut & Josephus. Videmus in utroqve κάλυμμα illud ἰουδαϊκὸν, qvo fit, ut omnia in similitudines & allegorias deflectant. In Philosophia plurimum vidit, cui multum etiam debet Grotius, qvi horum scriptorum studiosissimus sectator fuit. Olim præclare de eo complures meriti sunt, singulis opusculis singulatim procuratis, donec Adrianus Turnebus totum ejus opus ederet; nupera autem editio Parisiensis Græco-latina omnium est splendidissima. AUCTOR PERIPLI; Si alius est ab ARRIANO, cujus nomine circumfertur *Periplus maris Erythræi & Ponti Euxini*, Plinio æqvalis, ut putavit Salmasius v. Voss de *Hist. Gr.* L. II. C. 11. (*Diversum hunc esse ab Arriano existimat Salmasius, eò, qvod stylus hoc doceat.*) Optima editio prodiit Basileæ in fol. cum Comment. Guilielmi Stuckii. JOSEPHUS. V. Voss. *de Hist. Gr. L.* II. C. 8. (*Magna & diversa sunt magnorum Virorum de Josepho Judicia. Quantopere Josephus Scaliger ejus ἀξιοπιστίαν extulerit, notum est. De fide ejus Historica in pluribus certè non est dubitandum, quo minus tamen historici munia omnia impleverit, impedimento fuit, qvod superstitiosis suis cogitationibus semper avocaretur, qvoties res sacras tractaret; præsertim cum in frontispicio promiserit se adversum ferè sacras res expressurum, qvod qvomodo servarit, notum est; Unde Jacobus Salianus hunc*

potiſſi-

potissimum sibi examinandum & rigidioribus censuris vexandum sumsit, sæpè non sine manifesta in Josephum injuria, ut alibi ostendimus. Gelenius satis quidem laudabilem in edendo Josepho navavit operam, sed non profecit, quo destinaverat; singulari enim eruditione opus est, si quis in ejusmodi Scriptores penetrare velit. Est hodiè Parisiis Doctissimus Vir, & à quo res literaria multum sibi promittere potest, si supervixerit, qui ut coram ex ipso audivi, multa in Josephum præstabit, & loca corrupta adhuc restituet, inprimis ex Suida, qui multa ex Josepho citare solet, suppresso quidem nomine. Eruditum inprimis interpretem requirunt libri adversus Appionem Grammaticum, prout libri illi eruditione etiam præcellunt) JOSIPPUS GORIONIDES; Voss. ibid. (cui tantum non tribuendum, quantum nonnulli faciunt.) Supposititios scriptores historiæ Christianæ, PROCHORUM, de vita B. Joannis, ABDIAM BABYLONIUM, de certamine Apostolorum, LINUM, de Passione Petri & Pauli, ANONYMUM seu PRESBYTEROS ACHAIÆ, de Passione B. Andreæ. ANONYMUM, de Actis Pauli & Theclæ, CLEMENTEM ROMANUM &c. exequitur Voss. de *Hist.* Gr. L. II. C. 9. & jam supra mentio est à nobis facta. PLUTARCHUS quoque CHÆRONENSIS huic seculo congruit, & sequentis gloriam ornat; Philosophis quoque accensendus. Vossius de *Hist.* Gr. L. II. C. 10 (De stylo Plutarchi nonulli Eruditi censent eum esse subdurio rem, quod nescio an recte dicant. Non potuit autem is non esse diversus, Cum Plutarchus optimos & varios ferè describere soleat Auctores. In Philosophia non tantum laudandus est, sed planè admirabilis, quantum enim ille nobis ex antiqua Philosophia conservarit notum est, de qva si absque eo fuisset, nihil sciremus. Valdè quoque commendandus ab Eloquentia, unde Galli ejus sunt studiosissimi. Nulla enim hodie est natio, quæ æquè Eloquentiæ profluenti, ad quam natura etiam facti sunt, faveat, quam Galli, adeoque non semel Plutarchum in sermonem suum transfuderunt, ut non Viri tantum, sed & fœminæ nobiliores eum legant.) Editiones, ut tantus meretur Scriptor, sæpe fuerunt iteratæ, Aldi, Stephani, nulla autem est commodior Wecheliana & Parisina, eadem mole, sed non eadem diligentia, duobus Tomis in folio. PHILONIS BYBLII, qvam vis nulla supersint. v. Voss. *Hist. Gr.* L. II. C. 10. tamen facienda mentio, qvatenus ille ex Sanchuniathone, Scriptore Phœnicio antiqvissimo multa in Græcum convertit, ex qva versione Eusebius plurima fragmenta in aureum de *Præp. Evang.* opus transtulit & ad nos propagavit.

X

X. LATINI HISTORICI huic seculo conveniunt LIVIUS, qui obiit IV. Tiberii anno, v. Voss. *Hist. Lat.* L. I. C. 19. Opus scripsit ingens, ex qvo quantilla hodiè supereſt portio (*Historicus est omnibus eloquentiæ & prudentiæ virtutibus adornatus* LIVIUS (*quod de eo dicitur*) *Ingens, quem mea vix totum Bibliotheca capit, qvia omnes omnino Historici numeros accuratissimè implevit. Unde Lipsius turpiter lapsus est in Politic. dum ipsi inter alia falsa etiam Patavinitatem, id est sermonis quandam peregrinitatem objicit, & Historicum supinum & negligentem, non satis tersum, & ROMANUM* vocat seu LATINUM. *Desiderarem ego unicum Exemplum. Hausit hoc ex Asinio Pollione, magnorum ingeniorum æmulo, & mordaci censore. Verum, ut sæpius alibi quoque diximus, fuit Lipsius ut de literatura egregiè meritus, sic non item de Eloquentia, cum styli mysteria non satis accuratè viderit; illud autem longè est turpius, quod dum ipsi Tautologiam, quam tamen ubertatem & Synonymorum usum nec Cicero refugit, objicit, tandem dicit: quanquam mallem in descriptores derivare; quis enim quæso credat, Descriptores copiosas istiusmodi formulas addidisse, quæ certè sunt absurdissima, sed ut jam dixi, Lipsius styli mysteria non adeò perviderat, neque in lectione Auctorum de Idea aliqua styli tota admodum sollicitus erat: cui accedit illud etiam, qvod quicquid videbat diversum ab Seneca & Taeito, illud nihil existimaret, nec ipsi præter duos istos aliquid saperet, quod palati est & stomachi nauseabundi & infirmi. Quæ res occasionem præbuit H. Stephano libellum conscribendi, de stylo Lipsii, in quo rectè plerumque de eo judicat, in aliquibus tamen ei injuriam facit, sicut ipse Stephanus malus fuit Latinitatis censor, qua de re aliquid ad Herodotum diximus, in quo Auctore Stephanus multa corrigere, hoc est depravare voluit. Taubmannus in Diss. de Latina Lingua quamvis stylum Lipsianum laudet, non obscurè tamen innuit, & monet, fugiendum esse; nemo autem magis demonstravit, quantopere stylus Lipsii laboret, quam D. Heinsius in Orat. super obitum Scaligeri, ostendendo, quam turpis atque depravatus sit, nisi forsan eum acerbius traduxit. Quid etiam ineptius esse potest judicio Lipsii, quo persequitur Cæsarem & Vellejum, ut erat magis rei Romanæ, quam styli peritus. Est autem Livius juventuti præsertim ad imitandum proponendus cum Cicerone, propter ubertatem & copiam, cum reliqui scriptores stylum plerumque*

circumcidant.) Bene meritus de eo Gruterus, & Sigonius; optimè Gronovius, cujus Editio recudetur. TROGUS POMPEJUS ex parte nobis supereſt, qvatenus ſcilicet poſteà Antonini temporibus JUSTINUS *epitomen* inde deſcripſit. Vid Voſſ. *de Hiſt Lat.* L. I. C 19. (*Magnus fuit Vir iſte Trogus, eloquen ia qvoqve & prudentia ſingulari, maximum etiam opus hiſtoriæ univerſalis aggreſſus.*) Ejus verba retinuit, ut Xiphilinus Dionis, JUSTINUS, ut fragmenta apud Veteres Grammaticos teſtantur. Rectiſſimè autem ſvaſit Doctiſſimus Bongarſius ab hoc ſtudioſis hiſtoriæ incipiendum eſſe, qvi de eo etiam præclare fuit meritus; omnium optime noſter Berneggerus, ut omnia illius Viri ſunt eximia. FENESTELLÆ nihil ſupereſt, nam libellus de *magiſtratibus Romanis* ANDREAM DOMINICUM FLOCCUM *Florentinum*, hominem, ut tum patiebantur tempora, eruditum, Auctorem habet; Voſſ de *Hiſt. Lat.* L. I. C. 19. VELLEJUS PATERCULUS; Voſſ. *de Hiſt. Lat.* L. I. C. 24. (*Scriptor eſt elegans terſique oris, qui non tam quidem ad leges artis hiſtoricæ reſpexit, ſed ab eloquentia aliquid mutuatus eſt.*) Primum præclare de eo meritus eſt B. Rhenanus, Vir ingenio & induſtria magnus, de quo ſibi Alſatia noſtra merito gratulari poteſt, cujus vitulo, niſi plurimi araſſent, nunquam eò perveniſſent, quo deſtinaverant. Mirum autem non eſt, ſomnum eidem tum interdum obrepſiſſe, cum glaciem in bonis Auctoribus frangeret, unde nec valde eſt taxandus; Benè deinceps de Vellejo meritus Gerhardus Voſſius, Gerhardi Johannis Filius, cujus eruditæ in eum extant notæ, niſi quod in Germanos plerumque, imprimis in illuſtrem & venerandæ ætatis atque eruditionis ſenem Caſparum Barthium juvenis eſt iniquior, de quo plura in noſtra editione. VALERIUS MAXIMUS Hiſtoriam ſuam (1.) proponit adornamentis Oratoriis, (2.) diffiteri non poſſumus, eum moleſtius interdum loqui & ſubobſcurius, dum quæ præclarè animo concepit, non tam commode effari poteſt, ut Hieronymus de Hilario qvoque judicabat; aliàs Oratio ejus eſt latiniſſima; Objiciunt quidam, qvod ab initio ſtatim dicat, *mea parvitas*, ſed debebant meminiſſe factam jam quidem eſſe aliquam inclinationem tum â puritate latini ſermonis, ſed exiguam, cum etiam Vellejus, de quo tamen conſentiunt eſſe elegantiſſimum ſcriptorem, dicat, *mea mediocritas.* Voluit autem ſe Valerius ita ad aulam accommodare, eique placere. Hinc non difficulter intelligimus, jam tum in aula iſtusmodi formulas loqvendi viguiſſe, ſic

ut

ut nec hodie cuiqvam licet vocabula aulica subterfugere. Optimorum profectò Auctorum imitator lectorqve fuit Valerius, sed prout cujusq; est ingenium, ita etiam Stylus. Editio Colonienſis Coleri eximia fuit, in cujus notis magna est eruditio, inserta editioni etiam Wechelianæ cum notis Variorum; repetita in editione Leidenſium, qvæ cum Wechelianis editionibus auctorum nullo modo comparari possunt, in illis enim Commentatorum notæ integræ exhibentur, in his mutilatim, qvæ ratio planè probari non potest, displicuitqve, qvod certo scio, etiam Salmasio. (*Placent autem editiones Leidenses tantum propter nitorem scripturæ, æstimatione autem eruditionis parvi pendendæ, quamvis plerosq; jam scriptores ita ediderint. E.g. Schildius, homo non ineruditus Svetonium edidit cum parte notarum Casauboni, cum parte Torrentii &c. quasi vero quispiam ulla ex annotationibus Casauboni carere possit, & plerumq; eas notas omittit, quæ quam maximè requirebantur. Improbavit hoc institutum, ut dix, Salmasius, ex quo ipse auavi nec non doctissimus Gronovius. Videntur quidem illi obtendere auctoritatem magni Bernggeri, sed ipsius instituti longè alia fuit ratio, nam singulari & admirabili judicio ipse omnia non tantum ex Commentariis, sed aliis quoq; thesauris Linguarum & libris Criticis collegit & digessit, quod ipsi nunquam penetrare possunt.*) POMPONIUS MELA *Claudii* temporibus; (*Scriptor Styli brevis, sed accurati, fœdissimè autem corruptus per editores, propter infinitam varietatem nominum propriorum*). Bene meritus est de eo J. G. Vossius, qui multis annis plurima in ipsum conquisivit, multa qvoque jam pridem cura paterna in eundem reposita habuit, qvædam etiam de suo addidit. CURTIUM *Vespasiani* ævo vindicat Rutgersius in aureo & illustri *variarum lectionum* opere, (*multo plura & admirabiliora præstiturus, nisi juvenis & curis Reipubl. immixtus decessisset.*) & ex eo Vossius *de Hist. Lat.* L. I. C. 28. (*auctor Politissimus, qui plane aurium judicio satisfacere vult, & in eo Livio superior, qvi generosior & securior est hac in Parte, neq; numerorum rationem tam accuratè, qvam Curtius observat, qui latinissimus auctor est, & perfectissimæ eloqventiæ. Coincidit hic quoque judicium Lipsii, qui putat eum militaris tantum prudentiæ laude eximium esse, qvem tamen certum est omnia aulæ Mysteria tradere, refutavit judicium Lypsii Eryc. Puteanus duabus Orationibus.*) In editione Curtii non omittenda diligentia Raderi Je-

ſuitæ, ſine tamen dubio omnes ſuperat editiones, Freinshemiana, qvæ brevi notis auctior, & indice locupletiori, qui tum feſtinanter ſcribebatur, prodibit. PLINIUS MAJOR VERONENSIS *Hiſtoriæ Naturalis ſcriptor, Neronis* ævo clareſcere cœpit, ſed inprimis ſub *Veſpaſiano & Tito*. Videnda aurea Epiſtola Plinii junioris L. III. ep. 5. de ejus exitu & operibus; v. Voſſium *Hiſt. Lat. L. I.* C. 30. (*Multum hic ſcriptor paſſus eſt injuria temporũ, qvæ plurima nobis invidit ex illâ Hiſtoria: deinde non potuit non vitioſiſſime deſcribi, propter rerum varietatem infinitam, & nominum ignotiſſimorum copiam, hinc hactenus ſemper inacceſſus fere fuit. Dalechampius in hunc diem ſolus videri poteſt bene de eo meruiſſe, fecit is, qvantum ingenium & tempora patiebantur: poſtea multi viri docti aggredi voluerunt Plinium, ſed magnitudine operis aliorumq; ſubſidiorum inopia impediti deſiterunt. Salmaſius ſe hoc factorum promiſit, ut non ſemel ex ipſo audivi, & certe Exercitationes ejus in Solinum*, Plinii ſimiam, *oſtendunt diligentiſſimum ipſum fuiſſe ejus Lectorem, hinc & non ſemel eum gratulantem audivi, multos forſan quædam in ſtylo ſuo tanquam illatina traducturos, quæ ex Plinio, ſcriptore aliis parum trito, ſumſerit. Sed mortuus poſtea eſt Salmaſius. Mare ligniſſimum de incomparabili ſcriptore ferri ſolet judicium in Gymnaſiis, præſertim ab imperitis Doctoribus, qui eum juventuti nunquam viſum, inviſum reddunt, quem nec ipſi legerunt, nec unum caput in eo intellexerunt, quaſi Plinius ſit pater omnium fabularum & mendaciorum, propterea qvod multis herbis & plantis quandam vim adſcribit, quæ hodie in ijs non deprehendatur; quaſi vero nomina plantarum non variè fuerint immutata ab unius ejusdemq; ſpeciei plantæ in diverſis regionibus id non præſtent, qvod & Medici Doctiſſimi hodiè agnoſcunt. Idem judicium experiri cogitur Herodotus in quo ſæpè ut mendacia exagitant, quæ ſunt certiſſimæ veritatis; e. g. ſcribit ille, formicam Indicam magnitudine æquare ovem, qvod veriſſimum eſſe teſtatur nobiliſſimus Vir Busbequius, qui talem vidit in aula Ottomannica, dono ab Rege Perſarum miſſam, qvod in hiſtoriam ſuam qvoq; intulit Thuanus; Unde Henricus Stephanus non tam ſerio, quam feſtivo & eleganti libello ſermone Gallico Apologiam ſcripſit pro Herodoto. Sed redeamus ad Plinium, in cujus Præfationibus, præterquam qvod totum opus eſt incomparabilis theſaurus, & integra Bibliotheca, perfectum Oratorem agnoſcimus, Philoſophum in toto opere, antiquitatis in primis*

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn746330790/phys_0072
DFG

nis peritum; nemo certe repertus est, qvi in Oceanum illum tantopere se immerserit. Quid mihi acciderit cum hoc Auctore non dissimulabo, quod nec aliàs facere soleo, ut alii commoneantur; cum in juventute audissem hunc Scriptorem tantopere proscindi, minus quoque eidem favebam, sed postquam accuratius eum legere cœpissem, admiratio ipsius me semper subiit.) TACITUS, v. Voss. *de Hist. Latin. L. I. C.* 30. Ætas ejus ultra hoc seculum excurrit; (*Alibi nos plura de Tacito diximus, hic non repetenda. Adeò autem judicia iniqua sustinuit hic Historicus, ut Muretus etiam, magnus ejus amator, æstimator & interpres, cum Romæ interpretando susceptisset, maximo Doctissimorum Virorum confluxu, in eo agnovetit aliqvam horriditatem, salebrosa qvædam & tesqvas, qvod falsum esse, jam notum est, si excipimus loca corrupta, in cæteris enim egregia conspicitur* συμμετρία. *Omnium autem minimè audiendus est Casp. Scioppius, omnium magnorum ingeniorum obtrectator, de qvo illud verum fuit in re literaria, quod de Ismaële dicitur, qvod omnium manus contra ipsum, ipsius manus contra omnes fuerit. Hic Tacito omnem laudem adimere conatus est, qvem tamen ipse ne capiebat quidem, nihil autem est ineruditius quam Tacitum propterea cavillari, quod in eo vocabula qvædam reperiantur, qvæ apud Ciceronem & alios non leguntur, qvantum enim ille habuit ex omnibus Auctoribus, qvorum studiosissimus est imitator, qvos nos hodiè desideramus? De fide ejus supra disputavimus. Illud autem planè nihil est, qvod sensent Tacitum à juventute non legendum, eò qvod nil nisi de flagitiis & sceleribus scribat, qvæ accusatio aliqvem locum habere posset, si flagitia dominationis commendaret, sicut hodiè Machiavellus & Machiavellistæ, seu Pseudopolitici vitia tanqvam virtutes commendant, qvæ contra Tacitus nominibus suis appellat ac infamat, officium boni Historici facit. Qvi ergo ita disputant, suum potius seculum accusant. Qvantopere optandum esset, ut hodierni Politici ad exemplum Taciti & Aristotelis scapham appellarent scapham!*) Primam editionem debemus B. Rhenano, alteram palmam meretur Lipsius, qvi ingenium hujus Scriptoris planè pervidit, qvamvis ferè in correctionibus audacior interdum sit pro more Criticorum, qvi sæpè depositò pignore jurare audent, Auctorem ita scripsisse, ut ab ipsis fuerit correctum. Qvâ de causa etiam Hippolytus à Collibus Consiliarius Palatinus, Lipsio aliàs amicissimus, eum exagitavit edito libello & con-

ficto nomine Pompeji Campugnarii, in qvo finxit in Codice Mirandulano omnia aliter legi, qvam Lipsius correxisset; Cum igitur Lipsius nesciret, qvomodo res illa haberet, pro certo autem haberet, in Italia nullum alium Codicem MSC. esse, qvam Florentinum, quo ipse usus est, edidit Librum cui tit: *Dispunctio codicis Mirandulani*, sed Hyppolytus fabulam deinde ipsimet detexit, quæ omnia ingenti illi editioni Parisiensi inserta sunt. Absurdissimus ineptissimus & indoctissimus est Commentator Taciti L. Aurelianus, cujus *cogitationes*, ita enim librum inscripsit & *monumenta* ne plumbea quidem sunt, & putidissimis ineptiis plenissima; mirum autem imperitos nostros Galliæ peregrinatores hæc nihilominus admirari interdū. Ex Italis egregiè Commentario suo in Tacitum insanivit Hannibal Scotus, cujus opus judicio Lipsii in Epistolis posthumis rectè vocatur plumbeum, in quo homo indoctissimus difficilia & πολυπικώτατα transilit, ea autem quæ in superficie posita sunt etiam omnibus obvia fusè annotat. De iis historicis, quæ nominetenus tantum exstant, Vid. Voss. *Hist. Lat.* L. I. à C. 19. ad 30.

XI. Qui JURE CONSULTI, in hoc seculum referendi sint, annotavit Jacobus Gothofredus satis diligenter in *Manuali Juris p. 29. & 30.*

XII. MEDICOS illustres recensēt Gerh. Joh. Voss de *Philos.* C. 12. è quibus supersunt primi seculi scriptores, CASSIUS, dequo habentur *Problemata de animalibus*, & SCRIBONIUS LARGUS, Medicus eruditissimus, de quo bene meruit nupera editio Joh. Rhodii, Viri & amici nostri magni, adjectis accuratissimis & doctissimis notis, sicut is est in Medicina, nec non in Philologia & omni literarura versatissimus, cui optamus, ut vitam perducat ad alia quoque edenda. CORNELIUS CELSUS Scriptor Latinissimus, ut non tantum Juris Consulti sed & Medici gloriari possent se habere ejusmodi auctorem, qui purissimè scripserit. Pollicetur eundem idem Rhodius, qui aliàs sæpius editus est, celebres autem sunt editiones Parisienses & Veneta.

XIII. Subjungendi PHILOSOPHI. ATHENODORUM TARSENSEM Stoicum Philosophum ad A. C. XVI. refert Eusebius in *Chron.* cui Philosopho plurimum Augustus obedivit, sicut constat ex Dione Lib. LII. & LVI. Nihil ejus extat. THEONEM SMYRNÆUM, æqualem faciunt Plutarcho, cujus Arithmetica & alia supersunt Ismaëli Bulialdo Viro doctissimo, & amice magno, edita cum

ta cum doctissimis notis; vid. Gerh. Joh. Voss. in erudito Tractatu *de Scient. Mat.* C. X. §. 3. sed fortasse rectius in sequens seculum refertur. Recensent hic etiam NICHOMACHUM GERASENUM & ARISTIDEM QVINTILIANUM (*cujus opus est perfectissimum & in Bibliotheca nostræ Academiæ MSC. extat, sed & in aliis Bibliothecis quamplurimis, unde etiam minus corruptus est.*) MUSICOS SCRIPTORES, Plutarcho facit æqualis Marcus Meibomius editor, Vir eruditissimus, qui unam partem Musicorum jam edidit, alteram ab eodem speramus. (*Fuit autem Musicæ antiquæ ratio multum absimilis à nostra, qva in re imperitum se ostendit Vir aliàs in Mathematicis maximus, quo nomine merito ipsum coboneſtamus, Athanasius Kircherus in Musurgia Universali, ubi simul prodidit, se Græcæ linguæ minus gnarum fuisse, quod in nullo opere ita deprehendere licuit quam in hoc; Hinc etiam Meibomius coactus fuit, ut in præfat: errores Kircheri notaret.*) In editione SENECÆ Lipsius omnium curam supergressus est; Repetit ejus editionem Doctissimus Fr. Gronovius subjunctis eruditis notis; de stylo Senecæ verissimè judicavit Gellius, quem dum refutare constituit Lipsius, ultra, quam fas est, excessit, neque Eruditionem Gellii perspexit. Rectè etiam de eo judicavit Quintilianus, modestissimè Tacitus, in quo id occurrit, quod supra de stylo Velleji & Valerii Maximi diximus, eos stylum ad formam composuisse aulicam. COLUMELLA etiam huc refertur; editur plerumque cum reliquis rei rusticæ Scriptoribus, Palladio, Varrone; optime de eo est meritus Jos. Scaliger. VITRUVIUM Doctissimum scrtptorem præclarè doctissimis notis ornavit Castilionius, recudit Joh. Laët. in fol. & præclarè ipse etiam de eo meritus, qui & alia adjecit. SEXTUS JULIUS FRONTINUS sub Vespasiano, Tito, Nerva, Trajano floruit; de quo meritus est præclarissimè Pet. Scriverius.

XIV. ARTES EXERCENDI CORPORIS petuntur ex Svetonii Vitis *Imperatorum* quando ostendit tum varias exercitationes corporis, tum spectanda & ludos. Adde Senecæ Ep. 15. Hieron. Mercurialem, Medicum Italum doctissimum de re *Gymnasticâ*. Petri Fabri opus aureum ἀγωνιστικῶν. Onufrium Panvinium de *Ludis Circensibus*, Lipsium in *Saturnalibus*.

XV. PICTURA non floruit apud Romanos, sicut discere licet ex

Plin

Plinio L.XXXV. C. 4. de Musica agon Citharistarum testari potest apud Svetonium in *Nerone*. 20.21.

XVI. De MIRO ARTIFICE, qui manibus suis confractum vitrum reposuit seu reconcinnavit, vid. Dio L. LVII. pag. edit. Wechel 617. ubi etiam de invidia Tiberii in eum. VITRUM DUCTILE refertur inter deperdita, de quibus Pancirollus in erudito Tractatu.

XVII. MEMORABILIA ALIA PRODIGIA ET OSTENTA diligentius qvam opus erat Lycosthenes collegit. FAMEM Romæ ingentem annotat Eusebius *Chron.* num, MMXXII. *ut quinq; modii venderentur denariis XXVII. semis*, quod pretium augent Græci. vide Scaligerum in *Animadv.* p 179. a. Apud eundem Eusebium num. MMXXVII. ponitur: *Augustus cum Tiberio filio suo* CENSUM *Romæ agitans, invenit hominum non ingesies tercentena millia.* Qvæ immanis summa merito corrigitur â Scaligero l.c p.180. ex fragm. lapidis antiqvi, ubi CAPITUM. QVADRAGIES. CENTENA. MILLIA. TRIGINTA. ET. SEPTEM. annotantur. Adde Casaubonum notis ad monumentum Ancyranum, & Lipsium de *magnit. Romæ*. Ulterius memorat Eusebius num. MMLX.; *inter Thoram & Theraſiam exorta est* INSULA *habens stadia XXX*; de Chronologia disquirunt Scaligeri *animad. versiones p.191.* Sed locus hic ejus rei casibus eventibusq; celebris; vide exempla ibidem. Exemplum hujus seculi est, qvando A. *1638. â Julii Kalendis in Eidus ita cœpisse eructare Vulcanum non admodum procul ab insulâ S. Michaêlis, qvæ Azorum seu Terceranum una est, & qua mare quidem altum est brachiis centum sexaginta, ut inde efformata fuerit Insula longitudinis trium Leucarum, latitudinis sesquileucæ, altitudinis sexaginta brachiorum* refert Petrus Gassendus *Physicæ* sect. 3. membro priori, L.1. C.6 p.50. diligentissimè in causas inquirens. De PHOENICE, qui anno hujus seculi 34. in Ægyptum venerit, annotatio Taciti per digressionem insignis valde est, VI. A. 28. vid: Salmasium *Exercitationibus Plinianis ad Solinum* p. 550. & 551. ac Ulyssem Aldrovandum in *Ornithologia*, qui huc omnia ex Historicis, Poëtis, Oratoribus, Philosophis conduxit, & recto judicio avibus fabulosis annumerat, putatque confundi cum Semendâ ave Indica, cujus sententiam docti plerique sunt amplexi. Aliter autem sensisse Patritium Junium, supra diximus.

SECULUM II.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn746330790/phys_0076
DFG

SECULUM II.

I. CHRONOLOGIA.

I. PRIMUS hujus SECULI ANNUS est periodi Julianæ 4814. â C.N. CI. Trajani Imp. Quartus, U.C. 854. Consulatus Trajani 4. Olympiadis 228. primus.

II. ULTIMUS SECULI id est CC. â C.N. ANNUS est Periodi Julianæ 4913. Severi Imp. XI. U.C. 953. Olymp. 244. qvartus.

III. De EPOCHA HADRIANI Imperatoris ex Ptolomæo movetur quæstio, cujus Canonem Imperatorum vitiosum ostendit Petavius L. II. *De Doctrina Temporum* C. 22; brevius in *Rationario Temporum* P. II. L. 4. c. 6. de EPOCHA ANTONINI idem disquirit *De Doctrina Temporum* L. II. C. 23.

II. ROMANA.

I. Postquam Imperator TRAJANUS, de quo seculo superiore, anno hujus seculi XVII in expeditione mortuus esset 4. Id: Aug. Coss. Quintio Nigro & T. Vespasiano Aproniano, successit eodem anno ÆLIUS HADRIANUS & imperium tenuit annis 21. m. 10. mortuus A C. 138. Nomen privati erat: P. ÆLIUS HADRIANUS; Imperatoris: IMPERATOR CÆSAR DIVI TRAJANI PARTHICI FILIUS DIVI NERVÆ NEPOS, TRAJANUS HADRIANUS AUGUSTUS. Magnus vir fuit sine dubio, sed bonis malisque artibus mixtus; multum Trajano debuit Imperatori, sicut Spartianus (*in quem exquisitissima & eruditissima quædam conscripsit Vir magnus & de hâc Republ. optimè meritus, utinam ea recuderentur*;) diligenter ostendit; habuit enim non modo propinquum, sed Tutorem, Magistrum, Patronum, â quo à teneris provectus per omnes honorum gradus, tandemque adoptione ad spem successionis vocatus est. Pacis fuit perstudiosus, finesque Imperii angustiores fecit, quos Trajanus ultra Euphratem extenderat. Clementiam in novo Imperio & pietatem ostentavit in Trajanum, inprimis modestiam singularem erga Senatum præ se tulit; excusans acceptum â militibus potius quam Senatu imperium, honores & titulum Patris patriæ repudians, Senatorios census supplens, optimos quosque de Senatu suo contubernio admovens, dignitatem Senatoriam extollens, eorumque auctoritatem in judiciis amplificans. Sed & apud omnes ordines gratiam colligere annisus, liberalitate plurimos demeruit, debita remisit, privati modo dies cujusque solennes frequen-

tavit, convivio interfuit & balneis. Exteris quoque humanus, vel habuit socios amicosqve vel fecit. Literis præstitit, Poëmatum & literarum omnium studiosissimus, (Spartiano teste) Arithmeticæ, Geometriæ, Pictutæ peritissimus, psallendi qvoq; & canendi scientiam præ se ferebat. Libros â se conscriptos sæpe libertis publicandos alieno nomine tradidit; Amavit genus dicendi vetustum, controversias declamavit; Ciceroni Catonem; Virgilio Ennium; Sallustio Cælium prætulit; Professores artium honoravit & ditavit, quosdam ut inhabiles à professione dimisit. Fuit & plebis jactantissimus amator, in colloquiis etiam humillimorum civilissimus; detestans eos qui sibi hanc voluptatem habenti, quasi servantes fastigium Principis; inviderent; peregrinationis cupidissimus. Assessores in judiciis habuit non amicos tantum sed & JCtos probatissimos. Liberis proscriptorum duodecimam bonorum concessit; Majestatis Crimen non admisit. Ignotorum hæreditates repudiavit, nec notorum accepit, si filios haberent. De thesauris æquissima constituit. Servos â Dominis occidi vetuit, eosq; jussit damnari per Judices, si digni essent, neque lenoni & lanistæ servum vendi permisit, nisi præstita (*i.e Judici probata*) causa. Decoctores bonorum suorum, si ad tutelam suam perveniissent, catomidiari (vox hybrida ex κατ' ὤμους τύπτεσθαι) in Amphitheatro jussit; lavacra pro sexibus separavit. Si Dominus in domo interemptus esset, non de omnibus servis quæstionem haberi contra consultum Silanianum ap. Tac. 14. A. 42; sed de his, qui per vicinitatem poterant sentire, præcepit. Ædificator fuit, nam in omnibus pene urbibus ædificavit ludosque edidit; Unde plura de spectaculis magnificè & diligenter editis annotantur. Inter opera ejus murus est in Britannia per 80000. passuum ductus dirimendis â Romanis Barbaris. Apud Nemausum Basilicam in honorem Plotinæ uxoris opere mirabili exstruxit. Multa quoque restituit & amplificavit; ut *Pantheum*, *Septa*, *Basilicam Neptuni*, *sacras ædes plurimas*, *Forum Augusti*, *Lavatrum Agrippæ*, eaqve omnia propriis & Veteribus nominibus (*contra quam fecerat Trajanus*, *qui ubique erasis veterum Dominorum nominibus suum inscribi jussit*, *unde & herba parietaria appellatus fuit*, *quod per omnes parietes serperet*;) consecravit. *Colossum* solidicavit; civitates de suo nomine plures dixit; ut & aquarum ductus. Memoria ad miraculum processerat; Uno tempore scripsit, dictavit, audivit & cum amicis fabulatus est. Omnes publicas rationes (Rechnungen)

ita

ita complexus est, ut domum privatam quivis Pater diligens non plus norit. Libertos coërcuit, neque magnos & gratiosos esse voluit. Ab epistolis & libellis primum equites Romanos habuit. Jus sæpe dixit & laboriosè etiam in provinciis. Quatuor Consulares per omnem Italiam Judices constituit. Disciplinam Romæ diligenter tenuit, togæ honore servato. Quanquam autem expeditiones sub eo graves nullæ fuerunt, bella etiam silentio penè transacta, (excipiendum est bellum cum desperatis Judæis, ut gestum Ducibus Julio Severo & Marcio Turbone, de quo Eusebius H E IV. 6. Scaliger ad num. Eusebiani Chron. 2147.) tamen armorum peritissimus fuit, & rei militaris scientissimus, militem, quasi bellum immineret, exercens, tolerantiæque documentis imbuens, & ipse quoque inter manipulares vitam militarem magistrans, cibis etiam castrensibus in propatulo libenter utens, h. e. lardo, caseo & poscâ. Siquidem ipse post Cæsarem Octavium disciplinam incuria superiorum Principum labantem retinuit, ordinatis & officiis & impendiis, sicut fusè describit Spartianus. A militibus propter curam exercitus nimiam multum amatus est: Sicut quoque in eos liberalissimus fuit. Speciosa hæc in laudibus ejus, sed parum sincera, quod diligenter monstravit Spartianus. Nam & naturam crudelem nec inter initia imperii occultare potuit; quatuor Consularium interfector, & delatores procuratoribus specie justitiæ exercendæ immisisse creditus est, neque uxoris occisæ suspicione caruit. Erga Eruditos sui & prioris ævi malignus & invidus fuit. Eruditiorem se ferre non potuit; hinc jocus Phavorini, celebris Philosophi, reprehensi â quibusdam, quod Imperatori verbum optimum intempestivè corrigenti cesserit, dicentis: *eum utique doctiorem se esse, qui* XXX. *legiones habeat.* Flagitia in Viros illustres perpetrata insidiosis congiariis redimere instituit, ingratus iis, quorum opera provectus erat; amicorum calumniator & insidiator, quibus tuendis minimè constantem se præbuit. Etiam ob quæ malè audiebat, ut faceret, decreto Trajani mandata sibi esse simulabat, Voluptatibus quoque fœdatus est parum probo obtentu; Uxori concubinas objicienti rescripsit: *An nesciret, nomen uxoris dignitatis esse, non voluptatis*, voce satis improba; Jam Antinoi pueri amor quantum infamiæ habuit? quem puerum pro Hadriano devotum Spart. C. XIV. scribit, (*de quo devotionis genere nullus clarior in antiquitate extat locus, quam Dionis L. 53. ubi quidam Paccuvius Augusto se conseravisse dicitur*) quem & muliebriter flevit. Mors misero & votis frustra vocata; sub ipso tamen mortis tempore & Servianum 90. annos

agentem, ne sibi succederet, mori coëgit, & ob leves offensas plurimos jussit occidi, nisi Antoninus eos conservasset. Invisus ergo omnibus decessit, cum vixisset annos 72.m 5.d.17. In mortuum à multis multa sunt dicta. Acta ejus Senatus irrita fieri volebat, nec appellatus esset DIVUS, nisi Antoninus rogasset. Hæc ex Spartiano ferè, Nobilissimis Commentariis ab Is. Casaubono & Salmasio illustrato; cui addendus est Xiphilinus L. 69. Aurelius Victor, Eutropius L. 8. Svidas in voce *Hadrianus*. Notentur inprimis verba Spartiani c. 14 de hoc Imperatore. *Idem severus, lætus, comis, gravis, lascivus, cunctator, tenax, liberalis, simulator, sævus, clemens & impius in omnibus varius*; Ut mirum sit, quid Clarissimo & Doctissimo Ruperto in mentem venerit, quod contra Trajanum tantis laudibus eum extollat; vide Heidmannum in *Cæsaribus* ab Historicæ veritatis vestigiis non declinantem. Vitia certè Trajani omnia habuit Hadrianus, atque iis plura, Virtutibus impar fuit, in quibus nihil sinceri. Forsan movit Rupertum persecutio Trajani in Christianos, quæ ipsum invisum reddidit.

II. Hadriano successit ANTONINUS PIUS A C. CXXXIIX. qvem adoptaverat hoc ipso anno, ingravescente valetudine, postquam Ælius Verus anno superiore adoptatus (de qvo Spartianus peculiariter) diem obierat. Adoptionis lex fuit: *ut qvemadmodum Antoninus ab Hadriano adoptabatur, ita sibi ille adoptaret M. Antoninum fratris uxoris suæ filium, & L. Verum, Ælii Veri, qui ab Hadriano adoptatus fuerat, filium, qui postea Verus Antoninus est dictus*; Qvemadmodum etiam Augustus Tiberium adoptavit hâc lege, ut ipse posteà Germanicum adoptaret. Fuit autem hic Antoninus Pius (verbis Capitolini) *vir forma conspicuus, ingenio clarus, moribus clemens, nobilis vultu & placidus, singularis eloqventiæ, nitidæ literaturæ, præcipuè sobrius, diligens agricultor, mitis, largus, alieni abstinens & omnia hæc cum mensurâ & sine jactantia; in cunctis postremo laudabilis, & qvi merito Numæ Pompilio ex bonorum sententia comparatur.* Totum nomen est TITUS ÆLIUS CÆSAR HADRIANUS ANTONINUS; addidit Senatus cognomen PII (*de qvo disputant; Inditum autem illi credimus propterea, qvia singulari pietate prosecutus est Hadrianum & vivum & mortuum.*) Per omnes honorum gradus æqvabili laude progressus. Hadriano semper in consultando mitiori sententia præivit. Memoriam Hadriani omni cultu honestavit; ab eo damnatos tamen conservavit; ut & provectos ab eo constanter fovit. Britannos per Lollium Urbicum vicit, Mauros ad pacem postulandam adegit

adegit, Germanos & Dacos & multas gentes atque Judæos rebellantes contudit per præsides atque legatos. In Achaia etiam & Ægypto rebelliones repressit; Alanos sæpe refrænavit; Tributa modeste exegit; Civilis admodum, ut nihil per internuncios ageret; Senatui multum detulit, à qvo & PATER PATRIÆ appellatus est; Omnia & omnes qvasi sua curavit. *Qvadruplatores* exstinxit, bona raro publicari passus est; in victu, opulentia sine reprehensione, parsimonia sine sordibus excelluit. Salaria multis subtraxit, qvos otiosos videbat accipere, dicens: *nihil esse sordidius imo crudelius, quam si Rempublicam arroderet, qui nihil in eam suo labore conferret.* Sedem imperii non reliqvit; Liberalitatem ejus congiarium populo, militibus donativum datum ostendit. Multas etiam civitates adjuvit pecunia, ut opera vel nova facerent, vel vetera restituerent, ita ut Magistratus etiam adjuvaret & Senatores urbis ad functiones suas. Hæreditates eorum qui filios habebant, repudiavit, vini, olei & tritici penuriam per ærarii sui damna emendo & gratis populo dando sedavit; Opera qvædam nova fecit; alia restituit aut amplificavit; Auctoritas ejus apud exteras gentes maxima; quod mirum in amatore pacis, qui diceret cum Scipione: *malle se unum civem servare, qvam mille hostes occidere*; Humanus, lenis, amicorum suorum amicus; Rhetoribus & Philosophis per omnes suas provincias & honores & salaria detulit; Bonus Legislator, & JCtis illustribus familiariter usus est; Intra urbes mortuos sepeliri vetuit; Periit anno ætatis 70. imperavit annos 22. m. ferè 8. Scripserunt res ejus Julius Capitolinus, Xiphilinus, Dio, Aurelius Victor, Eutropius, Svidas, Zonaras qvem rarius nominamus, qvid enim habet proprii? nam pleraqve ex Dione descripsit. Ex qvibus satis commode & contextè conscripsit Heidmannus.

III. Seqvitur MARCUS ANTONINUS à *Pio* jubente *Hadriano* adoptatus, qui vulgo, nulla fide historica (sicut Casaubonus in animadvers. ad Spartianum primus docuit) cognominatur PHILOSOPHUS, nisi quod in omni vita Philosophantem Virum non tam cognominaveris, quam dixeris Philosophum; Cum præsertim illud Platonis semper in ore ferret: (v. Capitolinus C. 27.) *Florere civitates, si aut Philosophi imperarent, aut Imperatores philosopharentur.* Apud Ægyptios civem se egit & Philosophum in omnibus studiis, templis, locis. (Capitol. C. 26.) sed & scripsit opus Φιλοσοφικώτατον, de quo suo loco. Imo factis, moribusque magis etiam philosophatus est, quam verbis, suique exempli honore proventum Philo-

sophorum seculo gratificatus est, notante Herodiano L. 1. C. 2. Non repetam h. l. historiam ejus, Capitolino τῷ βιογράφῳ Xiphilino. L. 71. Eutropio L. 8. Victori, Svidæ, Zonaræ, Orosio, traditam. Sed brevi Elogio Herodiani qui L. 1. c. 4 mirificâ brevitate extrema hujus Principis repetendo, summam vitæ exhibuit defungar. Cum consensu civitatis post mortem laudatum refert πατέρα χρηστὸν *parentem bonum*, ἀγαθὸν βασιλέα *probum Principem*, γενναῖον στρατηγὸν *constantem & fortissimum Ducem.* Præceptores ejus & studium in Philosophia singulare totamque educationem nobilem, rudimenta etiam profectusque in Republica, tum clementiam, civilitatem animi, res bello feliciter gestas, historia abundè prædicat. In Republica novum fuit, quod statim ab initio imperii fratrem sibi participem in imperio destinarit; Capitolinus L. 7. quem L. UCIUM AURELIUM VERUM COMMODUM appellavit, CÆSAREMQVE ATQVE AUGUSTUM dixit; atque ex eo pariter cœperunt Rempublicam regere. (*quem Verum imperasse cum Antonino annis XI. dissaribus tamen moribus Capitolinus refert in vita* VERI C. *ultimo*) Dedecori fuit tanto Principi FAUSTINÆ Uxoris tanta impudicitia & libido, quæ à Messalina Claudii parum distabat. Cœpit Marcus imperare A. C. CLXI. decessit in Pannonica expeditione A. C. CXXC. U. C. 933; Cum imperasset annos 19. d. 11. atque ex iis 8. ferè cum VERO, ut Petavius putat. Tam boni Principis nomen placuit in exemplum laudati regiminis Antonio Guevarræ Episcopo Mendonensi, & Cæs. Caroli V. Consiliario qui Castiliana s. Hispanica lingua *Horologium Principum* edidit, in plures linguas transfusum, de quo Ger. Joh. Vossius vir doctissimus *Vita illa nihil Antonini habet: sed tota est supposititia, ac genuinus ipsius Guevarræ fœtus; qui turpiter os oblevit lectori, plane contra officium hominis candidi maximè Episcopi*, L. 2. C. 14. *de Hist. Græc.* (*paulo inclementius; noluit enim Guevarra librum suum pro monumento Historico, sed morali tantum venditare, iisque, quæ ex historia Antonini vera desumsit, monita politica addere, ad eum modum, sicut Cicero de Xenophontis Cyropædia judicat: librum illum non tam ad modum historiæ, quam ad effigiem boni Principatus & probi Regiminis scriptum esse; quod genus scribendi Gallis hodienum arridet; editus est ab illis* ALEXANDER, *in quo præterea, quæ in historicis habentur, multa ei tribuuntur, quæ nunquam acciderunt, quia Ideam Principis repræsentare voluerunt sub titulo* ALEXANDRI. *Illo autem tempore quo vixit Guevarra, genus scribendi, quod ipse sectabatur, elegans, floridum, sententi-*

tentiosum, valde probabatur, Petarchæ etiam usitatum.) Moderatius de Gvevarra scripsit, ipsiusque scriptum vindicavit Doctiss. & Graviss. JCtus Conr. Rittershusius in præf. *Speculi Principis civiliter boni*, quod ex historia hujus *Marci Antonini* diligentissimè concinnavit, & in eo officio & politici & historici functus est. Rebellavit contra hunc tam bonum & Virum & Imperatorem Avidius Cassius bonus militia, quique res in Armenia Arabia & Ægypto præclare gessit; inimicus singularis imperii meritoque suspectus, cum jam Vero pararet insidias; sed indulgentia Marci confirmata ejus audacia est, ut se Imperatorem in Oriente appellaret; A. C. CLXXV interfectus est post 3. menses mox ab exercitu, una cum Marciano Alexandriæ Præfecto, consorte rerum novarum. Lenitas Marci reprehensa, quam ita excusavit: *Se invenire nullum Principum interfectum esse, nisi qui fuerit flagitiosus ut Nero, vel insigni aliquo vitio notatus, ut Galba propter avaritiam*; propterea sibi nullas insidias posse strui existimavit. Incautius autem facit Christ. Adam. Rupertus, qui Faustinam facit consortem & adjutricem conjurationis, secutus Xiphilinum; sed Latini potius sequendi, inter quos Capitolinus eximiè eam defendit. Hæc omnia Vulcatius Gallicanus L. peculiari, quem de Avidio Cassio fecit, tum qui res Marci scripserunt, exequuntur.

IV. Optimum Parentem excepit Filius degener, & inter Tyrannos fœdissimos cruentissimosque nomen proditurus. Is est LUCIUS AURELIUS COMMODUS ANTONINUS, qui Patri successit anno ætatis 19. A. C. CLXXX. U. C. 933. tenuitq; imperium in annum Christi CXCII. U. C. 945. quo conspiratio Marciæ pellicis, Læti & Electi dignum suis facinoribus exitum fecit, meruitque *hostis humani generis* judicari. Statim ab initio abdicatis amicis, adulatoribus se totum permisit & voluptatibus. Inde Perennis, qvem præfecerat prætorio, occasionem insidiandi captans proditur, pœnasque conatuum pendit. Neque sublevatur Respublica, succedit enim Cleander, vitiorum similitudine Commodo insinuatus, qui & ipse interficitur. Utriusque interitus multis clarissimis Viris per suspicionem tyranni exitii causa fuit. Is interim per licita & illicita fœdatus, cum muliebrem luxum & Heroîcam gravitatem juxta affectaret, jaculandique & subinde gladiatoriæ artis ostentatione Principis nomen dehonestaret, magnamque multitudinem Virorum & fœminarum illustrium occidere uno ictu pararet, præventus occisusque est; Sicut amplius describunt Lampridius in vita, Xiphilinus L. 72. Herodianus

rodianus L I. (*omnium accuratissime; inter quem & Lampridium siquis comparationem facere vellet, animadverteret, quid interfit inter institutum τῶν βιογράφων & Scriptoris Pragmatici, qualis est Herodianus; Unde vehementer nonnulli erraruntqui Herodianum βιογράφον accensere voluerunt, cum Scriptor sit omnibus bonis historici virtutibus adornatus.*) Videndus quoque Eutropius, ex quibus concinnavit Heidmannus & egregiè præstitit, ideoque nolo actum agere.

V. Initio A C. CXCIII. U.C. 946. P. HELVIUS PERTINAX septuagenario major ad imperium vocatus est, quod non potuit tres integros menses tenere, cum corruptam Commodi flagitiis Rempublicam disciplina salubri emendare, & militum præsertim licentiam & ignaviæ assvetorum mores coêrcere instituisset; (*Oneravit eum id fatum, quod Galbam prægravavit, hic enim Neroni successit, sub quo milites licentius agere consueverant, ipse autem fuit gravior & severior.*) Optimorum Principum imitator, nisi quod restrictior visus est esse & parcior. vid. de eo Capitolinus in Vita, Eutropius, Xiphilinus L. 73. Herodianus L. II. usq; ad C 6.

VI. Tum vero venum exponitur â militibus Prætorianis imperium, qvod licitatur, emitque DIDIUS JULIANUS pessimo exemplo, invisus ob id populo, neq; imperium nisi 2. mensibus, diebus 5. gesturus. PESCENNIUS NIGER enim in Syria, audita hac re â militibus Imperator salutatur, & hoc exemplo L. SEPTIMIUS SEVERUS, Leptitanus Afer apud Pannonicos Illyricosque exercitus; Hic autem consilio & manu præstantior Romam properat; Cujus adventu audito, Julianus occiditur decreto Senatus, qui & Imperatorem Severum declarat. Ille imperium â vindicta Pertinacis orsus, milites prætorianos exauctorat, rebusque in urbe ordinatis, exercitum adversus Nigrum in Syriam ducit: Clodium Albinum autem qvi in Britannia interim imperium arripuerat, nomine *Cæsaris* jam per Commodum oblato, ad societatem imperii subdolè pellicere nequicquam contendit. Et Niger quidem victus, Antiochiaque quo confugerat capta, ad Euphratem properans quoque occiditur. Inde A. C. CXCIV U. C. 947. Byzantium, quod Nigri partibus studuerat, post obsidionem triennii capitur, & libertate mulctatur. Sequebatur A.C. CXCVII. U. C. 950 expeditio in Albinum eodem anno, & finitur in sequente, cœso apud Lugdunum Albini exercitu A.C. CXCIIX. U.C. 951; ipseque victoriam in amicos Albini crudeliter exercet Severus, nobilitatque spectaculis, congiario donativo. Severus inde A.C. CXCIX. U.C. 952.

U. C. 952. In Parthos expeditionem Suscepit, & interjectis aliquot annis, CC. & CCI. U. C. 953. 954. in Britanniam, cum filiis, & ibi moritur A. C. CCVII. U. C. 960.; cum imperasset annos 17. m. 8. d. 3. Magna fuit animi ingeniique vi, manu consilioque juxta strenuus, adversus Rempublicam felix, domi infaustus. Hæc quamvis seculum egressa, conjungenda fuerunt, de quibus videndi Spartianus in *Didio Juliano* & in *Severo*, itemque *Pescennio Nigro* & Capitolinus *in Clodio Albino*. Xiphilinus L. 73. 74. 75. 76. Herodianus L. 2. & 3. Aurelius Victor, Eutropius, & qui semper hic subintelligatur, Heidmannus in eruditissimo opusculo *de Cæsaribus*, (*optandum longius eum provexisse, ad cujus exemplum, ubi is desinet, nos vitas Cæsarum diligentius subjiciemus.*)

VII. Maxima pars hujus seculi vidit REMPUBLICAM ROMANAM florentem & valentem sub bonis Imperatoribus, ultimum demum tempus reduxit prioris seculi tragœdias, bellisque Civilibus ac cædibus, tum flagitiis Principum inhorruit. Adeundi autem sunt fontes historiæ, & requirenda aliqua suis locis, posteâ videantur etiam Juliani Apostatæ *Cæsares*. (*Edidit eos Petrus Cunæus Nobilis Jctus Belga, & in præfatione magnificentissimis laudibus extulit Julianum, in quem propterea atrociter incurrit Dionysius Petavius, editor operum Juliani; At Cunæus laudavit in Juliano tantum virtutes militares, eloquentiam, prudentiam &c; nam in Tractatione Reipublicæ cum optimis Principibus comparari potest; persecutiones autem excepit, ob quas merito infamatus est, inprimis à Gregorio Nazianzeno;*) Libellus quidem est Satyricus, sed in quo multa vera latent, non invenit tamen Julianus, quod objiceret Antonino & Marco, ideoque domestica tantum carpit. Inveni tamen in quibusdam MSC. alium titulum χρόνια seu *Saturnalia*.

IIX. LEGUM hoc seculo latarum mentio hæc habetur apud Historicos. HADRIANUS AURUM CORONARIUM Italiæ remisit, in provinciis minuit. Spartianus C. 6. Conf. Capitolinus in *Antonino Pio.* c. 4. (*aurum coronarium primo dicebatur, quod victoribus à victis donabatur, ut ex multis locis, præsertim ex erudita annotatione Servii ad IIX Æneidos versum 720. constat: postea latiori significatione appellatum fuit, quod Cæsaribus gratulationis ergo offerebatur, quâ de re amplius egit Carolus Paschalius in exquisitissimo opere de* Coronis: *Denique adhuc latius significatio illa se diduxit, ut aurum coronarium diceretur, quicquid Principi dabatur ob*

adoptionem novi Cæsaris vel natos liberos, vel aliis de causis; cognoscimus autem ex hoc loco certam fuisse summam constitutam auri cononarii.) DAMNATORUM BONA in fiscum privatum redigi vetuit, omni summa in ærarium publicum recepta. Spartianus C. 7. (*Ærario enim Principum bona damnatorum cedebant, quod fiscum appellabant, sicut ærarium publicum κατ' ἐξοχὴν ærarium, qua distinctione etiam utitur Plinius in Panegyrico.*) LIBERIS PROSCRIPTORUM duodecimas bonorum concessit. Spartianus C. 18. Constituit inter cætera, ut IN NULLA CIVITATE DOMUS ALIQVÆ transferendæ ad aliam urbem ullius materiæ causâ DIRUERENTUR. Spartianus C. 18. (*nimirum diruebantur domus ignobiliorum urbium, ad exstruenda nova ædificia, haud dubie ex ambitione Magistratuum provincialium.*) De THESAURIS ita cavit, ut si quis in suo reperisset, ipse potiretur, si quis in alieno, dimidium Domino daret, si quis in publico, cum fisco æqualiter partiretur. Spartianus C. 18. vid. Grotius de J. B. & P. Libro II. C. 8. n 7. qui & hanc constitutionem in notis citat. SERVOS à Dominis occidi vetuit, eosque jussit damnari per Judices, si digni essent. Spartianus c. 18. LAVACRA pro sexu discriminavit; Spartianus c. 18. JUDICUM sumtus constituit, & ad antiquum modum redegit. Spartianus C. 22. (*hæc res quidem sæpè fuit emendata, sed nunquam satis coërcita.*) VEHICULA cum ingentibus sarcinis urbem ingredi prohibuit. SEDERI in equis in civitatibus non sivit; Spartianus C. 22. (*Simile quippiam hodiè habent Amstelodamenses, apud quos & alias Belgarum civitates cautum est, ne stratæ plateæ gravioribus vehiculis corrumperentur.*) Ante octavam horam neminem in publico, nisi ægrum, LAVARI passus est, ad côercendum luxum. Spartianus C. 22.

IX. ANTONINUS PIUS. QVADRUPLATORES exstinxit. Capitolinus C. 7 (*ostendit Cicero egregie in Orat. pro Roscio olim curvis concessum fuisse accusare alterum, sed postea delatorum protervia valde crevit.*) Primus constituit, ne pœnæ causa LEGATUM relictum maneret; Capitolinus C. 8. vid. quoque Grotium; POENAS in Hæredes non derivandas esse; si quos repetundarum damnavit, eorum liberis bona paterna restituit, ea tamen lege, ut illi provincialibus redderent, quod Parentes acceperant. Capitolinus C. 10. Intra urbes SEPELIRI mortuos vetuit. Capitolinus c. 12.

X MARCUS ANTONINUS PHILOSOPHUS LIBERALES CAUSAS seu de libertate ita munivit, ut primus juberet apud præfectos

ærarii

ærarii ſummi unumquemque civium natos liberos profiteri, intra tricesimum diem nomine impoſito; Capitolinus C. 9. (*Lenones enim inſidiabantur ingenuis quoque hominibus eosque ſubtractos in ſervitutem afferebant, cujus licentiæ exempla annotat Plautus, & nos ad Adelph: Terentii. Plautus illos plagiarios vocat feles virginarias.*) Per provincias TABULARIORUM publicorum uſum inſtituit, apud quos idem de ORIGINIBUS fieret, quod Romæ apud Præfectos ærarii, ut ſi forte aliquis in Provincia natus cauſam liberalem diceret, teſtationes & documenta inde ferret; atque hanc totam legem de ASSERTIONIBUS firmavit, aliasque de MENSARIIS & AUCTIONIBUS tulit; ibidem; de STATU DEFUNCTORUM intra quinquennium quæri juſſit. Capitolinus C. 10. (*multis enim annis poſt mortem ſæpe quæſitum fuit, an aliquis fuiſſet liber & ingenuus, licentiæ igitur huic metam definirit; didicit hoc autem à Tito apud Suetonium* C. 8.) FASTIS dies judiciarias addidit, ita ut 230. dies annuos rebus agendis litibusque diſceptandis conſtitueret; Capitolinus C. 14. (*fiebat enim ut lites in immenſum creſcerent, quia diebus nefaſtis judicia exercere non licebat.*) PRÆTOREM TUTELAREM primus fecit, cum ante Tutores à Conſulibus poſcerentur, ut diligentius de Tutoribus tractaretur. De CURATORIBUS verò, cum ante non niſi ex Lege LÆTORIA vel propter laſciviam vel propter dementiam darentur, ita ſtatuit, ut omnes adulti Curatores acciperent, non redditis cauſis idoneis; Capitolinus C. 10. Cavit & SUMTIBUS PUBLICIS & calumniis QVADRUPLATORUM interceſſit, appoſita falſis delatoribus nota. Capitolinus C. 11. (*Hoc etiam à Tito didicit, qui notam literæ K. calumniatoribus inuri juſſit.*) De ALIMENTIS PUBLICIS multa prudenter invenit; Capitolinus c. 11. GLADIATORIA SPECTACULA omnifariam temperavit. Capitolinus C. 11. Temperavit etiam SCENICAS DONATIONES, jubens, ut quinos aureos Scenici acciperent, nec plus exigerent, ita tamen, ut nullus editor etiam 10. aureos egrederetur. Capitolinus ibid. Leges etiam addidit De VICESIMA HÆREDITATUM, de TUTELIS LIBERORUM, de BONIS MATERNIS, it. de FILIORUM SUCCESSIONIBUS pro parte maternâ, utque Senatores partem quartam in Italia poſſiderent; Capitolinus C. 11. Jus autem magis vetus reſtituit, quam novum fecit. Capitolinus ibidem. Tunc à tempore peſtilentiæ ANTONINI (MARCUS ET VERUS) leges SEPELIENDI ſepulchrorumque aſperrimas ſanxerunt; quandoquidem caverunt, ne, uti quis vellet, fabricaret ſepulchrum; Capito-

linus C. 13. Idem MARCUS SEDERI in civitatibus vetuit IN EQVIS seu VEHICULIS Capitolinus C. 23. Lavacra mixta submovit; ibidem; De COMMODI legibus tacet historia.

XI. PERTINAX QVÆSTIONEM MAJESTATIS penitus sustulit cum jurejurando; Revocavit etiam eos, qui deportati erant crimine Majestatis, eorum memoria restituta, qui occisi fuerunt. Capitolinus C. 6. Cum Commodus allectionibus innumeris prætorios miscuisset, Senatus-Consultum Pertinax fecit, jussitque eos, qvi præturas non gessissent, sed allectione accepissent, post eos esse, qvi verè Prætores fuissent; Capitolinus C. 6. Lex in DELATORES lata; Capitolinus C. 7, Prætera Legem hanc tulit, ut TESTAMENTA priora non prius essent irrita, qvam alia perfecta essent, neve ob hoc fiscus aliqvando succederet; Ipseqve professus est, nullius se aditurum hæreditatem, qvæ aut adulatione alicujus delata esset, aut lite perplexa, aut legitimos hæredes & necessarios privaret, addiditqve Senatus-Consulto hæc verba: *Sanctus est P. C. inopem Rempubl. obtinere, quam ad divitiarum cumulum per discrimina atque dedecoris vestigia pervenire*; Capitolinus C. 7.

XII. SEVERUS in itinere Palæstino plurima jura fundavit. JUDÆOS fieri sub gravi pœna vetuit; idem etiam de CHRISTIANIS sanxit; Deinde Alexandrinis jus BULEUTARUM (h. e. *Senatorum Jus publici consilii habendi*) dedit, qvi sine publico consilio, ita ut sub Regibus ante vivebant, uno judice contenti, qvem Cæsar dedisset, erant. Multa præterea his jura mutavit; Spartianus C. 17. SALVII JULIANI decreta iussit aboleri, qvod tamen à Senatu non obtinuit; ibidem De EDICTO PERPETUO Hadriani Imp. auctoritate à Salvio Juliano Jcto condito, vid: Jacob. Gothofredi *Manuale Jur.* & *annot.* ad XII. Tabulas.

XIII. Et hæ sunt leges ab Historicis memoratæ; sed qvæ in *Pandectis* memoria legislationis Imperatoriæ hujus & præcedentis seculi supersunt, tum qvæ Constitutiones Imperatoriæ in *Codicem* sint relatæ, diligenter consignaverunt *indices* juris varii Jacobi Labbitii, Antonii, Augustini Wolffgangi Freimonii; ex qvibus concinnata est editio optima Genevensis anno 1585. (*qui liber à Bibliopolis deberet recudi, si proborum librorum majorem curam haberent: repræsentantur in eo accuratissime omnes legislationes per singula tempora, unde actum agere nolo. Liber est non tantum studiosis Juris utilissimus, sed & quibusvis aliis historia & antiquitatis studiosis. Editio Jenensis D. Schmuckii non tanti est, quia est mutilata, dum leges tantum habentur in Pandectas, non in Codicem relatæ.*

II. SECULI

II. SECULI. III. EXTERNA.

I. IN ASIA TRAJANUS *Osroenos, Arabas, Bosporanos, Colchos in fidem accepit. Seleuciam, Ctesiphontem, Babylonem occupavit & tenuit. In mari rubro classem instituit, ut per eam Indiæ fines vastaret.* Ita Eusebius ad A.C. 103 Sed hæc gesta in annum usque Christi CXV. excurrunt, quo cognomen PARTHICI tulit. Deficientibus subinde aliquibus, Duces, Lucium & Maximum immisit. AGARENORUM urbem frustra tentavit ipse, propter crebra fulmina, cumque defectionem Parthorum cognovisset, relicto in Syria Hadriano, in Mesopotamiam ipse iter parans Selinunte Ciliciæ oppido periit. Qvæ omnia diffudit in historiam Dio L. 68. sicut *Xiphilini Epitome & Theodosii* cujusdam *excerpta monstrant; (de Editione Dionis obiter monemo, nobiliores qvidem esse Stephanicas; Henricum tamen Stephanum Dionem Græcè solum edidisse, nec non Xiphilinum post eum cum versione Xylandri; quia verò non tantum Xiphilinus sua ex Dione exscripsit, sed etiã quidam Theodosius, (qvæ etiam causa est, cur Dionis nomine veniat historia Xiphilini) ideo postremam editionem Wechelianam Francof. Dioni Xiphilinum & Theodosium subjunxisse, memorabili & notabili industria)* Addendæ etiam Jos. Scaligeri *Animadversiones* in Eusebium, ubi ex veterum nummis aliisque monumentis hæc illustrat. (*Nam qvantum ad demonstrationes Chronologicas, nihil majoris est auctoritatis, quam nummi antiqui & ædificia, ex quibus Scaliger multa eruit. Et latet sane ingens & incomparabilis thesaurus antiqvitatis in illis animadversionibus Scaligeri, licet aliqvando etiam errarit, qvod illi ostenderunt, qvi inprimis in ejus errores invigilarunt.*) IUDÆOS in Mesopotamia tumultuantes Lucius Trajani Dux aggressus est; qui & in Cypro occidione occisi, ut eo vel tempestate delatis appellere capitale esset. Dio L. 68. Eusebius *Hist. Eccl.* L. IV. c. 2. At Trajani successor HADRIANUS cum PARTHIS statim pacem fecit, iisqve Armeniam, Assyriam, Mesopotamiam &c. à Trajano adempta reddidit, vel amore pacis, vel qvod terminos Imperii ab Augusto designatos servare vellet, vel mobilitati Parthorum parum fideret. Spartianus §. 9. 13. Dio. 68. Petavius de *Doctrina Temporum* II. 21. & 22.; Iterata in Orientem profectione Parthorum motus colloqvio repressit. Post aliqvot annos A.C. CXXIII. iterum in Asiam venit, Toparchas & Reges ad amicitiam invitavit, inque his Chosrôen, venientes benigne excepit. A. C. CXXVII. & SEQQ. ANTIOCHENSIBUS offensus, Syriam à

Phœnice separare voluit, ne tot provinciarum Metropolis Antiochia haberetur. A.C. CXXIX. Hierosolymis instauratis ÆLIÆ CAPITOLINÆ nomen imposuit, colonia eò deducta A. 130; Qvare indignati Judæi, qvos ante Tinius Rufus præses compescuerat apud Eusebium ad A. C. CXIX. primò occultè defectionem moliuntur, post discessum autem Hadriani aperte tumultuantur Duce Cocheba, seu Barchocheba, qvos aggressus Julius Severus singillatim contrivit. Scriptores modo laudati videndi, & Eusebius in Chron. ad A.C. 135. BELLUM JUDAICUM quod in Palæstina gerebatur, finem accepit, rebus Judæorum penitus oppressis; Ex qvo tempore etiam introeundi Hierosolymam licentia ablata, primum Dei nutu, sicut Prophetæ vaticinati sunt, deinde Romanis interdictionibus, ubi de tempore belli omnino Scaliger videndus. Uno tamen qvotannis die, scilicet qvando olim â Tito capta erat urbs, licebat ingredi ad lamentandum; unde fabula de lapide excavato. Sicut amplius ibidem ostenditur â Scaligero in eruditissima animadversione, in qva ex veteribus monumentis memorabili industria egît de illo interdicto. Interfecta traduntur hoc bello Judæorum DLXXXM. v. Dio & Eusebius Hist. Eccles. L.IV. C. 6. PHARASMENES Iberorum Rex Alanos concitavit in Romanos, qvos Flavius Arianus Cappadociæ Præfectus A.C. CXXXVI. repressit. Pharasmanes ipse Romam profectus veniam & regnum impetravit; Dio 69. A. C.CLXII. sub M. ANTONINO PHILOPSOPHO VOLOGÆSUS PARTHORUM DUX bellum movet, in qvem missus Verus per Statium Priscum, Avidium Cassium, & Martium Verum rem bene gerit; Qvatuor annis Babylonia & Media penetrata & Armenia vindicata; unde triumphant de Parthis Imperatores A.C. CLXVI. Capitolinus in *M. Antonino* c. 8. & 9. Nomen ARMENIACI & PARTHICI utriqve partum; ibidem. Audita Cassii rebellione A. C.CLXXVI. Marcus in Orientem profectus est, Cassioqve interim interfecto, res Orientis ordinavit; Capitolinus *in M. Antonino* c. 26. & 27. BELLA CIVILIA qvoqve Nigri & Severi Orientem concusserunt, sicuti petere licet ex Scriptoribus supra laudatis, cum Romana annotarentur. Sed & SEVERUS PARTHOS & ADIABENOS superavit, ARABESQVE interiores ita occidit, ut regiones eorum Romanas provincias faceret. Ob qvod PARTHICUS & ARABICUS & ADIABENICUS cognominatus est; v. Eusebius Chron. ad A.C.CC. de qvibus nominibus nobilem inscriptionem affert Josephus Scaliger ad A.C.CXCIIX. Annotat Eusebius JUDAICUM

CUM & SAMARITICUM bellum motum, cujus hiſtoria ignota; Videndus Scaliger.

II. In AFRICA JUDÆI Cyrenenſes Andrea Duce infando furore correpti Romanos Græcosqve promiſcuè concidunt, eorumqve carnibus veſcuntur ac viſceribus A. C. CXV. Quosdam ſanguine oblinunt & pellibus induunt, quosdam etiam ſerra medios diſſecuere, alios beſtiis ſubjicere aut inter ſe depugnare coëgerunt, ita ut interierint ad CCXXM. A. C. CXVI. Nec melius in ÆGYPTO Duce Lucua res geſta eſt, ut & Cypro, Artemione Duce ubi ad CCXLM. deſiderat; dicuntur, repreſſi autem ſunt à Marcio Turbone & Quieto Luſio aliisqve, qvos Trajanus miſerat Ducibus; Dio 68. Euſebius L. IV. H. E. c. 2. HADRIANUS Roma in Africam profectus ac multum beneficiorum provinciis Africanis attribuit. Spartianus C. 13; in Ægypto Antinoum amittit. idem 64.

III. In EUROPA & ab initio hujus ſeculi A. C. CII. & CIII. celebris fuit expeditio TRAJANI adverſus DECEBALUM Dacorum Regem rebellantem, qvi deſperatis rebus ſua manu cecidit, Dacia in formam Provinciæ redacta. Dio 68. Inſigne opus fuit PONTIS, lapide in Danubio ſtructi qvod deſcribitur ibidem. (*Viſitur hic pons in nummis & lapidibus; opus fuit planè admirabile. Deſtruxit poſteà pontem Hadrianus, in cujus utraque parte validiſſima præſidia conſtituit Trajanus, ne Barbari Regiones Romanas invaderent. Hadrianus autem putavit fortè præſidia illa facilè vinci poſſe, & hoſtibus ſervire, partem tamen aliquam reliquiæ operis admiratione, ex quo pilæ quædam* (Joch) *diu ſteterunt.*) Hic Hadrianus cum SARMATIS & ROXOLANIS tumultuantibus in Mæſiam profectis pacem iniit, impoſito Pannoniæ Daciæq; Marcio Turbone, homine bellicoſo. Spartianus. c. 6 Inde ad luſtrandas orbis Romani provincias profectus, primò in GALLIAM & GERMANIAM, deinde in BRITANNIAM tranſit, ubi murum duxit celebrem, per LXXXM. paſſus; Redux in Gallos A. C. CXXI. poſtea HISPANIAM petiit. Spartianus in vita & Dio. 69. Ad BELLUM MARCOMANNICUM ubi M. Antoninus cum L. Vero profectus eſſet, ad funus tamen Veri in itinere mortui curandum Romam reverſus eſt. Subinde A. C. CLXIX, adverſus Quados bellavit. Cum ſiti exercitus conflictaretur, Chriſtianorum precibus pluviam impetravit, (teſte Euſebio in Chronico ad A. C. 174. qui addit: *Extant literæ M. Aurelii graviſſimi Imperatoris, quibus illam Germanicam ſitim Chriſtianorum fortè militum precationibus impetrato imbri diſcuſſam conteſtatur;*

statur; Latinæ scilicet, quarum meminit Tertullianus *Apologetici* C. 5. vid. omnino Scaliger *animadversionibus* ubi egregia habet testimonia; Dio mago Ægyptio tribuit, qvem Xiphilinus refutat L. 71. & in eam rem se diffundit, ac ad literas Imperatoris provocat, & optima testimonia profert v. Eusebius *Hist. Eccl.* L. V. C. 5. Capitolinus c. 24.) ac fulmen de cœlo extorsit. Ubi *Animadversiones* vide Casauboni & Salmasii; (*Dum verò inter partium studia hæc res trahitur, dubia fuit reddita.*) Secuta est nova expeditio Marci in triennium adversus Marcomannos; Hermunduros, Sarmatas; Capitolinus c. 22.; in qva expeditione mortuus est; COMMODUS autem filius & successor compositis rebus revertitur domum A. C. CXXCI. Dio lib. 72. Herodianus lib. I; Lampridius in vita. BELLUM BRITANNICUM sub Commodo Ulpius Marcellus confecit, qvod inprimis describit Dio L. 72: A. CXXCIII. HISPANIAS qvoqve GALLIASQVE sub Commodo Maternus populatur. Herodianus L. 1. A. C. CXXCIIX. ALBINUS apud Lugdunum in Gallia vincitur A. C. CXCIIX; NUMERIANI Grammatici factum apud Xiphilinum clarum habetur. In ultimum seculi annum PARTHICA expeditio & captivitas CTESIPHONTIS urbis congruit, de qvibus laudati Scriptores.

II. SECULI. IV. ECCLESIASTICA.

HOc seculo propagata jam per orbem Christiana Religione MIRACULA RARIUS, SCRIPTA FREQVENTIUS edebantur, & industria magis, qvam ê cœlo immediatè Doctoribus Ecclesiæ eruditio obtingebat. Ab his diligenter propugnabatur Christiana Veritas contra inimicos Veritatis, sicut Eusebius H. E. L. IV C. 3. 12. inprimis ostendit. Qvæ fuerit RATIO CONGRESSUUM ECCLESIASTICORUM ET CELEBRANDÆ EUCHARISTIÆ ab Apostolis accepta, JUSTINUS M. præsertim Apolog. 2. reliqvit explicatum, qui locus in antiquitate est incomparabilis; Ex qvâ frustra præsidium Calviniano dogmati Cl. Hottingerus captat. *Hist. Eccl.* L. I. p. 83. seqq. (*Mirari possit aliqvis, cur vir tam doctus ex Justino patrocinium qværere velit, qvod sine maxima Patris illius injuria fieri nequit. In Dialogo cum Tryphone dicit: Nos sumere panem & vinum in recordationem nativitatis, mortis, passionis &c. Christi; Ergo realem & substantialem præsentiam corporis & sanguinis negat, quæ hæc est consequentia? mirari licet, qvam crassè argumentetur.*) Est autem hic Scriptor Studiosæ juventuti, præsertim Theologiæ Studiosis maximo-

maximopere commendandus. Cum hoc præstantissimo Doctore etiam ATHENAGORAS, TATIANUS, THEOPHILUS ANTIOCHENUS, IRENÆUS, CLEMENS ALEXANDRINUS, TERTULLIANUS, & qvorum scripta desiderantur, PAPIAS ET APOLLINARIS Hieropolitani, QVADRATUS, ARISTIDES, HEGESIPPUS, DIONYSIUS CORINTHIUS, AGRIPPA, MELITO SARDENSIS aliiqve pugnabant; (de qvibus Hieronymus in *Catologo*) Contra ETHNICOS, suarum superstitionum antiqvitatem, ut autumabant, novitati veritatis Evangelicæ, qvam criminabantur, objicientes; Contra JUDÆOS, rituum suorum abrogationem ægrè ferentes, & Messiam exhibitum neqvicqvam expectantes; contra HÆRETICOS, vel plures Deos, vel plura rerum Principia introducentes, vel divinitatem Christi impugnantes, sicut postea nominatim mentio fiet. (*Hujus enim seculi hæretici ad hæc duo capita referri possunt.*) Qvi propagationem Evangelicæ doctrinæ in variis terrarum tractibus describunt, (inter qvos etiam est Arnoldus Meermannus in *Theatro Conversionis Gentium* & Chronicarii diversarum gentium,) nulla antiqvitatis monumenta proferunt, sed sibi citra auctoritatem aliorum credi volunt. Talia sunt etiam qvæ *Chronicon Colonienſe* de Materno & XV. Patritiis Romanis, fama Materni in Germaniam pellectis, per qvos Religio Christiana etiam hoc seculo sub initium incrementa cœperit, ex Genealogicis commentis affert; Tum *Annales Trevirenſes* Kyriandri & de Argentoratensibus rebus Ecclesiasticis Konigshoferus, qvi superiore jam seculo Petri adhuc viventis honori dicatum refert templum, qvod hodieqve dicitur *ad Seniorem Petri*, idqve ab ipso Materno, Alsatorum, Trevirensium, Colonienſium, 30. per annos Episcopo; (in qvo dissentit *Chron. Colonienſe*) At Marianus Scotus obiisse Maternum notavit A. C. CXXIIX Episcopatus sui 40. (à XV. *illis Patriciis Rom. deducere etiam volunt antiquitatem Patriciatus Colonienſis, sed nomina ipsa non sunt Romana, verum originis Germanicæ, atque ut dictum est, videtur iste Chronicarius secutus esse fabulas genealogicorum, qui dum familias scribunt, omnia à Romanis originibus arcessere volunt, & in eo nihil pensi, nihil delecti habent; qvin ad tempora etiam antediluviana nonnullas origines referre audent, ut meritò detestabiles istiusmodi homines* Pontus Heiderus, *aliique graves Viri aver-*

sentur. Nulla certè antiqvitas nobilitatis ultra 800. annos extendi potest. Konigshoferum nondum editum nugatorem facile prodit hujus seculi indoles, nam primo illo seculo nulla templa adhuc Apostolis inprimis vivis fuerunt dedicata. Chronicon autem Colonienſe videtur quidem *scriptum esse à Viro non malo, sed non satis cauto & labe illorum temporum infecto; miratur ille, quomodo doctrina pura conservata fuerit post Maternum, cujus nulli successores memorantur.*) Meliori fide & eruditione in ECCLESIÆ BRITANNICÆ ORIGINEM, qvæ in tempora *Antoninorum fratrum* refertur, inqviſivit Jac. Uſſerius in memorabili & nunqvam ſatis laudato opere *de Antiquitatibus Britann. Eccl.*

II. Solet Euſebius SUCCESSIONEM PRÆCIPUARUM ECCLESIARUM EPISCOPORUM ponere; qvod & continuatores ejus ſecuti ſunt. (*Sunt hæc talia diligenter evolvenda ad Synchroniſmos juvandos & refutanda commenta Baronii, qvæ ſæpè ad abſurdum redigi poſſunt.*) HIEROSOLYMÆ ergo Epiſcopi hi tribuuntur huic ſeculo; (*Nam huic Eccleſiæ prærogativa tribuenda eſt, quod & Patres interdum faciunt quibusdam rationibus; certè nihil præclarius dici poteſt, quam qvod ex Sion prodierit Salus &c. quæſi de Romana Eccleſia dicerentur, quid non clamarent* Pontificii?) *Simoni* filiô Cleopæ crucifixo ſuccedit *Juſtus*. Euſebius ad A. C. CIIX. in *Chron.*: *poſt Juſtum Eccleſiæ Hieroſolymitanæ Epiſcopatum quartum ſuſcepit Zacchæus*; *Poſt quem Quintus Tobias, cui ſuccedit ſextus Benjamin ac deinde Septimus Johannes. Octavus Matthias, in cujus locum nonus conſtituitur Philippus.* Id. ad A. C. CXII. *Hieroſolymis decimus poſt Philippum conſtituitur Epiſcopus Seneca*; *Poſt quem Undecimus Juſtus, cui ſuccedit duodecimus Levi*; *poſt quem tertius decimus Ephres*; *Quartus decimus Joſes*; *Quintus Decimus Judas. Hi omnes usque ad everſionem, quam ab Hadriano perpeſſa eſt Jeruſalem, ex Circumciſione Epiſcopi præfuerunt.* Id. Chron. ad A. C. CXXV. *Hieroſolymæ primus ex gentibus conſtituitur Marcus, adeò Deus videtur odiſſe gentem Judaicam, ut eorum nullain Eccleſia poſtea*

postea sit futura memoria,) cessantibus his qui fuerant ex Judæis. Idem ad A. C. CXXXVI: *post Marcum Septimus Decimus suscepit Episcopatum* **Cassianus**, *post quem octavus decimus* **Publius**, *cui succedit nonus decimus* **Maximus**, *vicesimus* **Julianus**, *Vicesimus primus* **Cajanus**, *Vicesimus secundus* **Symmachus**, *Vicesimus tertius* **Gajus**, *Vicesimus Quartus* **Julianus**, *Vicesimus quintus* **Capito**, Eusebius ad A. C. CLVII. *Vicesimus sextus ordinatur Episcopus* **Maximus**; *post quem vicesimus septimus* **Antoninus**; *Vicesimus Octavus* **Valens**; *Vicesimus nonus* **Dolichianus**, *tricesimus* **Narcissus**, *tricesimus primus* **Dius**, *tricesimus secundus* **Germanio**, *tricesimus tertius* **Gordius**, *tricesimus quartus rursum* **Narcissus**. Idem ad A. C. CXXCVI; Addit autem: *Tantis apud Hierosolymam constitutis Episcopis non potuimus discernere tempora singulorum, eò quod in præsentem diem Episcopatus eorum anni minimè servarentur.* Narcissi porro tempus excurrere putatur in seqventis seculi annum XXIII. adde Eusebii Hist Eccl. L. IV. & V. & Centur. Magd. II. c. 10.

III. ROMANORUM EPISCOPORUM Seriem apud antiqvos variam hoc qvoqve seculo, vide apud Blondellum in *Pseudo-Isidoro* ad Clem. Epist. I. p. 41. Addemus qvædam ex recentioribus, & dissonantias ostendemus ex tribus principibus historiæ Pontificiæ, Baronio, qvi Annales scripsit, Onuphrio Panvinio, qvi huc omne studium & ingenium attulit; Petavio, qvi reliqvis omnibus etiam voluit esse peritior & oculatior, qvod per totum illud vastum opus *Doctrinæ Temporum* videri potest. Qvod si ergo per tres hos scriptores obtinuerimus, omnia vel pleraqve de serie Pontificum esse incerta, multum profecimus contra Pontificios. Ex omnibus autem aggressus est rem incredibilem temerario & inaudito ausu Onuphrius Panvinius, qvi dies etiam, non annos tantum & menses Pontificum promisit, qvod cum ad exitum deducere non potest, reverà multis lùdibrium debuit. (*Notandum autem b. l. est unicum Pontificiorum* πρης Φύγελον, *quo elabi volunt, quando*

annos amplius coordinare nequeunt, dicentium, esse quoddam vel annorum vel mensium, vel dierum intervallum, quo Romana Sedes vacarit; hoc nisi haberent, fraus istorum Chronologorum minus lateret; sunt enim revera nugæ, nam apud neminem Scriptorum anni Pontificum tam exactè numerati reperiuntur, unde pro lubitu etiam, prout quisque putat, intervalla vel majora vel minora facit.) Baronius, qui minus curiosè in annis Pontificum versatur, annum hujus seculi primum ponit CLEMENTIS nonum i. e. penultimum, A. C. CIII. ANACLETUM A. C. CXII. EVARISTUM in annos 9. m. 3. A. C. CXXI. ALEXANDREUM in annos 10. m. 5. d. 20. A. C. CXXXII. SIXTUM in annos 10. uno mense minus & 22. diebus A. C. CXLII. TELESPHORUM in annos 11. m. 9. minus 3. diebus A. C. CLIV. HYGINUM in annos 4. minus 2. diebus. (*De hoc Hygino obiter annotandum, Pontificios eum vocare decimum à Petro, in quo contradicentem habent Virum maximæ apud ipsos etiam auctoritatis, Epiphanium, cujus sane auctoritatem subterfugere non potest, hic autem facit Hyginum hæresi 41. n. 1. Nonum; est quidem ille locus corruptus, legitur enim ἵνα τὸν nullo sensu, rectè autem correctus fuit à Dionysio Petavio ut legendum sit ἔνατον, quæ emendatio sumenda est ex sequenti hæresi, quod non debuit dissimulare Petavius, quasi ipse hanc correctionem per se inveniisset: multum autem laborat Petavius, quomodo velit refutare Epiphanium, duobus locis Hyginum IX. Episcopum à Petro vocantem, quem insuper Irenæus L. 3. c. 4. Octavum dicit. Certè non est unicum seculum, in quo διαδοχὴν Papatus sine dissensu monstrare possunt, & videtur Deus voluisse prævenire & refellere jactantiam Pontificiorum quam longe adhuc majorem usurparent, si certi aliquid ipsis constaret.*) A. C. CLVIII. PIUM in annos 9. m. 6. 3. diebus minus A. C. CLXVII. ANICETUM in annos 8. minus M. 3. & d. 7. A. C. CLXXV. SOTEREM in annos 4. minus diebus 12. A. C. CLXXIX. ELEUTHERUM in annos 15. d. 23. A. C. CXCIV. VICTOREM in annos 9. m. 1. d. 28. cujus anni excurrunt in sequentis seculi annum 3. juxta ipsius calculum. At Onuphrius Panvinius quantum differt, dum EVARISTUM Sextum à Petro numerans, ad annum hujus seculi 9. producit. Inde collocatur septimus ALEXANDER in annos 7. m. 5. d. 19; sequitur Octavus XISTUS ab A. C. CXVIII. in ann. 9. m. 9.

m. 9. d. 30. Nonus TELESPHORUS A. C. CXXVII. in ann. 11. m. 8. d. 18. Decimus HYGINUS A. C. CXXXIX. in annos 11. m. 8. d. 28. (*hunc Epiphanius* p. 300. in hæresi 41. *vocat nonum ἀπὸ Ἰησοῦ τῶν περὶ Ἰάκωβον καὶ Πέτρον καὶ Παῦλον Ἀποστόλων διαδοχῆς.*) Undecimus PIUS A. C. CL. in ann. 4. m. 5. d. 27; duodecimus ANICETUS A. C. CLIV. in annos 8. m. 9. d. 24. Decimus tertius SOTER. A. C. CLXIII. in ann 7. m. 11. d. 18. Decimus qvartus ELEUTHERUS A. C. CLXXI. in ann. 15. d. 13. Decimus qvintus VICTOR A. C. CLXXXVI. in ann. 12. m. 1. d. 28. Decimus sextus ZEVERINUS A. C. CXCIIX. in ann. 20. d. 17. Petavius ANACLETUM ponit A. C. CI. in ann. 9. m. 3. d. 10. A. C. CX. ALEXANDRUM per 20. annos m. 5. d 10. A. C. CXXX. SIXTUM A. C. CXL. TELESPHORUM in annos 11. m. 9. A. C. CLII; HYGINUM in ann 4 A. C. CLVI. PIUM in ann. 9. m. 6 A. C. CLXV. ANICETUM in ann. 7. m. 9. fere; non enim est certus; A. C. CLXXIII. SOTEREM in ann. 4. A. C. CLXXVII. ELEUTHERUM in ann. 15. d. 23. A. C. CXCII. VICTOREM in annos 9. m. 2. usq; ad annum seqv. seculi I. Adde Centuriatores Magdeb. Cent. II. C. 10. Differentia qvidem inter Baronium & Petavium non est tam magna, sicut inter Onuphrium, duobus nimirum duntaxat annis & amplius; meritò tamen hæc objectari possunt istiusmodi jactatoribus, quando enim semper dissentiunt, qvo tandem recidit gloriatio successionis?

IV. ALEXANDRINÆ Ecclesiæ Episcopi à Marco, ut ferunt fundatæ, hoc seculo tribuuntur post ABILIUM & CERDONEM Marci successores, qvartus, nomine PRIMUS ann. 12. Eusebius Chronico ad A. C. CVII. Qvem Petavius ponit ad 109; Huic suffectus est JUSTUS, qvem Petavius refert ad A. C. CXX; Sextus Episcopus præfuit HYMENÆUS aliis EUMENES An. 13. Eusebius Chron. ad A. C. CXXXI. Septimus Episcopatum suscepit MARCUS ann. 9. Eusebius l. c. ad A. C. CXLIV. octavus Episcopus præfuit CELADION, A. 14. Euseb l. c. ad A. C. CL. Nonus AGRIPPINUS A. 12. Eusebius l. c. ad A. C. CLXVII. Decimus Episcopatum sortitur JULIANUS ann 10. Id. ad A. C. CXXC. Undecimus constituitur Episcopus DEMETRIUS ann. 43. Id. ad A. C. CXC. Petavius refert ad A. C. CXXCIIX adde Eusebium L. IV. & V. H. E. & Centur. Magd. II. C. 10. (*Non soleo hic facere mentionem Nicephori Callisti, ejus enim levitas & ἀκρισία passim apparet; hinc si aliquid habet quod apud alios non legitur, non est credendum. Pontificii qvidem eidem aliquid deferunt, qvo-*

ties fabellas profert, quas hypothesibus suis accommodare possunt, tanta tamen ejus est interdum levitas, ut ipsi ab illo recedere cogantur. Eusebius contra maximæ est auctoritatis, qui suum Chronicon & Historiam Ecclesiasticam non tantum ex Julio Africano, scriptore optimo, sed ex aliis quoque gravissimis Auctoribus compilavit. Non tamen est dubium, annos Episcoporum Alexandrinorum in Chronico seu numeros ex descriptione esse corruptos. Neque etiam aliud supereſt monumentum ex quo seriem harum successionum hauriamus.)

V. In ANTIOCHENA Ecclesia Ignatio, bestiis objecto, tertius ab Apostolorum tempore constituitur HERO. Eusebius Chron. ad A.C. CIIX. Quartus Episcopus CORNELIUS. Eusebius ad A.C. CXXIX. Qvintus HEROS ann. 24. Eusebius Chron. ad A. C. CXLIII. Sextus ordinatur THEOPHILUS, *cujus plurima ingenii opera exstant.* Euseb A. C. CLXIX. Septimus MAXIMINUS. Id. ad A. C. CLXXIIX. Octavus SERAPIO. Id. ad. ann. CXC.

VI. EXTRA ECCLESIAM JUDAISMUS occupabatur in δευτερώσει seu *Mischnajoth* conscribendis ac celebrandis; de qvibus vid. Cl. Hottingerus H. E. P. I. c. 2. sect. 3. p. 62. qvi satis diligenter rem hanc absolvit, ut non opus sit aliqvid addere. GENTILIUM in Christianæ religionis veritatem, calumnias, odia, consilia, propugnatores ejusdem, de qvibus aliqvid dictum & dicendum, abunde consignarunt *Centuriatores.* Mirum tamen est & in tanta Paganismi potentia stare potuisse pusillum gregem; Qvanqvam & ipsi Ethnici aliqva subinde adferunt ad excusandos Christianos idonea; Cujus generis præsertim laudatur *Epistola* Plinii L. X. n. 97. qvam ex ceteris scriptoribus Ecclesiasticis Commentariolo illustravit Joh. Gerh. Vossius. Minime autem huc debet referri, qvod *Antoninus* ideò cognominatus esset PIUS, qvia Christianis gravis non fuisset; Qvod nec fieri potuit, nec idoneos auctores habet; ut communem cum aliis errorem erraverit Hottingerus c. 2. sect 2. p 53. (*ii qui superiori seculo ita senserunt, facile excusantur, mirum autem, qvomodo id, in tanta luce literarum imponere potuerit Cl. Hottingero; sunt enim hæ meræ nugæ Græculorum, nam statim in auspiciis imperii ita fuit à Senatu appellatus, nulla prorsus suspicione hujus causæ, quæ nec in cogitationes Senatus venire potuerat, hæ igitur nugæ non debent inseri historiæ, nimis enim sunt absurdæ.*)

VII. CONTROVERSIAS ECCLESIASTICAS & postea & præsertim

tim hoc seculo exercuit *de Paschate celebrando*, mota tempore *Pii*, sed sub finem seculi violentius instaurata; dum alii Christiani Pascha cum Judæis celebrabant 14. luna post æqvinoctium vernum; alii & pleriqve Apostolicam traditionem jactantes die Dominica seqvente. Pendet autem hæc qvæstio ab illa altera: An Christus ultimum & legitimum Pascha eadem, qva Judæi die celebraverit? Qva de controversia diversarum sententiarum sunt Auctores Paulus Burgensis ad C. XXVI. Matthæi (*qvi satis erudite rem illam tractavit, ut plerique Viri docti in sententiam ipsius conciserint*) & Abulensis Tostatus, qvi Burgensem refutavit Defensorii part. 2. (*ex his duobus fontibus postea tanquam rivuli profluxerunt omnes, qvicunqve aliquid hac de re dixerunt*) vide argumenta eorum & examen apud D. Petavium de Doctrina Temporum L. XII. c. 15. & 16. (*qui satis erudite hanc controversiam tractavit & omnium ante se diligentiam superavit*;) ex qvo omnia sua descripsit G. J. Vossius Disp. de tempore *Dominicæ Passionis* § 9. & seq. p. 54. &c. Adde Magni Gerhardi Harmoniam Evang. Extant & Victoris Episcopi Romani *Epistolæ*, sed à Magdeburgensibus aliisqve meritò τῆς νοθείας notatæ, sicut amplius ostendit contra Turrianum David Blondellus in *Pseudo-Isidoro*, annotationibus suis ad illas epistolas. Synodi ergo & Concilia habita sunt tum Romæ, Cæsareæ, in Gallia, in Ponto, in Achaia, apud Osträenam in Asia. (Vid. Cent. Magd. (II c. 9.) tum alibi Eusebius erudite L. V. H. E. c. 23. 24, 25, 26. ne qvis putet, illa tantum, qvæ apud Magdeb. habentur concilia fuisse habita. Victor autem ille Romanus temeraria insolentia ἀθρόως τῆς Ἀσίας πάσης ἅμα τοῖς ὁμόφυλοις ἐκκλησίαις τὰς παροικίας, ἀποτέμνειν ὡς ἐπ' ὀρθοδοξίας, τῆς κοινῆς ἑνώσεως πειρᾶται. Καὶ γε λίτας ἐπιστέλλει περὶ γραμμάτων, ἀκοινωνήτους ἅπαντας τοὺς ἐκεῖσε ἀνακηρύττων, ἀδελφούς. ut refert Eusebius H. E. L. V. C. 24. Ob qvam importunam excommunicationem gravissima epistola apud Eusebium H. E. L. V. C. 24. Irenæus eum objurgat; Ubi Baronius in annalibus ad A. C. 198. n. 10. fateri qvidem cogitur, durum & violentum multis visum hoc remedium, sed pernecessarium fuisse contendit. Idemqve addit, qvanqvam de rectitudine facti Victoris plurimi dubitaverint, tamen de *potestate ne minimum qvidem ab aliquo non modo Catholicorum sed nec Schismaticorum in controversiam* deductum reperiri. Audax effatum! Non dicam de figmento potestatis, qvalis nec in mentem potuit venire Victori ipsi, nedum

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn746330790/phys_0099
DFG

nedum aliis. Clara sunt verba Eusebii L. V. C. 24. cum retulisset non omnibus Episcopis placuisse hunc Victoris fervorem, ἀνὴκε δὲ συμβουλεύοντα δηλα αὐτῷ, τὰ τῆς εἰρήνης καὶ τῆς πρὸς τοὺς πλησίον ἑνώσεως καὶ ἀγάπης φρονεῖν. φέροντα ἤ καὶ αἱ τούτων φωναὶ, πλημμελῶς κατατομένων τὸν βίκτορα. Tota autem Epistola Irenæi ostendit de pace Ecclesiæ non turbanda, deque contentionibus à Victore non excitandis actum esse, qvæ contentio æqvalitatem juris indicat. De potestate enim qvæ nec fingi poterat, neqve affectabatur hactenus, nihil erat causæ, cur sermo fieret. Et qvomodo potuisset Irenæus ad alias qvoqve Ecclesias eadem scribere (qvod addit Eusebius) si arbitrium irrefragabile totius rei apud Episcopum Romanum fuisset? Jam si ne Schismatici qvidem, ut ipse Baronius vocat, potestatem Victoris in dubium vocarunt, qvid sibi vult illud in Epistola Polycratis apud Eusebium lib. V. c. 24. πειθαρχεῖν δεῖ θεῷ μᾶλλον ἢ ἀνθρώποις? Nam qvæ ex Epistolis Victoris petuntur pro Romanæ sedis prærogativa, nihil efficiunt tanqvam ex supposititio fœtu allata. (*Diximus Baronii effatum esse audax & imporunum; sed adeò absurdi Papolatræ esse coguntur, quando omnia arripiunt ad firmandam Pontificis potestatem, cujus rei simplicissimis illis temporibus nulla vestigia extant.*) *In Epistolis illis Victori tribuitur nomen* Archiepiscopi, *in illo seculo inauditum, & signum* τῆς καθολικῆς Catholica *autem Ecclesia notabat Ecclesiam Christianam, ubicunque terrarum degeret, non eodem sensu, quo hodie Pontificii eam dicunt Catholicam*) Dum in hac historia versamur memorabilis observatio occurrit DE FORMA EPISTOLARUM SYNODICARUM: qvando Polycrates ait: *Possem etiam Episcoporum qui mecum sunt facere mentionem, quos petiistis ut convocarem, sicut & feci. Quorum nomina si adscripsero, ingens numerus videbitur. Hi cum me pusillum hominem invisissent, epistolam nostram assensu suo comprobarunt, quari me canos istos non frustra gestare, sed vitam ex præceptis institutisque Jesu Christi semper egisse.* (*Posteris demum temporibus invaluit, ut omnium Episcoporum nomina in Synodicis Epistolis subscriberentur; huic autem Polycrati honos propter canitiem & sinceritatem ab omnibus suis habitus.*)

VII HÆ-

VII. HÆRESES hujus seculi ita tractant Cent. Magd. Cent. II. C. 5. ut mentionem injiciant GNOSTICORUM, VALENTINIANORUM, MARCIONISTARUM, ENCRATITARUM, CATAPHRYGUM, qvæ etiam MONTANISTARUM & PEPUZIANORUM dicta est; Epiphanius accuratius, qvi & Theodoretum & Philastrium vicit, ita refert; VALENTINIANOS & GNOSTICOS conjungit *hæresi* 31. VALENTINUS sectæ & turbarum auctor, patriâ Ægyptius, ut putatur, ex *Hesiodi Theogonia* 30. Æonas confinxit; (*illi scilicet homines multa ex scriptoribus Ethnicis exprimere volebant, quæ ibi planè reperiri non poterant, sicut etiam plurima Mysteria ex Platonica Philosophia advexerunt*). Docuit in Ægypto & Cypro. Referuntur ab Epiphano dogmata ejus & refutantur. Subjungit hæresin SECUNDIANORUM *hær.* 32. SECUNDUS inquit l. c. n. 1. *quidam — fuit hic eodem quo Valentinus tempore eundem ipsum novo aliquo invento superare gestiens, primam Ogdoadem ex Tetrade dextra ac sinistra conflari docuit, quarum alteram lumen, tenebras alteram appellari voluit.* Adhæsit opinionibus suis *Epiphanes* Carpocratis filius, qvem cum esset excellentissimo ingenio præditus, anno ætatis 17. defunctum apotheosi celebrarunt; *nec non artes & Museum ad detestandi illius nominis memoriam consecrarunt &c.* Ἐπιφάνους μουσεῖον appellarunt; laudatur idem nomine παιδείας ἐγκυκλίου τε καὶ πλατωνικῆς. *V. Epiphanii l. c. n. 3.* (*fuit enim Philosophia Platonis qvasi fodina, ex qua varias hæreses exsculperent*) *Isiodorus* qvoq; hujus hæreseos fuit, adversus qvem scripsit Clemens Alexandrinus. Sequuntur PTOLEMAITÆ *Hær.* 33. PTOLEMÆUS enim adjecit qvædam ad Gnosticorum & Valentini deliria, qvæ ex *Epistola illa ad Floram* referuntur. Hinc MARCOSII ponuntur *Hær.* 34. à MARCO qvodam, qvi duo principia statuit, resurrectionem negat, præstigiis mulierculas initiat, ad 24. elementa revocat omnia. Marcosios excipiunt COLORBASII *Hær.* 35. à COLORBASO qvodam, qvi Æonum propagationes & Ogdoadas aliter tradit, ita dicti. Inde HÆRACLEONITÆ ponuntur *Hær.* 36. qvi Ogdoadas aliter explicabant, morti vicinos, ut Marcus solebat, ungebant & voces qvasdam Hebraicas insusurrabant, qvæ ipsis λύτρωσις est; OPHITÆ *Hær.* 37. serpentem venerabantur, Christum esse asserentes; à Nicolao & Gnosticis aliisqve sectis præcedentibus dimissi. CAJANI, *Hær* 38. veterem le-

gem repudiabant, resurrectionem negabant, Cainum laudabant, Judam, nec non Core, Dathan, Abiram, & Sodomitas prædicabant. Pauli Apostoli ἀναβατικὸν (quasi *ascensorium* dicas) supponentes. SETHIANI *Hær.* 39. SETHUM laudabant, tanquam à supremo parente, cum eum pœniteret Cainum editum, procreatum, à quo inde genus humanum descenderit. Libros habebant supposititios *Sethi*, *Abrahami*, *Apocalypsin Moysis*; *Evangelia*, &c. ARCHONTICI *Hær.* 40. referebant omnia ad multos Principes, negabant resurrectionem, V. T. rejiciebant, quamquam iidem & ex N. T. quædam calumniarentur. Commenti sunt libros Apocryphos, quorum *duæ Symphoniæ*, *major & minor*. Ἀναβατικὸν Ἐσαΐα. CERDONIANI *Hær.* 41. à CERDONE qui Hygini Episcopi Romani temporibus Romæ fuit, duo Principia contraria statuit, Christum genitum negavit, ut & mortuorum resurrectionem, V. T. rejecit. MARCIONISTÆ *Hær.* 42. à MARCIONE, qui cum ex Ponto ob incestum Virginis S. à Patre eodemque Episcopo ejectus, Romæ post Hygini obitum frustra veniam peteret, catholicam inde fidem oppugnare cæpit, dum tria Principia, *Bonum*, *justum*, *malum* statuit. N. T. a Veteri ejusque auctore alienum putavit; Baptismum iteravit; Resurrectionem negavit, pro mortuis Catechumenis alios Baptismum suscipere jussit, concessa mulieribus promiscuè baptizandi licentia. Ad Cerdonis etiam hæresin confugiens solum Evangelium Lucæ admisit, sed mutilavit, Epistolas Pauli 10. non integras, sed itidem corruptas admisit. Atque hæc duo monumenta ipsi Canonica erant. Habuit & ad Laodicenses epistolæ particulas aliquot. Epiphanius adversus eum scripsit peculiarem librum, quem inscripsit operi *dehæresibus* l. c. LUCIANISTÆ *Hær.* 43. à LUCIANO sectatore & imitatore Marcionis, nisi quod *præter magistri sui dogmata nuptias damnavit* &c. APELLEJANI *Hær.* 44. ab APELLE Luciani condiscipulo & Marcionis auditore; qui res conditas cum conditore vituperavit. SEVERIANI *Hær.* 45. à SEVERO Apellis assecla, qui vinum & vitem damnavit, muliebrem sexum repudiavit, Principam vocabula confinxit, ut & libros Apocryphos, Resurrectionem, & V. T. negavit. TATIANI *Hær.* 46. à TATIANO ex Mesopotamia oriundo, Justini primum Sectatore, qui post ejus obitum Marcionis dogmate afflatus nova quædam addidit, nuptias damnavit, vixit sub *An-*

tonino

conino Pio. ENCRATITARUM secta *Hær.* 47. Tatiano successit, nuptias damnavit, ab animatorum omnium esu abstinuit. PHRYGASTÆ, seu MONTANISTÆ aut TASCODRUGITÆ *Hær.* 48. probant utrumq; testamentum, sed novos Prophetas adjiciunt, & Montanum qvendam & Priscillam ac Maximillam prædicant, venerantur qvendam in Phrygia desertum locum ubi olim oppidum Pepuza fuit. Emerserunt & hi sub *Antonino* Pio. An *Tascodrugitæ* (*Paxillonasones* ex versione Petavii) huc, an vero ad seqventem hæresin pertineant, dubitatur: Itemqve an hi vel seqventes excepti infantis & acubus æreis confixi sanguinem sacrificio adhibuerint. Dicti etiam sunt CATAPHRYGES, vel ut Græci constanter legunt κατὰ Φρύγας, qvi apud Phrygas scilicet fuerunt. QVINTILLIANI seu PEPUZIANI & PRISCILLIANI quibus ARTOTYRITÆ accedunt *Hær* 49. nimirum inter Cataphrygas censentur & ab illis orti sunt; QVINTILLAM & PRISCILLAM Prophetissas prædicant; PEPUZA est ipsis Hierosolyma; mulieribus Magistratum & sacerdotia deferunt; Initiantur certis mysteriis, qvibus puerulum confodiunt, V. & N.T. adhibent, sed cavillantur. ARTOTYRITÆ dicti, qvia ad celebranda mysteria panem & caseum solebant adhibere. QVARTADECIMANI *Hær.* 50. ex Cataphrygum & Qvintillianorum seu Priscillianorum sectis commistis orti. Non igitur sola videtur opinio illa de Paschate, qvarta decima luna celebrando, ipsis inter hæreticos nomen assignasse; Neqve enim hæresis illa, sed schisma dici solet. Alias enim cum hæreticis modo nominatis communes opiniones, sicut Epiphanius testatur, fovebant. (*Quæ repetitio non debet otiosa haberi, sed multum facit ad intelligendam antiquitatem Ecclesiasticam, etsi hæc ab aliis aliter dicantur.*)

IIX. PERSECUTIO CHRISTIANORUM TERTIA TRAJANUM habet auctorem. Eusebius in Chron. ad A.C. 108. *Trajano*, inquit, *adversus Christianos persecutionem movente, Simon filius Cleopæ, qui in Hierosolymis Episcopatum tenebat, crucifigitur. Cui succedit Justus. Ignatius quoque Antiochenæ Ecclesiæ Episcopus Romam perductus bestiis traditur.* Petavius initium ponit A. C. CVII. duratio incerta & à nonnullis ad XIV. annos extensa. Vid. Cent. Magd. Cent. II. C. 3. In H. E. Eusebius, L. III. C. 32. Simeonem 120. annorum senem martyrio affectum memorat

morat ex Hegesippo; subjungit deinde c. 33. ex pluribus locis ingruente persecutione Plinium secundum permotum Imperatori significasse de *numero eorum, qui fidei causa obtruncabantur simulque indicasse, deprehendisse se nihil ab illis impiè, nihil adversus leges admitari, nisi quod primo diluculo excitati Christo tanquam Deo hymnos canerent, Cæterum adulteria, homicidia & reliqua hujusmodi crimina illos etiam aversari, cunctaque ex præscripto legum agere*; (*de qua Epistola Plinii antea dictum est*; *addatur responsio Trajani ibid.*) Tum Imperatorem rescripsisse: Τὸ χριστιανῶν φῦλον μὴ ἐκζητεῖσθαι μὲν, ἐμπιπτὸν δὲ κολάζεσθαι, *non protrahendos quidem inquisitione esse Christianos, sed oblatos puniendos.* Qua de re etiam Tertullianum in *Apologetico* testem laudat Eusebius, qui egregie in illud Trajani responsum invehitur, & oratoria facunditate digressionem instituit; Repressam quidem aliquo modo persecutionem addens. Sed non extinctas tamen causas sæviendi vel apud vulgus vel apud proceres. QVARTA PERSECUTIO communiter SUB M. ANTONINO PHILOSOPHO; Eusebius Chron. ad A. C. CLXIIX. annotat; *Persecutione orta in Asia, Polycarpus & Pionius fecêre martyrium, quorum scriptæ passiones quoque feruntur.* Petavius initium confert in A. C. CLXII, Polycarpi autem & Pionii martyrium in A. C. CLXVII. Sulpitius autem Severus QVARTAM HADRIANI TEMPORIBUS aptat, qvanqvam vicissim alii putant COEPTAM à TARJANO, AB HADRIANO CONTINUATAM. QVINTAM idem Severus numerat hanc sub ANTONINO PHILOSOPHO. Scilicet ratio numerandi persecutiones Christianorum haud eadem est. Vulgo denarius numerus obtinuit, qvem non tam accurata historiæ traditione, qvam consensu qvodam numerantium stare vel ex Augustino de *Civitate Dei* L. 18, C. 52. discere est, ubi & fundamentum hujus sententiæ ex typo incerto petitum ostenditur. (*Rectissimè autem judicat Sulpitius Severus, denarium illum numerum carere fundamento, qvem à decem plagis Ægyptiacis arcessere volunt*) Igitur & Centuriatores Magdeb. & superiori annorum centuria & hoc seculo aliter numerant persecutiones. Centur. II. C. 5. ut huc congruant persecutio sub TRAJANO, persecutio sub HADRIANO, sub ANTONINO PIO, (*non edicto ejus facta, sed superioris temporis consuetudine, ut & sub Hadriano*)

Per-

persecutio sub M.ANTONINO PHILOSOPHO, sub COMMODO enim qvies data studio Marciæ pellicis, Christianis faventis, nisi qvod pristinæ consuetudinis sævitiæ in Christianos exemplo hoc qvoqve tempus non caruit. Persecutio sub MARCO ANTONINO PHILOSOPHO martyrio absumpsit JUSTINUM, POLYCARPUM, POTHINUM aliosque. Nam ad Historiam Martyrum singulorum non digredimur. (*Exstant varia acta talium passionum in unum opus collecta â Simeone Metaphrastâ; Verum acta illa tum ab ipso Simeone sunt interpolata, Cui propterea hoc nomen indiderunt; nam Metaphrastes non tantum dicitur is, qui liberiori stylo aliquid ex una lingua in aliam transfundit, sed & qui de suo interdum aliquid addit, vel detrahit. Sic Peanius est Metaphrastes Eutropii, Planudes Cæsaris. Fuit quidem aliàs Simeon Vir non ineruditus, & egregiis dignitatibus Politicis exornatus, sed more illorum temporum superstitionibus addictior; varia equidem citat monumenta & fragmenta ex antiquis scriptoribus, nam conservavit nobis & quædam Eusebius, sed illi soli vix ausscultaverim, ex Eusebio aliisque aliqua satis diligenter repetunt Magdeburgici & hoc seculo Hornejus H. E. L. II. C. 3. 4. 5. De Surio supra dictum est. Hodie aliquis Antwerpiensis Bolandus vitas Sanctorum ingenti opere secundum menses anni disposuit, & jam aliquot Tomos edidit in primum adhuc mensem, quem nondum absolvit; ita illi multa congerunt, quando autem nos quærimus, qua auctoritate, tum vix habent quod respondeant: quod & in causa est, cur ab illa re abstineamus.*)

V. VIRI CELEBRES, LITERÆ, ARTES, INVENTA, ET ALIA.

I. EPISCOPORUM ET DOCTORUM ECCLESIÆ VITAS collegere Centuriatores Magdeburgici C. II. C. 10; Qvatenus in Scriptis superstant, sive operibus suis vivunt, posteà nominabuntur.

II. IN REPUBLICA MILITARI LAUDE sub *Trajano* floruerunt MARCIUS TURBO, Q. LUCIUS & MAXIMUS duces, Judæorum domitores, tum HADRIANUS postea Imperator. Interiores amicos *Trajanus* SESSIUM, SALMAM, CELSUM habuit, teste Dione, qvos etiam statuis honoravit. Inprimis autem LUCINIO SURA familiariter usus est, sicut ibidem discimus, (*occurrit autem*

hic aliquis in Historia defectus, non enim possumus ostendere, quis præcipuus fuerit in Aula; causa est, quia res Trajani tantum à Dione commemorantur & Plinio, qui magis laudes ejus more Panegyrico celebrat, quam historiam scribit. Victor autem brevissimè agit. Altera causa est quia ipse Trajanus noluit videri consuetudinem aulicam sequi, qua hactenus semper aliquis dominabatur apud Cæsarem, sed potius videri voluit auctoritatem Senatui restituere, & ab exemplis Augusti & domus Flaviæ, quamvis tantum per simulacrum recedere, ne Romani sentirent, quis maximarum rerum arbiter esset, vel cui Cæsar potissimum obediret. Idem dicendum de rebus Hadriani. Nam illi scriptores, Spartianus, Capitolinus &c. Sunt dii fere minorum gentium, nec eam vel eruditionem vel prudentiam attulerunt, qualem ab Historico requirimus.) *Hadriani* amicitias, Reipublicæ adhibitas, Spartianus in vit. c. 15. recenset. Ubi TATIANI, NEPOTIS, SEPTIMII, CLARI, EUDÆMONIS, POLYÆNIS, MARCELLI, HELIODORI, TITIANI, QVADRATI, CATILII, SEVERI, TURBONIS, SERVIANI nomina leguntur. Addatur ANTONINUS posteà PIUS Imp. Capitolinus in V. C. 2. (*Qvia suspicax & infidus amicis fuit, varietate morum & negotiorum confusius historiæ inserta sunt.*) Sub ANTONINO PIO LOLLIUS URBICUS gloria rei militaris, tum amicitia inprimis, celebrantur ORPHITUS, JACEUS, MAXIMUS, TATIUS MAXIMUS FABIUS REPENTINUS, COMELIUS VICTORINUS; (*hic quoque defectus historiæ*;) præcipuè autem M. ANTONINUS postea Imperator intima admissione & adoptione æstimatus est. vid. Capitolinus in Vita *Pii C. 3.* & in M. *Philosopho* C. 5. & 6. *M. Antoninus Philosophus* POMPEIANUM & *Volusium Metianum* præcipuè in honore habuit, aliosqve, sicut ex Herodiano, Capitolino, ipsiusqve scriptis constat; Quanqvam qvibus potissimum curis singulos adhibuerit, haud perinde liqvet. Libertorum etiam nomina, GEMINUS & AGADISTUS, in potentiæ titulos iverunt, *Marci*, an *Veri* fratris vitio, incertum. Sub *Commodo* malis artibus potentiam meruerunt PERENNIS & subinde CLEANDER, dignum suis sceleribus exitum consecuti. Cætera potentiæ nomina pessimi qvique occupavere. vid. Lampridius, Herodianus, Dio. Nec sub *Pertinace* qvisqvam brevitate imperii singulariter eminere potuit.

III.

III. SCRIPTIS IN ECCLESIA claruere tum alii, de qvibus nil supereſt, tum, qvorum aliqva extant; ſed & falſo jactantur qvædam. De CLEMENTIS ſcriptis priori ſeculo actum. Ita ANACLETI *Epiſtolæ tres*, EVARISTI *duæ*, ALEXANDRI *tres*, SIXTI *duæ*, TELESPHORI *unica*, HYGINI *duæ*, PII *quatuor*, ANICETI *unica*, SOTERIS *duæ*, ELEVTERI *unica*, VICTORIS *aliquæ*, ZEPHYRINI *duæ* ab eruditiſſimo Blondello & editæ, & doctiſſimis rationibus τῆς νοθείας convictæ ſunt. POLYCARPI præter *fragmenta* in antiqvitate nihil γνήσιον extat. (*Epiſtolam ejus ad Philippenſes magni æſtimant Pontificii, ſed ab aliis doctis viris gravibus rationibus rejicitur*). Liber PASSIONIS S. ANDREÆ ſuppoſititius eſt, ut & ABDIÆ *Babylonii ſcripta*, & MARTIALIS Epiſcopi Lemovicenſis duæ *Epiſtolæ in Bibliotheca Patrum*; ACTA BARNABÆ, EVODIUS; (*Qualia tamen aliqui ſuperiori ſeculo tribuunt:*) MELITONIS *liber de Tranſitu Mariæ* in *Bibliotheca P. P.* itidem ſpurius eſt; Voſſius *Hiſt. Gr. L. 2. C. 14.* (*ſcripſit quidem Melito multa egregia, quæ nos Euſebius non ſinit ignorare, ſed quæ hodiè celebrantur, omnia ſunt ſpuria.*) Genuina qvædam JUSTINI *Philoſophi & Martyris* ſuperſunt; edita ſæpius Græcè & Græco-Latine; Ejus *Apologiæ*, prima ad S. P. Q. R. ut habet titulus, ſecunda ad *Antoninum Pium* Imp. ſupra laudatæ. *Expoſitio fidei & V. quæſtiones cum Græcorum Reſponſione, Reſponſionis & illius confutatione*, itemqve *quæſtionibus & reſponſionibus ad Orthodoxos* non genuina cenſentur, ex rationibus, qvas nemo adhuc refutare potuit; vid. Riveti *Criticus* S. Roberti Coci *Cenſura*; Gerhardi *Patrologia*; ubi & de erroribus ejus. (*Uſus ejus maximus in antiquitatibus Eccleſiaſticis*) Omnium primò de Juſtino bene mereri cœpit Baſilea, ſicut de omnibus Patribus optimè merita eſt; ſecutæ deinde ſunt editiones Lugdunenſes, Comeliniana Pariſienſis. ATHENAGORAS Juſtini æqvalis *Apologiam pro Chriſtianis* ſcripſit. Extat & de *Reſurrectione liber*; ab Euſebio tamen & Hieronymo præteritus; editus eſt & ſeorſim & in Bibliotheca P. P. (*hinc nonnulli ſuſpicari cœperunt, non eſſe hæc ſcripta genuina, plures tamen agnoſcunt.*) De THEOPHILI ANTIOCHENI ſcriptis ſuperſunt *Commentarii in IV. Evangeliſtas & III. Libri ad Autolycum* adverſus Chriſtianæ Religionis calumniatores. (*Hujus quidem etiam ſunt aliqui errores, ſed propter antiquitatem magni æſtimatur.*)

Juſtino

Justino & Athenagoræ æqvalis fuit EGESIPPUS qvidam, *Actuum Ecclesiasticorum* scriptor, cujus opera perierunt; Alius enim est & Ἔγησιππος ὁ λιμῆς qvi circumfertur scriptor, v. Vossius de *Hist. Gr.* L. 2. C. 14. IRENÆI ex multis pauca ad nos veneruut, scilicet *V. libri adversus Valentinum* & *V. libri adversus Hæreses*; Græcè scripsisse eum, frustra dubitatum est; Errores apud Gerhardum vide; Editio Parisiensis laudatur. (*Successit Gallia in edendis P. P. cum in Germaniâ sumtus deficerent, non sine singulari providentia divina, nec diffitendum est, Gallos Patres illos integrè & incorruptè edidisse, ipse enim aliquot cum editionibus Basileensibus conferuli, & nullam corruptionem deprehendere potui, nisi id etiam depravationem vocare velimus, quod Galli in editionibus suis multa superjunxerint hactenus inedita, quæ eruditi dignoscere possunt, an sint genuina; vel quod scripta etiam supposititia, sed nomine ipsorum P. P. clara, adjecerint. Verum etiam in editionibus Erasmicis P. P. Latinorum videmus, cuique Patri addita quoque esse scripta, quæ falso ei quidem sunt adscripta. Imo in editione Anglicana, ubi nulla esse potest suspicio; Chrysostomi in quam Docti: Henricus Savilius 25000. aureorum rosatorum ex propriis sumtibus impendit, reperitur integer tomus Chrysostomo falso adjudicatus; sed illa scripta semper signo aliquo vel Crisi sunt notata. Prodierunt illæ editiones Gallicanæ auspiciis & jussu Cardinalis Richelii, sicut omnia jubere poterat in Gallia; Fuerunt quidem aliqui, qui putarunt, Patres esse castrandos, sed ille dixit, iners esse hoc remedium, si fides Catholica ita sit defendenda. Longè igitur præstant editiones Parisienses Antwerpiensibus, in quibus Patres valde sunt mutilati & adulterati, licet splendidioribus typis sint exscriptæ quam Parisienses.*) Ex pluribus TATIANI scriptis supereſt solus *liber contra Gentiles*, M. ATHENAGORAM ET TATIANUM editores conjungunt, quorum consilium nos latere non potest, qvia scilicet hi de eodem argumento contra gentiles scripserunt.

IV. Viros in SYNAGOGIS JUDÆORUM celebres vide apud Cl. Hottingerum H. E c. 2. Sect. 3.

V. De GRAMMATICIS GRÆCIS occurrit ATHENÆUS, quem hoc cognomento laudat Svidas; floruit sub M. *Antonino & Commodo* & fortasse usque ad *Severi* tempora. (*merito referimus eum inter Grammaticos, quamvis multa historica habeat, hoc enim olim potissimum fuit*

fuit opus Grammatici historiam παντοδαπὴν *scribere. Hujus verò scriptoris quanta sit utilitas, verbis exprimi non potest; paucissimi etiam ex eruditis sciunt, quantum in eo lateat, & hoc propter summam rerum reconditarum & nullibi aliàs memoratarum difficultatem. Quantum enim conservavit nobis ex omni genere Poëtarum, quorum alias nec nomina sciremus? quantum habet observationum variarum, quæ ad mores & ritus antiquitatis pertinent, quæ omnia frustra ex aliis peterentur. Verum, ut dixi, paucis est familiaris, & illis solum, qui altius in variam eruditionem se immergunt.* Præclarissime de eo meritus est Is. Casaubonus, qvi ex multis MSS. loca, ut ita dicam, semiplena supplevit, & nobilibus animadversionibus illustravit tomis duobus. JULIUS POLLUX, cujus *Onomasticon* Commodo Imperatori inscribitur. (*Sunt hujus Onomastici libri decem & singulis eruditissimæ præfationes præmissæ. Huic autem Lexico nihil simile extat in hunc usque diem in una lingua, quod si omnis generis res implevisset, opus foret planè incomparabile.*) Variæ prodierunt editiones; Aldina, Basileensis, sed omnium editorum industriam superavit Wolffg. Seberus; multa tamen adhuc supersunt difficilia, nondum explicata. (*Plus autem continet in recessu, quam in titulo promittit; quantum enim in eo deprehendimus Philosophiæ veteris & judicii accuratissimi? Nemo certe Grammaticorum ei est similis, qui solus vidit, quid sit Lexicon scribere, quod nemo hactenus imitari ausus est, adeoque solus hanc Philosophiam amplexus est, ut vocum earum, quas explicaret, res quoque expleret. Sic e.g quando de judiciis agit, non voces tantum judicis, rei, accusatoris &c. selectissimus verbis explicat, & veterum formulas recitat, sed simul omnem Philosophiam illam repræsentat: unde merito inter mysteria eruditionis reservatur.*) Dixi de eo in *Diss.* de *Lexicis*. HARPOCRATIONEM quoque *Lexici* X, *Rhetorum* auctorem, aliqui *Veri* Imperatoris Præceptorem esse putant; (*multa iisdem verbis effert, quibus Athenæus, ut vel ille hunc, vel hic illum exscripserit*) *de quo editio* Maussaci Parisiensis commendatur. (*Non superest autem hoc Lexicon hodiè totum, ipsaque ejus editio est rarissima; dolendum, quod non recudatur. Est & hic Harpocration inter Doctissimos Grammaticos, sed judicium Pollucis non adæquat; Collegit autem sicut dixi ex X. Rhetoribus, quorum vitam Plutarchus scripsit, qui tunc in maxima laude erant.*) PHRYNICHUS quoque in hæc tempora *M. Antonini & Commodi* refertur, cui & inscripsit magnum opus suum; apud Photi-

um in *Biblioth.* C. 158. ſuper eſt exiguus libellus *de vocibus Atticis*, de quo Numeſius præclare meritus.

VI. E LATINIS GRAMMATICIS ſupereſt AULUS GELLIUS, de cujus prænomine, argumento, eruditione, uſu aliqvid dicendum, ut & de Lipſii cenſura, itemque de Editionibus. Scribendum eſt AULUS GELLIUS; alterum enim nomen, AGELLIUS, plane eſt corruptum, ſicut erudite oſtendit doctiſſimus Lambecius *in præguſtu ad Noctes Atticas*, qui adeo egregiè diſputat de nominibus hujus Scriptoris, ut nihil amplius ſuperſit dubitationis. (*liber editus eſt Pariſiis*) Ipſius autem Auli Gellii liber eſt aureus, ornatus erudito & ingenioſe excogitato titulo *Noctium Atticarum*, qvia in eo de varia eruditione tractat; neque qvisqvam negaverit aureum eſſe ſcriptum, cujus auctoritate perpetuo nituntur reſtauratores antiqvitatis, Onuphrius Panvinius, Sigonius &c. Stilus ejus eſt optimus, neque ob antiqvorum uſum vocabulorum deſinit eſſe Latiniſſimus; exiſtimationem tamen ejus minuit etiam cenſura Lipſii, qvâ eum vehementer reprehendit; Verum ſupra jam monuimus, Lipſium, qvia ex omnibus antiquis Scriptoribus Senecam ſibi & Tacitum delegit, reliqvos omnes, qvi contra hos aliquid dicunt, vehementer caſtigare. Quia igitur Gellius etiam quasdam in Senecâ phraſes culpavit, iniquius de eo judicavit, quod & fecit Qvintiliano, at quanto Viro, ut ſuperiori ſeculo vidimus, de quo non ſine contemtu ſæpe loquitur, nihilominus tamen cogitur agnoſcere, multum bonæ frugis in Gellio eſſe, reliqva autem, quæ de eo dicit locum habere neqveunt. Pauciſſimi interim ſunt, qui hunc Auctorem ita triverunt, ut eum penitus cognoſcant. Editio Stephanica cæteras ſuperavit induſtria. SOLINUS incerti ævi eſt, poteſt etiam ad Hiſtoricos referri. (*Propoſitum fuit Solino tractare variam eruditionem, quam Græci* Φιλολογίαν *vocant, ſed præcipuè ſibi imitandum vel deſcribendum ſumſit Plinium. Solini ſtilus quidem Pliniano eſt impolitior, & habet aliquid obſcuritatis ac affectationis, laus autem eruditionis ei non eſt adimenda.*) Præclarè poſt Joachimum Vadianum de eo meritus eſt Cl. Salmaſius in vaſto opere *Exercitationum Plinianarum* in Solinum, qvem ea de cauſa cum ex Gallia Leidam veniſſet, Petr. Scriverius, Doctiſſimus Belga, cui parem Batavia hodie non habet, hac gratulatione excepit: *Salve ſal & ſol Solini*, ad utriusq; nomen alludens; hic enim adeo correctum & immutatum dedit Solinum, ut alius ſcriptor eſſe videatur, qvod quidam

docti

docti probare neqveunt, fuit enim Salmasius in reformandis & refingendis Scriptoribus confidentior, & ut verum dicam, audacior; interim tamen eruditissimum scriptum est.

VII. RHETORES & ORATORES hujus seculi enumerat Gerh. Joh. Vossius de *Rhetorices natura & Const.* c.12. præcipui seqventes sunt: HERMOGENES; cujus notitia ex Svida petenda est. Scripsit perfectissimum Corpus Rhetoricum, sumta inprimis occasione ex L.II *Rhetor.* Aristotelis, qvæ enim Aristotes ibidem breviter concisè & ἀκριβῶς habet, ea Hermogenes accuratissimè & eruditissimè diffudit, sicut id Qvintilianum superiori seculo feciſſe memoravimus; qvo opere nihil extat perfectius & consummatius, unde non una Epitome Rhetorica ex Hermogene facta est, inprimis laudatur ejus dissertatio de *statibus controversiarum formandis, & de formis Orationum*, ubi ipse omnia methodice & diffusius proponit, qvæ ceteri tantum tangunt. In edendo Hermogene nemo superavit industriam Francisci Porti Cretensis, sed & Johannes Sturmius præclarè de eo meritus est, quamvis Dudithius, doctissimus Anglus de eo dixerit: *Sturmius totam Germaniam cum suo Hermogene infatuavit*; quæ censura justo est confidentior, violentior & iniqvior; (*Non quidem omnes eo sunt adigendi, ut subtilitates ejus consectentur, interim tamen spernendæ non sunt; nam in illa ipsa Hermogenis subtilitate perspicuitas laudanda est, nec enim copia, ob qvam Gratianus sæpe commendat, qvicquam maculæ ipsi affundit, quia nemo alius melius docet, quomodo locus aliqvis sit diffundendus, quam Hermogenes.* ARISTIDIS HADRIANENSIS opera tribus tomis à Wecheliis Francofurti, & Parisiis à D. Petavio edita sunt, qvæ rerum civilium Studiosis inprimis in pretio esse debent.

IIX. De POETIS LATINIS in hoc seculum nihil fere reliqvum est, qvod referatur, adeò verum est, qvod vulgò dicunt, *Poëtam vix integro seculo nasci*, quorum prius seculum erat feracissimum. vid. omnino G. J. Vossius de *Poëtis Latinis* C.4. p.51. & seqq: in GRÆCIS qvoq; idem factum; ita Poesis hoc seculo ferè interqvievit: Vide eundem de *Poëtis Græcis* C.9. p. 73. & seq. nisi qvod sub M. ANTONINO PHILOSOPHO ad A. C. CLXXIII. *Heronymianum Eusebii Chronicon* (*quod ita appellari solet, quoties ab Hieronymo in latinâ versione est immutatum,*) annotat: OPPIANUS CILIX. *Poëta cognoscitur, qui Halieutica miro splendore conscripsit*; sed *Severi* temporibus ætas ejus potius congruit, & carmen *Antonino* non *Philosopho*, sed *Caracallæ Severi* filio inscriptum, sicut ostendit Conr. Rittersh.

hujus in Procœmio in illum Poetam; & Scaliger in *animadversionibus in* Eusebium. (*Peperit nomen Antoninorum multos errores in historia; est enim amiguum & pluribus datum fuit, hinc etiam hic causa fuit errandi.*) Edidit Oppianum Conr. Rittershusius cum eruditissimis notis & versione locupletissima, adjectis Græcis scholiis prorsus ita, ut in hunc diem nihil consummatius in eum scribi potuerit, nec qvisqvam cogitaverit qvicqvam addendum esse. Verè autem Oppianus implet mensuram nominis sui, dicique potest Phœnix sui seculi, nihil enim ejus verbis est doctius, nihil politius, in quibus deprehenduntur vestigia clarissima civilis prudentiæ, ut appareat eum mysteria hujus Philosophiæ optimè intellexisse, qvod inprimis videre est in digressionibus & statim in Procœmio; duplici autem nomine laudandus est, qvod primò perfectissimi Poëtæ mensuram impleverit, deinde quod in argumento minus in hanc rem apto id præstiterit, qvod plerique tanqvam scabrum & salebrosum fugiunt, qvanti autem hoc sit operis, soli sciunt Viri in Eruditione primores; Unde nonnulli etiam Virgilium non tam fuerunt admirati propter *Æneida*, *qvippe* qvod argumentum illud Carminis Epici capax sit, quam propter *Georgica*. Tentarunt eandem materiam nostro seculo Viri docti, sed qvia id ipsis non succesit, cum ne ideam quidem tanti carminis animo comprehendere potuerint, nominibus parcimus; unus tamen est Scævola Samarthanus cum antiqvis prorsus comparandus, qvi in *Pædotrophia*, materia itidem salebrosa, qvæqve nullo cultu splendescere posse videtur, Virgilio verè comparari meretur.

IX. HISTORICI GRÆCI hujus seculi supersunt. ARRIANUS NICOMEDIENSIS sub *Hadriano*, *alter Xenophon* dictus. v. Gerh. Joh. Vossius de *Hist. Gr.* L. 2. C. II. *Periplos* Arriani splendidissimè edidit Vir doctissimus Gvil. Stuckius; extat etiam diligentissimum *opus Dissertationum* Arriani, quod Angelus Politianus itidem purissimè & elegantissimè vertit; Fragmentum ejusdem aureum de *Venatione* nuper edidit Luc. Holstenius & elegantissimâ versione illustravit. (*In illo opere tractatio de educatione & cura canum præsertim laudatur, & ubi Xenophon desinit, ibi Arrianus incipit.*) CLAUDIUS ÆLIANUS, qui *Tactica* sua *Hadriano* inscripsit, & Libros XVII de *animalibus* ac variæ Historiæ L. XIV. composuit. Eruditissimum opus *Tacticorum* Sixtus Sarcerius eruditissimis notis illustravit. (*Nunqvam omnia Æliani opera conjunctim in hunc usq; diem prodierunt. Opus de* ANIMALIBUS *est suavissimum, præsertim quia omnia ad moralia accommodat,*

commodat, quo vestigio usus superiori seculo Hieronymus Rorarius, eruditum libellum & festivum scripsit, quod bruta animalia ratione melius utantur, quam homines. Culpant in Ælliano quidam rationem scribendi, ideò, quod semper nova capita ita incipiant: ὅτι; sed hic est mos eorum, qui Locos Communes scribunt & ex aliis tantum excerpunt, ut quando Auctoris alicujus verba posuerunt, subjungant: hoc ita demonstratur vel ostenditur, quia &c.) Et optime & incomparabiliter de hoc Auctore meritus est C. Gesnerus in splenditissima editione Tigurina. Ego olim Auctor fui Clar.& Doctiss. Scheffero, cum adhuc hic viveret, edendi hunc auctorem, hoc consilio, ut allici juventus posset ad lectionem Græci Auctoris suavissimi, qvæ alias magnitudine aliorum operum Græcorum ferè deterreri solet: Speramus secundas curas Schefferi accuratiores fore. PHLEGON TRALLIANUS, *Hadriani* libertus. Ex cujus Opere *Olympiadum* s. *Chronico* habemus fragmenta: ut & de *mirabilibus itemq; de longævis*, Johanni Meursio edita; ex qvibus fragmentis ingenium ejus æstimare possumus. ZENOBII SOPHISTÆ, Phlegontis æqvalis, *proverbia* extant sæpius edita. Qvanqvam alii ZENODOTUM vocant. Poterat & Grammaticis adjungi. Solent editores conjungere cum DIOGENIANO, itid. *Hadriani* temporibus scriptore, cujus *Paræmias* primum publicavit Andr. Schottus, Vir de antiqvitate præclarissimè meritus. Sub *Antonino Pio* celebrantur APPIANI ALEXANDRINI scripta. Judicium de eo fertur duplex, unum severius eorum, qvi Appianum vocant *fucum alienorum laborum*; alterum modestius; *(non diffitemur quidem, eum pleraque ex aliis descripsisse, multum tamen ei tribuendum est, quia plurimis rebus careremus, si absque hoc essemus, in quare ostendit insignem industriam. Plures interdum & integros versus seu lineas ex Plutarcho excerpsit, sed hoc non tanti est, ut propterea reprehendatur acerbius.)* Plures prodierunt editiones ab Aldo, *Stephano*, sed sine *Ibericis & Anibalicis*; postrema H. Stephani est præstantissima, Græco-Latina, recuderunt eandem Wechelii, sed non eadem diligentia & splendore. Seqvitur DIOGENIS LAERTII *Historia Philosophica*. Judicium de eo itidem duplex; unum est Semidoctorum, alterum Eruditorum; inter illos referre cogimur Barthol: Keckermannum, qvi admodum contemtim de Diogene judicavit, fidemqve ejus in dubium vocare conatus est, qva in re prodidit se & in hoc scriptore & in omni antiqvitate hospitem esse: *(Necesse est autem id accidere illis hominibus, qvi Auctores tantum*

obiter inſpiciunt, ſicut fecit Keckermannus, antiqvitatis oppidò ignarus, qvod non tolerandum eſt in Doctore Juventutis; ſcripſit qvidem non contemnenda in juventute de aliis rebus, ſed in his nihil vidit.) Eruditi autem multum huic ſcriptori tribuunt;, dolendum, qvod à Juventute non legatur, hinc enim ſtudia Philoſophica erant ordienda, cum ipſe per omnes ſectas eat, & ſtylo utatur facili ac perſpicuo, ſed qvia Græca tanqvam barbara hodiè faſtidiuntur, non valdè hic qvoq; curatur, altera cauſa eſt qvod non extent Commentarii in eundem, putant enim hodie nullum ſcriptorem legendum eſſe, niſi in qvem moles Commentariorum ſcripta ſit: verùm ſufficere poſſet cura & verſio Is. Caſauboni. M. ANTONINUS IMP. PHILOSOPHUS, qvi & *Philoſophis* poterat inſeri. Scripſit opus *de ſe & ad ſe*, cujus qvidem operis duplex reperitur titulus in Codice MSC. (1.) τὰ εἰς ἑαυτὸν (2.) ἢ τῶν εἰς ἑαυτὸν, unde aliqui dicunt eſſe tantum excerpta. Scriptum ipſum non eſt Hiſtoricum, ſed Philoſophicum, ut fallantur ii, qvi putant continere res geſtas Antonini, loqvitur in eo de ſe & ad ſe, totumqve opus eſt Diſſertatio ferè aliqva moralis; quia verò qvædam concurrunt ad Hiſtoriam Antonini pertinentia, pro Hiſtorico habetur. Editiones Xylandri, Geſneri vicit induſtria Merici Caſauboni. Judicium de hoc qvoqve duplex eſt, Vulgi & Eruditorum, & inter Eruditos ipſos paucorum. Vulgò nimis magnificè de hoc opere ſentiunt, præſertim propter Philoſophiam Stoicam. Eruditi autem non tam magnificè de eo judicant, ſunt enim reverà ſcopæ diſſolutæ, calx ſine arena, nihilqve contexti ineſt, & videntur mera excerpta & fortaſſe ſub ejus nomine edita; ego certe nunqvam crediderim eſſe ipſius Antonini. Reperiuntur qvidem aliqva etiam præclara, ſed ſine contextu omnia dicuntur. In ſinu ridentur illi, qvi tam magnificè hoc ſcriptum extollunt, cum ne in mediocri ſcriptore iſtiuſmodi negligentia toleretur. POLIÆNUS MACEDO edidit *Stratagemata ad Divos fratres.* De hoc præclare omnium primus meritus eſt Is. Caſaubonus (*Scriptor eſt per ſe ſeu ſua dote non adeò magni æſtimandus; multa tamen ex optimis Auctoribus deſcripſit. Aliàs* ἐκλογὴν *nonoſtendunt eruditionem ſcriptoris alicujus.*) PAUSANIAS qvi X. libris *Græciam* complexus eſt. *Judicium Scaligeri de eo ſeverius; Auctor eſt eruditiſſimus* πλυμαθέστατος, *absq; quo ſi eſſemus, mera caligo nobis obverſaretur in rebus Græcis, adeoque eo plane carere non poſſumus, propter brevitatem, qua ingentem multitudinem rerum complecti voluit* ἀκρίβειαν) optimam editionem Græcam procuravit

curavit Aldus, unde postea facile fuit H. Stehhano & Wecheliis adornare editionem Græco — Latinam. (*Eruditio ejus est profecto sine labe, quem eruditi merito inter reconditos habent.*) APOLLONII ALEXANDRINI DYSCOLI *Historia Commenticia* & 4. συν]άξεως *libri*; qvem post Xylandrum edidit Meursius. PHILOSTRATUS *de vita Apollonii* jussu Julii Severi uxoris scripsit; (*Quantum ad stylum est accuratissimus & eruditissimus, quantum ad res vanissimus, quas ipse in spem rei augustæ adornat, & superstitionibus fidem conciliare nititur.*) Editio una est incomparabilis, Morelli Prof. Paris. qui multos alios etiam edidit, omnesque Philostratos conjunctim prodire jussit. JULIUM AFRICANUM & alios in sequens seculum differemus. vid. & de his, & qvorum opera perierunt G.J. Vossius de *Histor. Gr.* L. II. C. 11. 12. 13. 14 15.

X. LATINORUM HISTORICORUM supersunt LUCIUS ANNÆUS FLORUS, ex Senecarum familia, non ille Epitomator Livii; est ejus opusculum ἀυ]οπρόσωπον, non epitome; (*Stylus est doctissimus & accuratissimus; & interdum supra Plinii Panegyricum ita assurgit, ut nihil sublimius in stilo Panegyrico cogitari possit. D. Heinsius qui in stylo Panegyrico excellere voluit, erudite & exquisitè imitatus est eum. Scio paucissimos esse, qui eum intelligant, nec suaserim juventuti prælegendum, quia etiam ipsos Doctores fatigare potest.*) Editio post plures alias est optima, qvam ex cura Magni Berneggeri dedit Amplissimus Freinshemius; vide ejus notas, & qvæ nos alibi. SVETONIUS TRANQVILLUS; (*vulgo parum notus & intellectus, difficilis, arduus, & inaccessus ob frequentiam rituum antiqvorum, quos tangit duntaxat, quorumque cognitio aliunde jam asserenda est. Angelus Politianus primus ostendit ejus præstantiam; stilus est accuratissimi, quippe qvi nullum verbum sine Auctoritate ponit.*) Nobilissimi in eum sunt Commentarii Casauboni, & Heinsii *Orat.* M JUNIANUS JUSTINUS, TROJI *Epitomator Antonino Pio* opus suum inscripsit (*eruditior & exquisitior est, quam vulgo constat. Verissimè olim svasit Bongarsius ab hoc inchoandum esse studium Historicum, sed hujusmodi consilia parvi penduntur hodie*;) Editio post Modii, Bongarsii &c. studia optima est Berneggeri. Videatur de his & qvi non exstant G.J Vossius de *Hist Lat.* L. I. C. 30. 31. 32. Qui & post Antoninos defectum Historiæ notat libri II. principio adde. c. 2.

XI. JURIS CONSULTORUM hujus seculi Illustrium, NERBII, PRISCI, ABOLENI, DOMITII, LABEONIS, SALVII JULIANI, VOLUSII

VOLUSII MECIANI &c. reliqvias diligenrer consignaverunt Indices Juris varii supra laudati.

XII. Ex illustribus MEDICIS supersunt RUFI EPHESII (*qui Trajani & Hadriani temporibus vixit*) libri III. *de Appellationibus partium corporis humani*, qvos Junius Paulus Crassus, Patavinus Professor, Latinè reddidit. De SORANI EPHESII, æqvalis horum temporum, opere τῶν γυναικείων exiguum fragmentum supereſt: scriptores τῶν γυναικείων collectim editi sunt & Basileæ & Venetiis. Videtur & his temporibus tribuendus CÆLIUS AURELIANUS, cujus extant libri V. *tardarum Passionum*, ac tres *celerum morborum*. In. M. *Antonini Philosophi*, *Commodi* & sic deinceps ad *Severi* tempora pertinet CLAUDIUS GALENUS *Pergamenus*, inter maxima omnis memoriæ nomina merito celebrandus. (*Est hic thesaurus omnis Eruditionis, omniaque ejus opuscula eruditione sunt referta, nec mirum philosophus fuit, quam Medicus; qui eum Medicis solum relinquunt, doctrinam ejus ignorant.*) Præstant Editio Veneta & Basileensis, quæ hodie conquiri solet maximis impensis, â Gallis præsertim & eruditioribus Italis. SERENUM SAMMONICUM ad seqvens seculum rectius retuleris.

XIII. PHILOSOPHI illustres celebrantur HERODES ATTICUS, cujus eximia qvædam Gellius nobis præsertim consignata reliqvit. Nactus etiam est nomen inter Oratores, cum aliis ab Aldo, postea â Grutero editus. (*Fuit homo gravissimus & doctissimus.*) PHAVORINUS; (*Hujus quoque notitiam debemus A. Gellio, qui sæpe tota ex illo* διπλασιασμὸς *citat, sed & Stobæus hujus gravissimi Philosophi meminit.*) Præstantiam ejus indicant Dissert. de *Genethliacis Judiciis, nutritione Infantum*. MAXIMUM TYRIUM PLATONICUM Cosmas Pactius Florentinus primum Latine reddidit, suis postea curis expolivit Dan. Heinsius, floruit sub *Commodo* teste Svida & secundo Romam venit. (*Suavissima est ejus eloquentia & copiosissima, ut agnoscas esse Platonicum; Hinc illis legendus est, qui Platonem intelligere volunt; quæ enim apud hunc μυστικώτερα traduntur, ipse planius explicavit.*) Sub *Antonino Pio* claruit SEXTUS EMPIRICUS. In Operibus ejus non est numerandus liber de *Medicina animalium*, scripsit autem *hypotheses Pyrrhonicorum*, qvæ ostendunt totum Scepticismum; cum enim sententia Pyrrhonis multis videretur absurda, Sextus nobile illud opus edidit, in qvo mentem illius Philosophi explicat: Extat & aliud ejus

ejus opus X. Libris constans *adversus Mathematicos* (*Qui titulus non intelligendus est, quasi Geometræ, Astronomi, &c. notarentur, sed μαθηματικοὶ veteribus sunt illi, qui studiis quibuscunque dant operam, hinc adversus omnium scientiarum sectatores disputat, contra Grammaticos, Rhetoricos, Dialecticos, Ethicos*;) Præclare de eo meriti sunt anno hujus seculi 21. Genevenses nec enim adhuc melior editio prodiit. (*De hoc auctore aliquid est dicendum. Parum secunda fama vulgo est apud scholas, quia docet tantum dubitare, non autem dubitationes expedire, quin tollere eum omnia omnis eruditionis fundamenta confidenter asseritur, sed revera maxima hæc est injuria, unde nec semel indignatus fui, tam sero me ad ejus lectionem accessisse propter eorum auctoritatem, qui Juventuti eum non censent legendum, nullo id quidem judicio; certe tyronibus non est proponendus, sed qui perfectè linguam Græcam callent. Prius que Diogenes Laertius est evolvendus, nec minus vitæ Sophistarum Philostrati, Eunapii, &c. hæc autem qui fecerit, tunc demum is pedum viam viderit; pauci aliàs eum penetrant, pauci ejus præstantiam cognoverunt, ut semper inter reconditos Auctores vulgoque ignotos habitus fuerit. Eloquentia ejus est exquisita, profluens & venusta, ipseque passim ostendit, se esse peritum antiquitatis: sed & causam istius scriptionis aperiemus. Videbat quoscunque Philosophos nominari, qui oretenus tantum tales essent, nec prius animum artibus imbuissent, illosq; de quacunq; re sine præmissa consideratione & examine pronunciare; ad arguendum igitur hanc temeritatem induxit illam διαπορίαν Σκεπτικὴν & doctissimas ubique dubitationes proposuit, ut nimirum Philosophos moneret, nihil pronunciandum esse, nisi dubia illa fuerint remota prius, ideò voluit potius acuere animos ad studium solidioris Philosophiæ, quam ab ea abducere. Utinam verò illud quoque hodie in usu esset, ut non tantum ab aliis tradita crederentur (quemadmodum multi eleganter disserere possunt de rebus aliquibus, quas ab aliis hauserunt, rationes tamen, cur ita sit sentiendum, exponere nequeunt) sed causæ etiam comprehenderentur. Sic non tantum dicendum est à Studioso Theologiæ, hoc dictum Biblicum ad confirmationem hujus vel illius articuli adhibitum est ab hoc vel illo Theologo, qui fuit ὀρθόδοξος, sed necesse est etiam, ut ipse intelligat, cur adhibitum fuerit, & quæ sit ejus consequentia, & hoc voluit magnus ille Theologus Hulsemannus in Breviario suo; qui sane magnam in illa re laudem meruit. Sed ut diximus*

opus Sexti Empirici auro est magis aureum, ipseque scriptor tanta Antiquitatis notitia pollet, ut multa nobis ignoranda sint, absque hoc si essemus; Verum istiusmodi rerum ignaris est inaccessum.) Huic seculo etiam convenit LUCIANUS SAMOSATENSIS, quem inter Philosophos meritò referimus; vid. G. I. Vossius *Hist. Lat.* L. 2. C. 15. (*qui eum inter Historicos refert propter doctissimum ejus opus de historia scribenda, cujus simile in tota antiquitate non habemus.*) Secutus est LUCIANUS, Vir doctissimus & eloqventissimus. Genus scribendi dialogisticum, sicut Plato & Cicero, ut nimirum salebrosa illa, quæ Philosophiam asperiorem reddunt, hisce condimentis edulcentur; primus eum edidit Aldus, postea secutæ sunt secundæ editiones Hagenoënsis & Basileensis, accessit tandem Parisiensis Frider. Morelli, Viri de compluribus Græcis Auctoribus præclarissimè meriti. (*Hunc scriptorem mature juventuti versandum suaserunt Viri docti, & quamvis Christianis fuerit iniquior, in eo tamen reperitur, quicquid in Viro erudito laudari meretur. Genus scribendi est Satyricum, quia videbat plurimum peccari non tantum in moribus, sed & in Philosophia, vixque nobilius opus est in Satyricis.*) MATHEMATICARUM DISCIPLINARUM honor PTOLEMÆI ALEXANDRINI ingenio per hoc seculum stetit; qvo de testantur Opera ejus Geographica, Astronomica, Astrologica, Musica, Optica, edita, inedita. De observationibus ejus Æqvinoctii autumnalis & aliis vid. Dion. Petavius *De Doctrina Temporum* II. 23. Bertiana Geographicorum Ptolemæi editione nihil est accuratius, Lugduni Batavorum; in ejus σύνταξιν exstant scholia Græca Porphyrii; Quemadmodum etiam ejusdem scholia inedita in Musicam Ptolemæi in qvamplurimis Germaniæ Bibliothecis visuntur. POLEMONIS qvædam habentur apud Photium. (*Etiam inter Sophistas & Oratores recenseri posset, causa est in aperto, quia nullus potest esse perfectus Orator, qui non sit Philosophus, quamvis Philosophus esse possit, qui non sit Orator.*) Anno superioris seculi 67. ejus aliquot declamationes edidit H. Stephanus & ante eum Aldus. APULEJUS MADAURENSIS, PLATONICUS, Latinus Philosophus: (*dignus titulo Philosophi*) in eo singulari industria versatus est Beroaldus, omnium autem præclarissimè meritus est de Apulejo Elmenhorstius, qvi eum edidit cum notis variorum & Petri Colvii, qvia & ipse præclarè de eo meritus est, sicut omnes ejus Viri notæ in Auctores sunt doctissimæ. (*De Eruditione Apulei nemo dubitabit, nisi qui fuerit indoctus, quæ sane est exquisitissima. Stylus qui-*

quidem aliquid peculiare sapit, & à cætera consuetudine abit, more Afrorum, & quamvis fuit studiosissimus lector antiquorum, stylum tamen sibi proprium commentus est satis audacter, qui nimirum ad tumorem Africanum accederet, omnes enim Afri stylum habent turgidum & salebrosum, nisi quod solus Terentius, qui quidem ante illa tempora diu vixit, nihil tale ostendit in suis scriptis. Plurimæ autem est utilitatis hic Philosophus:) *Metamorphoses, seu fabulas Milesias* seorsim edidit Johannes Pricæus, eruditus qvidem Gallus, cujus etiam erudita sunt, qvæ annotavit; nondum tamen videtur qvisqvam ostendisse, qvam eruditus fuerit Apulejus, qvantumque ex Græcis traheret. (*Nec Philosophus tantum fuit insignis, sed & Orator, quod ostendit in Apologia sua, quantum scilicet ad artem & modum, ad Sophismata & Stratagemata Oratoria attinet. Abundat autem Mysteriis Platonicis, ideò in suspicionem Magiæ fuit tractus.*)

XIV. Fuit hoc seculo magnus STUDIORUM HONOR propter Imperatores vel Eruditos, quales fuerunt HADRIANUS, ANTONINUS PHILOSOPHUS, SEVERUS, vel eruditorum amatores, qvalis TRAJANUS. De M. ANTONINI STUDIIS Dio Coccejanus apud Peirescium in *Excerptis*. HADRIANUS ut fuit invidus ita prorsus Homero iniqvus; Antimachum qvendam vix nomine notum in locum ejus substituere voluit. De SCHOLARUM successione opportuno tempore alibi dicetur. (*Ubi inprimis de Middendorpio loquendum erit, qui de Academiis scripsit, neque semper ad veritatem historicam respexit.*) BIBLIOTHECÆ à *Trajano* exstructæ; Dio lib. 68. & ab *Hadriano*.

XV. ARTES MILITARES tum ARCHITECTONICA etiam floruerunt; COLUMNA & PONS TRAJANI opus admirabile fuerunt, ut & MONUMENTA HADRIANI in Italia & Græcia, qvorum qvædam conspici potuerunt usque ad invasiones Turcicas. GYMNASTICA sub *Commodo* in immensum freqventata, nec sine dedecore Principatus. Laudanda verò moderatio MARCI in gladiatores, qvos ad necem depugnare noluit, item in Μελομάχας apud Dionem in *Excerptis Peirescianis*.

XVI. ARTES MAGICÆ HADRIANO amatæ; neglectæ M. ANTONINO PHILOSOPHO, sicut ipse de se scribit; unde refutat Scaliger in *animadversionibus ad Chronicon Eusebiani* numerum MMCLXXXIX. commentum Dionis de victoria tempestatis beneficio per Magum parta. Ubi & de *literis*, qvæ nomine MARCI feruntur. (*Illas verò tensemque esse suppositicias*

latine

Latinè enim scripsisset Imperator ad Senatum, ostenditque Scaliger esse ævi Justinianæi.)

XVII. TERRÆ MOTUM ANTIOCHENSEM ejusque cladem geographicè describit Dio L. 68. Refertur apud Eusebium in Chronico ad A. C. CXIV. accuratius CXV. vide Scaligerum in *animadv.*; post aliqvot annos NICOMEDIA, aliæque urbes plurimæ terræ motu conciderunt; Quæ causa liberalitatis Hadriani, ut scilicet collapsæ urbes resurgere possent, Eusebius in *Chronico*. Rursus postea NICOPOLIS & CÆSAREA id fatum expertæ. Eusebius in *Chronico* ad A. C. CXXX. Petavius ad A. C. CXXIIX. refert; vide plures terræ motus consignatos à Conr. Lycosthene, qui prodigia curiosè annotavit, nec tamen semper bona fide. ELOGIUM M. ANTONINI apud Dionem nimium varium, & Stoicæ jactantiæ accommodatum est *in Excerptis Peirescianis* p. 721. (*Mirum autem non est, dici hoc â fautore Stoicæ Philosophiæ: ipse enim* MARCUS *Imp. in opere suo semper dicit: vidi homines hoc & illo modo peccantes, unde mihi gratulabar, quod non essem sicut ille & iste. Ad modum Pharisæi in Evangelio.*) CONSVETUDO HONORARII TRIBUTI, sub. *Augusto* sponte cœpta, nunc lege *Commodi*, natali Principis exacta, ita ut Senatores eorumque uxores liberiqve, binos quisque aureos, aliarum autem civitatum Decuriones qvinos denarios tanqvam stipem qvotannis conferre viderentur & cogerentur; Dio in *Excerpt. Peiresc.* p. 729. Ambitiosa morte inclarescere voluit PEREGRINUS PHILOSOPHUS, de qvo Eusebius in *Chronico* ad A. C. CLXVI. *Apud Pisas* (*Sic etiam dicunt: Cajetæ Cajetarum in plurali, cum tamen utrumqve sit singulare.*) *Peregrinus philosophus rogo, quem ex lignis composuerat, incenso, semet ipsum superinjecit;* ad imitationem Calani Indi; vid. Scaliger *in animadv.* Circa PRÆTORIANOS novi instituti auctor *Severus* fuit; cum enim ex Italia tantum & Macedonia, Norica atqve Hispania Prætoriani legerentur, Severus ex omnibus regionibus supplevit Prætorianos; cujus rei incommoda Dio persequitur. *Exerpt. Peiresc.* 733. (*Nolebant Romani recipere in urbem eos milites, quorum vultus videbantur truculenti & mores tam feroces: Sed ipse favorem militum quærens, neminem ab hoc præmio excludum voluit.*) Ponitur hoc seculo SERIES HIEROSOLYMITANORUM EPISCOPORUM. Atqvi Hierosolyma nulla fuit, usqve ad instaurationem *Æliæ Capitolinæ*, qvæ successit Hierosolymitanæ appellationi; qvod dubium eleganter & eruditè resolvit Scaliger in *animadv. ad Eusebium N. MMCXL. & MMCLII.*

SECULUM III.

SECULUM III.

I. CHRONOLOGIA.

IMPERATORUM ROMANORUM TEMPORA hoc seculo valde controversa sunt; de qvibus disputat Dion. Petavius de *Doctrina Temporum* L.XI.C.24. De ALEXANDRI SEVERI ET GORDIANI præsertim junioris ætate C.25. De PHILIPPORUM initio & LUDIS SECULARIBUS C.26. De initio & obitu DECII, GALLI & VOLUSIANI, VALERIANI, & GALLIENI, CLAUDII, AURELIANI, TACITI, C.27. De PROBI *Imp. initio* & FASTORUM VULGARIUM PERTURBATIONE C.28. De CARI, CARINI ac NUMERIANI *primordiis* C.29. *De initio* DIOCLETIANI C.30; (*Annus & dies, qvo Diocletianus imperare cœpit, probabili ratione ibidem constituitur, contra inveteratam Chronologorum sententiam.*) Notetur & Æræ DIOCLETIANÆÆ celebritas. (*In ordinandis annis Imperatorum Onuphrius & Petavius aliquoties conveniunt, plerumque autem hic illum uno anno anticipat. Nobilem in hac Chronologia operam posuit Dion. Petavius; Volui autem hæc per titulos consignare, ut appareat, quantū obscuritatis & difficultatis in Chronologiam hujus seculi incubuerit.*)

II. PRIMUS SECULI ANNUS SEVERI *Imp.* nonus est, ut Petavius; decimus, uti Onuphrius putant; ULTIMUS seculi annus DIOCLETIANI *Imp.* decimus septimus ponitur.

II. ROMANA.

I. SEPTIMIO SEVERO in Britannia Eboraci mortuo, anno hujus seculi undecimo (Onuphrius 12. ponit) successerunt filii CARACALLA & GETA, jam tum discordes; sed Geta altero post anno parricidio fratris sublatus est. MATRE nati erant JULIA, SYRA; Philosophiæ cognitione celebrata. (*unde & dicta* Φιλόσοφος.) Integrum nomen est MARCUS ANTONINUS AURELIUS CARACALLVS, sicut Græci constanter scribunt; Herodianus l. 4. Dio l. 77. & 78. Unde nomen ANTONINI, vide apud Spartianum in *Geta* c. 1; & *Caracallæ* apud eundem in *Caracalla* c. 9. (*Tanto autem in honore habitum fuit nomen* ANTONINORUM, *ut IIX. numerarentur, crederentq; Romani, Rempublicam stare non posse sine nomine* ANTONINI, *quod Severus Imp. observavit.*) Pueritiam ejus omni spe bonæ indolis adornatam refert Spartianus c. 1. Egressus autem pueritiam vultum ad terrorem,

animum ad improbitatem composuit. *Alexandri M. Tiberii, Sullæ* nomina in exempla sibi delegit partim affectatione inconsulta, partim amore crudelitatis. Spartianus c. 2. Fratrem semper contemptum & invisum sibi, vivum mortuumque criminari, tanquam insidiatorem & veneficum matrique irreverentem perseveravit. Hinc occasio sæviendi sumpta, cum tanquam amici, aut ministri fratris, aut fautores memoriæ fraternæ, clarissimi quique Viri, cum vilioribus promiscua strage procumberent. Spartianus. c. 3. & 4. In iis PAPINIANI cædes omnium animos convertit c. 8. (*Percussit autem Papinianum securi. Natus inde error Viri alias & Jcti doctissimi Goveani, putantis minus honestam mortem fuisse, quæ gladio infertur; sed honestioris omnino supplicii instrumentum gladius fuit, quam securis; irrisio autem tantum & sarcasmus fuit Tyranni ad carnificem, quasi diceret: Debuisset Papinianum tanquam Virum honoratum & Prætorium non securi sed gladio percutere. Hujus viri vitam & eruditionem duo Jctorum lumina consignarunt; scilicet Jacobus Lectius, qui egregiè artes ejus & vitam descripsit, & Jacobus Cujacius peculiari libro.*) Simulata est fratris ἀποθέωσις, & DIVUS (*modo non sit* VIVUS) appellatus frater. Spartianus in *Geta*. c. 2. Lanienis etiam sæviit, ut in Alexandrinos blanditiis circumventos, Spartianus C. 6. Herodianus L. IV. C. 9. Dio L. 77. Etiam justitiæ administrandæ prætextu grassatus est in omnis generis homines variis calumniis ad mortem raptos. Spartianus c. 5. Perfidia exteros quoque irritavit, Osroenorum Regem Angarum præcipue & Armenium. Bellum adversum Germanicas gentes stolida affectatione potius, quam ratione & causis suscepit, & penuria magis quam armis confecit; donis etiam sibi conciliavit, multoque auro pacem ab iis redemit, utque inopiæ in Italia succurreret, æs inauratum vel argento oblitum loco monetæ probæ obtrusit, & in favorem quoque Germanorum CARACALLUM se vocavit, quo nomine vestimentum aliquod apud eos appellatur; Parthos quoque subdolæ affinitatis imagine percutit; Herodianus L. IV. C. 10; Ut GERMANICI, PARTHICI, ARABICI, ALAMANICI cognominibus celebraretur; Quibus GETICUM MAXIMUM addendum quidam dictitavit. Incesta cum matre consuetudo & infandæ voluptates auxerunt infamiam scelerum. Astrologis & Incantatoribus Magisque deditus erat. (*Ut ex Virorum illustrium genesi discere, an sibi faverent, quod multis exitio fuit.*) Pietatis simulatio, quando sæpe to-

pe totas noctes in templis pernoctavit, irrisui fuit in conscleratissimo homine. Neqve laboris militaris laus, cum veris Ducis artibus destitueretur, sincera fuit. Morbo ad extremum laborans, frustra qvæsivit piacula, donec â Macrino opera Martialis occisus est, Edessa Carras iter faciens. Dio in *Excerptis Peiresc.* p. 742. ingenium & mores hujus monstri ita describit, qvod fuerit ἐμπαλιν φύσει, οὐδὲ πάνυ τὰ πράγματα qvi modo summis honoribus afficeret, modo ignominiose tractaret, quosdam sine ratione servaret perdendos, perderet servandos. Addit qvod tres diversas gentes origine complexus, nullam ex earum gentium virtutibus, omnia vitia habuisset.

II. Successit occiso auctor cædis M. OPILIUS SEVERUS MACRINUS; sive M. OPILIUS AURELIUS SEVERUS MACRINUS, sicut in antiqvis nummis exprimitur, obscuro genere, per sordida ministeria ad Præfecturam Prætorii enisus. Militum suffragio adeptus est Imperium, qvos pecunia sibi pignoravit: *Homo vitiorum omnium*, utâ Capitolino in *Vita c. 5. & 6.* appellatur. Sed profuit ei ab initio odium Caracallæ; unde in Senatu clamatum est: *Quemvis magis qvam parricidam, qvemvis magis qvam incestum, qvemvis magis qvam impurum, quemvis magis quam interfectorem & Senatus & populi* imperare debere. Capitolinus in *Macrino* c. 2. Bellum cum Parthis, Armeniis, Arabibus gestum & pax facta, Herodianus l. 5. & Capitolinus c. 8. & 12. Invisus fuit severitatis affectatione in disciplina militari, unde *decimationes* ejus, *vicesimationes*, *centesimationes*. Capitolinus c. 12; supplicia itidem militum bobus insertorum, Tribunum qvi excubias deseri passus est, carpento rotatili subter annexum per totum iter vivum & exanimem traxit. Reddidit etiam Mezentii supplicium, qvo ille vivos mortuis alligabat & ad mortem cogebat longa tabe confectos. Vivos etiam homines parietibus inclusit & obstruxit. Adulterii reos semper vivos simul incendit, junctis corporibus, literatos tamen convivijs adhibuit; Capitolinus c. 13. Filium suum M. OPILIUM MACRINUM DIADUMENIANUM seu DIADUMENUM in communionem Imperii recepit, adeoqve calamitatis; Conspiratione enim militum imperium ad Heliogabalum translatum, unde prælium cum Macrino, qvi victus una cum filio interficitur A. C. CCXIIX. (vid. Capitolinus in *Vita Macrini*, & Lampridius in *Vita Diadumeni*. Dio L. 78. Herodianus l. 5.) ob incivilem & asperum principatum, sicut Lampridius me-

morat in *Diadumeno* c. 8. cum & filius crudelitatis paternæ suspectus jam esset factus.

III. HELIOGABALUS seu ELÆAGABALUS aut ELAGABALUS à Solis, cujus Sacerdos erat, nomine sic dictus. (*Vide quos nominavimus, & Herodianum L. 5. C. 3. inprimis Scaligerum, qui eruditè & diligenter de hoc nomine egit, sed eruditius adhuc Is. Casaubonus, omnium eruditissime & subtilissime Salmasius.*) Matrem *Soæmidem* (qvæ *Semia*, seu *Semiamira* aliis dicitur.) Mœsæ Phoniſſæ filiam habuit, Patrem, seu verum, seu mendacio jactatum, *Caracallum*; ex incestâ consuetudine, nam Soœmis propinqva conjunctione Juliæ Severi Uxoris cognata erat. Aviæ artibus & opulentia ex Sacerdote Solis, suffragante pulchritudine singulari, apud milites contra Macrinum Imperator factus est, sicut memorat Herodianus l. c. & Capitolinus in *Macrino* c. 9. Integrum nomen reperitur IMP. CÆSAR. M. AURELIUS. ANTONINUS. PIUS. FELIX. AUGUSTUS. SACERDOS. DEI. SOLIS. ELAGABALI. Dio Cassius PSEUDO-ANTONINUM constanter vocat L. 79. & Sardanapalo comparat. Genealogiam ejus diligenter exsequitur. H. Valesius Vir Doctiss. ad *Excerpta Peiresc.* p. 111. & 112. Victor Macrini, ut dictum est, *Antonini* nomen accepit, non modicum favoris ab initio & auctoritatis apud omnes habiturum, qvamqvam id post mortem amisit, jubente Senatu id ex omnibus statuis abradi. Atqve hunc Antoninorum ultimum memorant, de cujus nominis fato notabilia sunt loca in Spartiani *Severo* c. 19. *Caracallo* c. 9. *Geta*. c. 1. & 2. Capitolini *Macrino* c. 7. (*Hunc enim locum opportunum esse judicavimus, quo sub unum conspectum collocarentur omnia loca de hoc nomine, qvod Romani fatale habuerunt, tractantia.*) Factus Imperator occupavit statim omnes honores à Senatu principibus decerni solitos, literis primis ad Senatum & populum præscribens nomina: *Imperatoris, Cæsaris, Filii Antonini, Severi Nepotis, Pii, Felicis, Augusti, Proconsulis, Tribunitia potestate præditi*, Dio L. 79. Promisit autem se Augusti & M. Antonini exemplo imperaturum, verum imperio illius nihil funestius, turpius, sceleratiusqve fuit. Prima novi principatus specimina, cædes Magistratuum urbanorum & provincialium, aliorumqve Virorum illustrium, vel ipsi vel turpissimæ matri, aut fœdissimis monstris invisorum aut suspectorum fuerunt. Fatigatur Dionis Historia exprimendo numerum & causas. Erat enim diversa & multiplex tyrannidis species; ab immani ipsius ingenio, tum matris libidinibus ac vitiis (qvam & in Senatum

natum introduxit, & cujus causa in monte Qvirinali *Senatulum* seu Senatum mulierum instituit, Lampridius in *Heliogabalo* c. 4.) (*Sic enim legendum apud Lampridium, non ut quidam perperam,* **Senaculum**, *qui locus est, in quo Senatores conveniunt. Solebant quidem mulieres alioquin in illo monte convenire, sed sacrorum tantum gratia, non ut consultarent. Quamvis vero illa ipsa SCta non fuerint absurda, nec à disciplina civili abluderent, ut ex Lampridio cognoscere est, hoc tamen deforme erat, permittere mulieribus Senatum constituere.*) Deniqve à servorum & ministrorum libidinibus, qvi omnes honores & dignitates vendebant infandis neqvitiis, derivanda etiam religio, qvæ ipsi inter instrumenta flagitiorum fuit, sicut ostendunt sacrilegia verius, qvam sacrificia hujcum hostiarum, peregrino Deo Elæagabalo (de qvo pleraque annotavimus ad Herodianum, p. 438.) immolatarum, tum incestu qvasi religioso, matrimonia Vestalis; tum qvæsita Deo uxor, & divinæ dotis nomine exacta avare tributa, aliaqve prorsus pudenda. Qvo etiam Magorum omne genus pertinet, qvos tanqvam Deorum amicos honorabat. In aula *Zoticus* qvidam *coquus* dictus à patris conditione, omni genere flagitiorum & calumniarum congruebat. Fœdavit autem se & imperium cum variis inauditisque libidinibus, tum luxuriæ incredibilis commentis, ut omnia ante se Tyrannorum ingenia etiam & tempora suo triennio, & quod excurrit, vinceret. Qvare Historici velo pudoris multa involvere coguntur, præsertim autem de infanda Venere, fuit enim homo Pathicissimus, & secretis sceleribus, qvæ quidem secreta esse noluit, hoc muliebre monstrum, deditissimus. (*Omnium Historicorum calami fatigantur in hoc probro, & fatentur pudore se impediri, ita, ut ex plurimis pauca tantum excerpant. Unde Lampridius testatur, sibi non integrum esse omnia enarrare. Sed cum hoc monstrum omnem qvasi naturam & artem fatigarit in luxu promovendo, ideo diligentia Lampridii hac in parte est incomparabilis, qui de vario genere suppellectilis, ciborum, modorum coquendi &c. plurima annotavit, ut in eo thesaurum habeamus plurimarum antiquitatum, quæ nullibi aliàs in literas fuerant missæ, quæ etiam causa fuit, ut duo doctissimi maximique viri Is. Casaubonus & Cl. Salmasius Auctores* **Historiæ Augustæ** *Victorem, Spartianum, Lampridium, Vulcatium Gallicanum &c. illustrandos sumerent, & scientiam ostentarent in ea antiquitate, cujus vestigia apud alios Scriptores pauca comparent, ut de variis generibus vestium, vasorum, &c. Ut de vestibus tantum dicamus, nemo ad hunc usque*

diem materiam illam ad liquidum potuit deducere, multa quidem & egregia annotavit Casaubonus, nec minus Salmasius, qui contra Casaubonum sæpe disputat, non tamen totum negotium absolverunt, quin pauca tantum vestium genera illustrarunt; igitur magnifice de Opere Octavii Ferrarii Prof. Patavini sentire non possum, qui 10. in eo laboravit annis, sed post tot annorum labores, quam pauxillum est, quod attigit, & difficiliora pleraque prætermisit; verum quomodo hæc audere posset Vir in Græcis, ex quibus tamen maximè repetenda erant, ne modicè quidem doctus. Omnia autem, quæ huc pertinent, magna rerum copia conscripsit Lampridius.) Exercitibus Saltatorem qvendam præfecit & operis histrionalibus; Herodianus L. 5. C. 7. Alium itidem è scena juventuti, seu principem juventutis fecit; alium Senatus principem, alium eqvestri ordini præposuit. Aurigis & Comœdis Mimis ac histrionibus maxima imperii munia demandavit. Servis suis aut libertis, ut quisqve turpitudine præcellebat, procurationes provinciarum dedit. Ita quicquid olim honestatem & dignitatem habuit, in contumeliam versum est. Nam de privata vita infamis portenti enarrare longum esset. Cum milites malè haberet tam deformis principatus, tumultumque res spectaret, consilio aviæ Mæsæ consobrinum suum Mammææ filium *Alexianum*, qvem *Alexandrum* dixerunt, adoptavit. Sed cum hic præclaris educatoribus usus, ab Heliogabali flagitiis abhorreret, insidiis petitus, sed ab avia militibus præfectus est, qvi milites etiam Heliogabali scelera diutius non tolerantes, ipsum una cum matre interfecerunt, Alexandroqve imperium confirmarunt, Herodianus L. 5. C. 8. Lampridius in *Heliogabalo* c. 17. Appellatus est post mortem *Tiberinus* & *Tractitius* & *Impurus*, (qvo nomine specialiter nominantur Pathici) solusq; omnium Principum tractus est, & in cloacam missus, inq; Tiberim præcipitatus. Hujus tam prodigiosi monstri unum tantum factum tanqvam Principis narratur apud Dionem in *Excerptis Peiresc.*, qvod convitia in Caracallum jacta à Senatu, cum Macrino imperium confirmaretur, nec vindicaturum se promisit, nec vindicavit. (*Quia ei prædicta fuit mors violenta, semper in pretiosissimis vasis habuit parata Venena, duos aureos pugiones, turrim quoque pretiosissimam ædificavit, ut ex ea se præcipitaret, mortemque haberet pretiosam, cujus vita pretiosissima erat.*) Tempus imperii variè traditur. Lampridius c. 34. propè triennium nominat. Herodianus εἰς ἔτη δύο καὶ ἕξ. Petavius Dionis auctoritatem secutus annos 3. m. 9. ei tribuit, ut cœperit A. C. CCXIIX. finierit CCXXII.

IV.

IV. Successit *pessimo, quasi ad remedium generis humani* (ita erudite loquitur Lampridius ad modum ferè Taciti L. IV. *Hist.* 74. 4.: *Quomodo sterilitatem, aut nimios imbres, & cætera naturæ mala; ita luxum vel avaritiam dominantium tolerate. Vitia erunt, donec homines; sed neque hæc continua, & meliorum interventu pensantur.* Dicit autem *remedium generis humani*, solita Romanis μεγαλη γορία.) Princeps optimus M. AURELIUS SEVERUS ALEXANDER, in urbe Arcena genitus, Varii filius, Variæ nepos & consobrinus Heliogabali. Primus omnium cuncta insignia & honorificentiæ (*nescio an hoc dicatur antiquo vocabulo, puto tamen vocem esse satis bonam, quamvis apud nullum ex Veteribus, qui hodie supersunt, reperiatur; legi autem potuit apud alios, qui interciderunt. Usurparunt eandem vocem Ulpianus & Papinianus Viri doctissimi & veteris eloquentiæ satis gnari.*) genera simul recepit: *suffragante sibimet* CÆSARIS *nomine*, quod jam aliquot ante annos meruerat, & *magis suffragante vita & moribus*, quæ sunt verba Lampridii in Vita c. 2. qvi & causas tam laudati imperii collegit in homine Syro, (1.) naturam & ingenium, (2) timorem, qvod pessimus Princeps esset occisus, (*quo argumento etiam eruditissimè & gravissimè utitur Galba in adoptione Pisonis apud Tacitum*) (3) optimos consultores, amicos sanctos & venerabiles, quorum nomina consignantur c. 65. & seq. Mirum autem videri posset, cur Princeps modestissimus, qui & nomen Antonini à Senatu, cum ab Heliogabalo adoptaretur, oblatum, constanter recusavit, rogavitqve ne tanto nomine oneraretur, statim titulos omnes admiserit, qvod tamen vitio fuit versum Heliogabalo; de quo prolixam Dissertationem & dignam quæ hic consideretur instituit Lampridius. (*Sciendum igitur Heliogabalum sine auctoritate Senatus hos titulos sibi sumpsisse, non item Alexandrum; quod autem omnes simul admiserit, cum ante successivè tantum Imperatoribus tribuerentur, causa est, quia Senatus timebat, ne milites alium eligerent Imperatorem, & deinde se excusarent, se nescivisse, Alexandrum à Senatu plane jam confirmatum fuisse.*) In consultoribus mater MAMMÆA fuit, cui debuit optimos Præceptores, qvos enumerat Lampridius c. 3. qvanqvam cum esset avarior, multarum rerum causa fuit, ob qvas Alexander nimia reverentia (hanc enim legem sibi dixerat) ut judicat Herodianus L. 6. C. 1. seqq. erga matrem jam impotentem & imperio insolentius incubantem uso, displiceret. Initium principatus ab iis, qvorum recens invidia durabat, emendandis, merito petitum. Additi adolescentiæ Imperatoris XVI Consiliarii; Herodianus L. 6. C. 1 & assi-

& assidui amici, Viri gravissimi: de qvorum sententia & auctoritate plerâque agerentur. Restitutæ suis locis Religiones seu Imagines Deorum & Dearum, ab Heliogabalo, ut solus sol coleretur, ejectæ; Indigni honoribus & dignitatibus summoti, & ad pristinam utilitatem redacti; (*jussis scilicet aurigis ad currus, scenicis ad scenam, qui hactenus summas dignitates occupaverant, redire.*) Imperia & Magistratus in fortissimos optimosque Viros delata; Intercluſus ad aulam & ætatem Imperatoris aditus improbis aut suspectis; tempora negotiis accommodata, otio intercepta. Totis diebus ipse juri dicendo vacavit, ne ullum supereſſet tempus malis artibus. *Removit Judices omnes à Republica* (inquit Lampridius c. 15.) *& à ministeriis atque muneribus, quos impurus ille Heliogabalus ex genere hominum turpissimo provexerat; deinde Senatum & equestrem ordinem purgavit, & palatium suum comitatumque omnem, abjectis exaulico ministerio cunctis obscœnis & infamibus, nec quenquam passus est esse in Palatinis, nisi necessarium hominem.* Ipsas deinde tribus, & eos qvi militaribus nituntur prærogativis, purgavit; Leges diligenter & peritè tulit. Judicia severe administravit, opera & relatione juris peritissimorum hominum. Lampridius c. 15. Judicibus furibus, fumivenditoribus, ut Turriano, qui suffragationes aulicas h. e. negotia Cæsari commendanda suscipiebant; inprimis infestus, (Furta enim tum erant qvotidiana peccata apud judices.) aliorumqve scelerum vindex acerrimus. Lampridius c. 17. & 28. In disciplina militari prorsus multa salubriter constituit, quæ consignavit Lampridius c. 23. 32. 47. 50. 51. 52. 53. 54. Disciplinam qvoqve urbanam emendatis & constitutis variis rebus, prudentissimè rexit. Merentur singulatim cognosci, qvæ Lampridius tradit c. 21. 22. 23. 24. 26. 27. 33. 37. 39. Neque pejus provincialibus commodis prospectum. Lampridius C. 24, 46; vectigalia moderatus est c. 39. Civilis moderationis documenta variè recensentur c. 4. 5. 6. 7. 8. 9. 10. 11. 12. 42. &c. (*Exstant in hoc Lampridio integræ formulæ Orationum ἀυθλιξεὶ, & hoc est eximium in illis Scriptoribus Historiæ Augustæ quod tam multa habent de actionibus publicis, quæ planè insignem & venerandam antiquitatem habent, nullibi autem tam graves & multas acclamationes habet Lampridius, quam in hoc Imperatore, quas ipse quidem summa modestia recusavit; unde etiam miratur Historicus, quomodo in tantillam ætatem tanta gravitas cadere potuerit; simulque nobilissimo monumento illas acclamationes nobis consignat, nec non Imperatoris responsiones. Retulit illas acclamationes Veterum in opus suum Franciscus Bernardinus Ferrarius de Acclam. Vet.*) Inter res gestas recensentur

Expe-

Expeditio Parthica c. 50. victoria de Persis c. 55 57. Germanica expeditio, & in ea interitus c. 59, 60. 61. &c. Herodianus addendus est L. 6. Nam Dionis historia hic deficit, exiguo relicto libri 80. fragmento; Adde *Excerpta Peiresc.* p. 768. ubi de Artaxerxis successu & terrore, Romanorumqve militum licentia & luxu. Anni Imperii tribuuntur Alexandro Severo XIII; exitium ejus à Petavio refertur in A. C. CCXXXV.

V. MAXIMINUS THRAX â militibus Imperator creatus contra Alexandrum Severum, ex opilione miles, ex milite præfectus tyronum, cujus instinctu ductuqve Alexandrum interfectum memorat Herodianus L. 6. c. 8. & 9. Qvanquam Lampridius in dubio reliqvit in *Alexandro Severo* c. 59. Capitolinus tamen fatetur, qvod Alexander in suam perniciem Maximinum præfecerit Exercitui omni, in *Maximino c. 7. Abhinc* (utor verbis Victoris in *Cæs.* c. 24. qvi Auctor stylo quidem non tam valet, qvam prudentia; cujus etiam verba ipsa citamus, qvia vulgò vitiosissime leguntur,) *dum dominandi suis, qvam subigendi externos cupientiores sunt, atque inter se armantur, magis Romanum statum qvasi abrupto præcipitavere, inmissique in Imperium boni malique, nobiles atque ignobiles, atque barbari multi. Quippe ubi passim confusa omnia, neque suo feruntur modo, quique fas putant, uti per turbam rapere aliena officia, quæ regere nequeunt, & inscientia bonarum artium fœde corrumpunt; Ita vis licentiam nacta pernitiosa libidine mortales agit, quamdiu quidem virtute uti muro prohibita, postquam penè omnes flagitiis subacti sunt, etiam infirmis genere instituto qve publica permisit.* Namq; CAJUS JULIUS MAXIMINUS primus è militaribus, literarum ferè rudis potentiam cœpit suffragiis legionum. Qvi statim omnia ad tyrannidem vertit, occisis amicis & ministris Alexandri, & qvamvis contra Germanos fortiter feliciterque res gessisset, domesticâ tamen sævitiâ & avaritiâ infamatus, occasionem adversus se patefecit, initio ab Afris orto, qvi Proconsulem GORDIANUM creant Imperatorem, qvem & Senatus probat, Maximino hoste declarato, ministrisque tyrannidis & delatoribus punitis. Sed Gordianum Capellianus Numidiæ Præfectus vitâ expulit, filiumque prælio interemit. A. C. CCXXXVII. Nomen Gordiani integrum MARCUS ANTONINUS GORDIANUS AFRICANUS; vid. Herodianus l. 7. qvi res Gordianorum copiosissimè & maximè graviter descripsit; consulatus & Capitolinus in *Maximinis &*

Gordianis. Irritatus his Maximinus, vindictam & ultionem spirans, cum adventare in Italiam diceretur, Senatus mortè etiam Gordianorum consternatus esset, creat Imperatores D. CÆLIUM BALBINUM & M. CLODIUM PUPIENUM MAXIMUM; (*vulgo variant minutuli Historici in his nominibus, putantque duos esse* PUPIENUM & MAXIMUM, *sed haud dubiè unus est.*) Quibus adjungitur M. ANTONIUS GORDIANUS tertius A. C. CCXXXIIX. Mox interfectis odio militum Balbino & Maximo solus imperat, sociiqve Misithei consilio & opera multa præclarè pace belloque administrat, donec utrumqve Philippus Arabs sustulit; sed hæc postea accidere. Interea Maximinus Aqvilejam obsidens, acerrimè resistentem, tumultu militari perimitur, una cum filio; tum demum A. C. CCXXXVII. secuta cædes BALBINI MAXIMIQVE & imperium GORDIANI, cujus initio finitur Historia Herodiani qvæ L. 7. fere & 8. toto huc pertinet. Adde Capitolini *Gordianum tertium Maximum & Balbinum. Gordiano tertio* sex annos imperii tribuit Capitolinus, qvibus laudem boni Principis emeruit, rebus contra Persarum Regem Saporem bello etiam fortiter gestis; in qva expeditione scelere Philippi Arabis exstinctus est A. C. CCXLIV, qvem milites hac sepulchri inscriptione honorarunt: DIVO. GORDIANO. VICTORI. PERSARUM. VICTORI. GOTHORUM. VICTORI. SARMATHARUM. REPULSORI. ROMANARUM. SEDITIONUM. VICTORI. GERMANORUM. SED. NON. VICTORI. PHILIPPORUM. Capitolinus 34.

VI. Romæ audita hujus Gordiani morte, Senatus MARCIUM qvendam Imperatorem creavit, (*Cujus memoriam pene fugitivam ex antiquitate retraxit Is. Casaubonus ex Zonara, sed addi debet nummus Golzii, ut hinc appareat, quanta sit utilitas nummorum in historica antiquitate, hujus enim Imperii Historici fere non meminerunt; In nummo autem apud Golzium* dicitur: IMP. CÆSAR. M. MARCIUS. AUG. P. M. TRIB. PL.) Sed Eum mox in Palatio absumpsit, teste Zonarâ, morbus. Huic suffectus HOSTILIANUS, itidem statim fatis concessit, qvi in nummo est: IMP. CÆS. LUCIUS AURELIUS. SEVERUS HOSTILIANUS. Casaubonus hos è fuga retraxit in lucem in animadversionibus ad *historiam* AUGUSTAM. Sed M. JULII PHILIPPI ARABIS imperium valuit; in cujus consortium etiam recepit filium C. JULIUM SATURNINUM PHILIPPUM, qvi tamen accepto imperio, nomina Patris

sibi

sibi accommodavit. Falluntur qvi hunc Christianum fuisse Eusebio & Orosio credunt; error in persona fuit; Philippus enim Præfectus Augustalis Alexandriæ, Pater S. Eugeniæ, cum hoc confunditur. (*Eusebii quidem nullus est error hac in re, qui id ex aliis tantum retulit, sed non debuissent textum non rectè intellectum & Orosii errorem sequi: vita enim Philippi sceleribus & odio in Christianos est infamis, qvod olim monuit Scaliger in animadv. ad Euseb. & repetiit Dionys. Petavius in Doctrina Temporum.*) Philippus Prison fratre Syriacis exercitibus Præfecto, Severiano genero Mysiæ, Macedoniæqve copiis præesse jusso, contra Carpos expeditionem suscepit, ubi re non infeliciter gesta audit in Syria, Mysia, Pannoniaque excitatum tumultum, summamqve rerum ibi ad PAPIANUM, qvi & IOTAPIANUS; hic ad Marinum translatam; sed illi qvidem facile è medio sublati sunt testé. Zosimo L. 1. Aurelio Victore c. 29. Decius autem Vir nobilissimus in Mysiam Pannoniamqve missus ultor seditionum, militari suffragio Imperator creatus, contra qvem cum exercitu profectus Philippus esset, Veronæ cadit, pulso amissoq; exercitu. Qveis Romæ compertis apud castra prætoria filius interficitur. Aurelius Victor. 28. Zosimus L. 1. A. C. CCXLIX. Philippi Imperium nobilitatum est ludis secularibus ab urbe condita millesimo exacto A. C. CCXLIIX. celebratis, de qvibus Petavius de *Doctrina Temporum* L. XI. C. 25.

VII. CNEJUS MESSIUS QVINTUS TRAJANUS DECIUS Imperium nactus, in Scythas Tanain transgressos expeditionem suscepit, assumto adjutore expeditionis *Gallo*, qvi cum hostibus conspirans, insidiis Decium objecit; Qvi exstinctus, celebratus est optimi Principis laudibus teste Zosimo L. 1. Periit cum eo A. C. CCLI. sive ante eum, eodem tamen prælio, Filius, qvem *Cæsarem* assumserat; Qvanqvam alii patri successisse, mox insidiis sublatum autument, ut ex Zosimo Onuphrius & Golzius referunt, qvos laudat Cl. Chr. Ad. Rupertus. C. VIBIUS TREBONIANUS GALLUS pecunia conciliatis Scythis, Romam reversus; ignaviæ se dedit. Ea res incitamento fuit Scythis, Romanam ditionem late vastandi, sicut & Gothis, Boranis, Carpis in Europa; in Asia Persis; v. Zosimus L. 1. parum enim erat præsidii in Imperatoribus. GALLO & VOLUSIANO FILIO, qvem AUGUSTUM appellaverat imperio suscepto. Confusam hoc loco Imperatorum historiam opera sane laudabili aggressus Cl. Rupertus in observationibus ad *Synopsin Besoldi* p. 361. & seqq. Occurrit enim hic defectus historiæ apud Latinos à MAXIMO & BALBINO

ad VALERIANUM. (*Ductus est Rupertus exemplo Is. Casauboni, qui ea de re in animadversionibus ad scriptores Historiæ Augustæ quæstus & pollicitus est restitutionem, quam tamen non suppeditavit.*) Exultantes segnitie GALLI Scythas Æmilianus, Ordinum Pannonicorum Dux, aggressus vicit, liberatisqve provinciis Exercitum Victorem, â qvo Imperator salutatus erat, in Italiam adversus *Gallum* duxit. *Ille Valerianum* Gallis Germanicisqve legionibus accersendis dimittit, egressus adversus *Æmilianum* supervenientem, conspiratione militari unâ cum filio occiditur: A. C. CCLIV. Imperii III. Sed nec IMP. CÆSARI C. JULIO ÆMILIANO PIO FELICI AUGUSTO (ita enim in nummis legitur) ultra trimestre tempus imperium mansit, eadem temeritate militum, qva Imperatorem fecerant, sublato. Modesto tamen Imperio usus Victori dicitur.

IIX. VALERIANUS, qvi â *Gallo*, ut dictum est, missus erat accersendis copiis, magno applausu Imperator factus, infeliciter imperavit. Integrum nomen fuit: IMPERATOR CÆSAR PUBLIUS LICINIUS VALERIANUS PIUS FELIX AUGUSTUS. Cum undiqve Romanum Imperium vastaretur, Sapores Persarum Rex moto in Oriente bello, Valerianum eo progressum spe colloqvii in captivitatem redegit A. C. CCLX. indignisque modis habitum tandem excoriavit. Eutropius *in Passione B. Pontii MSC. Salmasio ex Bibliotheca Puteanorum citata ad Trebellium*; adde Eusebium L. IV. de vita Constantini M. C. II. Trebellium Pollionem in Valeriano, Zosimum L. I. Contra hunc Valerianum primus XXX. tyrannorum Imperator appellatus est CYRIADES (in nummo IMP. CÆS. M. CYRIADES P. F A.) in Syria; sed occisus est initio expeditionis Persicæ Valeriani; v. Trebellius in XXX. Tyrannis. Hinc Imp. PUBLIUS LICINIUS IGNATIUS GALLIENUS, qvi cum Patre VALERIANO 7. annos imperaverat, solus 8. per annos imperium luxu, mollitie, ignavia, ex maximo & pulcherrimo lacerum ac deforme reddidit; qvanqvam de tempore magna sit discrepantia; Vid. Trebellius in *Gallieno*, Petavius de *Doctrina Temporum* L. XI. Vitam conscripsit Trebellius Pollio, cui adde Zosimum L. I. Filium SALONINUM CÆSAREM dixit; occisus fraude suorum apud Mediolanum A. C. CCLXIIX. Contemptu autem mali Principis, qvi ubique provincias administrabant, Imperium arripuere, *tumultuarii Imperatores & Reguli* dicti, qvorum historiam uno volumine complexus est Trebellius Pollio titulo 30. *Tyrannorum*, de qvorum aliqvibus Aurelius Victor in Epitome & Zosimus. (*Super-*

est in

est in illa tyrannorum XXX. historia duplex difficultas (1.) *quomodo numerus sit explendus; videmus enim Trebellium de eo dubitasse; reperiuntur etiam apud Zosimum quædam nomina, quæ apud Trebellium non habentur, itaque remedia quæsita sunt ab Eruditis.* (2.) *est in Chronologia, quo nimirum illi tempore imperaverint, quam Trebellius vel neglexit, vel pervertit, vel in ea indaganda non satis diligens fuit; hinc denuo egregio & clarissimæ Eruditionis Viro Chr. Ad Ruperto nata occasio alium ordinem constituendi, delectabatur enim studio Chronologico.*)

IX. Successit M. AURELLIUS CLAUDIUS, qvem Julianus Imp. ita inducit: ut *Dii eum admirati sint ob magnitudinem animi & tam amantis patriæ Viri posteris longum imperium decreverint.* Genere obscuro, virtutibus eluxit, in quo (teste Trebellio Pollione c. 2.) *Trajani virtus, Antonini pietas, Augusti moderatio & magnorum Principum bona sic fuerunt, ut non ab aliis exemplum caperet, sed etiamsi illi non fuissent, hic cæteris reliquisset exemplum.* Plurima contra Scythas & Gothos fortiter feliciterque gessit, donec peste exstinctus periit A.C. CCLXX, cum imperasset ann. 1. m. 10. d. aliqvot.

X. Frater M. AURELIUS QVINCTILLUS, delatum sibi omnium judicio imperium, cum suscepisset. die XVII. a milite disciplinam intolerante interemptus est. Trebellius Pollio in *D. Claudio* c. 12. Zosimus L. 1. Qvinctilli mortem aliter tradit; cum Trebellio facit Victoris *Epitome.* Nam in Victore altero defectus occurrit.

XI. *Successit* L. DOMITIUS AURELIANUS, Sirmiensis, necessarius magis, quam bonus, qvem nec in bonis nec in malis Principibus habitum, Vopiscus memorat in *vita* ejus c. 44. sicut enim virtute militari præcelluit, qvod victoriæ ejus adversus exteros & domesticos testantur, ita prima Imperii dote caruit, clementia, unde Diocletianus dixit: *Ducem potius, quam Principem esse debuisse.* Et Julianus in *Satyra* crudelitatem ejus cruento exitu vindicatam notat, eamque egregio commento exagitat. Nam profectus ad bellum Orientale inter Heracleam & Byzantium malitia Notarii sui interemptus est. A.C. CCLXXV (Vopiscus in *Vita* c. 35. & 36.) metu crudelitatis, cum imperasset ann. 5. amplius. Contra Aurelianum hunc FIRMUS (ita constanter latini legunt, in Græcis autem nummis habetur Φίρμι Ϛ.) Zenobiæ amicus & socius purpuram & Imperatorium nomen sumpsit, sed ab eo de *Carris* redeunte victus & interemptus est; videatur Vopiscus in *Firmo*; Addatur Zosimus L. 1. (*Hic Zosi-*

mus egregius est Scriptor, & diligentia & eloquentia valens, quanquam male audiat apud Christianos, auctores præsertim Historiæ Ecclesiasticæ & Baronium, qui mendacia ejus suspectant; Hinc & iniquius interdum de eo judicant, sed faciunt ei injuriam. Cæterorum autem auctoritas docet, vera esse quæ scribat, quamvis fuerit Christianorum hostis & Idololatra. Superat certè Vopiscum, qui aliàs diligentiam suam jactat, & se cæteris Historicis præfert, quod quidem jactantius fecit. Zosimus enim eo longe gravior est.)

XII. Aurelianum excipit M. AURELIUS TACITUS. (*Post interregnum semestre, de quo Vopiscus graviter, miraturque quomodo tam tranquillum illud fuerit, cum aliàs interregna multis turbis sint inquieta, causam etiam dat hujus quietis.*) Delatum est recusanti Tacito imperium, Vopiscus C. 2. 3. 4. 5. 6. 7. *Gessit autem propter brevitatem temporum nihil magni*, inquit Vospiscus C. 13 interemptus insidiis militaribus, ut alii dicunt, sexto mense, ut alii, morbo interiit; quanquam Zosimus egregias ipsi victorias contra Scythas tribuat. Occiso Tacito imperium arripuit M. ANNIUS FLORIANUS, Frater Taciti Germanus, ut apud Vopiscum est c. 1. (*quem tamen Uterinum modo fratrem signari nonnulli autumant.*) sed vix duobus mensibus tenuit, occisus Tarsi à militibus, qui M. AURELIUM PROBUM, in oriente electum Imperatorem, minimè detrectandum sibi, cum ad manus ventum esset, existimabant.

XIII. PROBUS Sirmio in Pannonia oriundus, tam privatus, quam Imperator, nobilissimis virtutibus claruit; Vopiscus in *Probo* C. 3. Imperium à vindicta interfectorum Aureliani & Taciti auspicatus est, in qua re narranda aliter Vopiscus c. 13. aliter Zosimus C. 1. versantur. Gallias à Germanis vindicavit, prorsusque ingentia bella gessit, ac virtute non minori quam felicitate Rhætias, Illyricum, Thraciam, Isauriam, Pamphyliam & alias provincias terrore hostilium incursionum liberavit. Adversus hunc tam bonum tam fortem Imperatorem P. SEMPRONIUS SATURNINUS ex Gallis oriundus in Ægypto creatus Imperator, vita imperioque paulo post caruit. Vopiscus in *Probo* c. 18. & *Saturnino* c. 11. Idem fatum fuit T. ÆLII PROCULI, qui apud Agrippinam Imperator factus, fortitudini & virtuti Probi succubuit, teste Vopisco in *Proculo*; ut & QVINCTUS BONOSIUS (ut legitur in nummis, quanquam vulgò nominetur BONOSUS) homo bibacissimus, quem longo graviqve certamine Probus superavit, & ad laqueum adegit. Vopiscus in *Bonosio*. Probo interea causa fuit exitii,

exitii, militum, qvos laboribus exercere solebat, odium, à quibus in itinere Persico, cum per Illyricum tenderet, interfectus est, regno administrato 6. ann. 4. mens. A. C. CCXXCII. In Juliani *Cæsaribus* laudatur, carpitur tamen à Sileno, & exagitatur propter asperitatem imperio alienam. Res ejus gestas diligenter persecutus est Zosimus. Cujus Historia deficit *in Probi* fine l. 1. & postea *Cari* ac Filiorum, ut & *Diocletiani* imperium planè deest insigni jactura, (*Nam ubi Zosimum habemus, videmus eum cæterorum industriam superare.*) ac liber II. etiam ἀκέφαλος est.

XIV. Probo interfecto M. AURELIUS CARUS Narbonensis in Illyrico suscepit imperium, ac biennio tenuit, Qvi cum filios suos CARINUM & NUMERIANUM consortes regni effecisset, bello Parthico, postqvam duas nobilissimas Parthorum urbes cœpit; super Tigrim in castris fulmine ictus interiit. Ita Orosius L. 7. c. 24. adde Aurelium Victorem; de expeditione Persica mentio fit in Synesii Oratione de *regno*. Vopiscus in *Vita* c. 4. vocat *medium virum inter bonos magis qvam inter malos Principes collocandum, & longè meliorem, si Carinum non reliquisset hæredem.* Apud Julianum in Satyra à convivio cum filiis repellitur severitate Ducis. Habuerat Carus in expeditione Persica filium NUMERIANUM, qui factione Apri Soceri sui interficitur, *Et cum quereretur* (sunt verba Vopisci in *Numeriano*) *qvis vindex Numeriani justissimus fieret, qvis daretur Reipubl. bonus Princeps, Diocletianum omnes divino consensu cui multa jam signa facta dicebantur imperii, Augustum appellarunt.* A. C. CCXXCIV.

XV. Initium DIOCLETIANI non minimas habet difficultates, de quibus vide Dionysium Petavium de *Doctrina Temporum* L. XI. c. 29. & 30. cujus ratio est expeditissima, adde Henr. Valesium ad Ammianum Marcellinum L. 23. (*Qvi post Lindenbrogium & alios Viros doctos abunde adhuc invenit, qvod in Ammiano ageret, sicut etiam de aliis antiquis Scriptoribus præclarissimè meritus est.*) Illa verò difficultatis causa non postrema est, quod interfecto Numeriano statim quidem Imperator à militibus factus Diocletianus, adversarium tamen habuit Carinum, alterum Cari filium, qui multis cum eo præliis conflixit, donec ultima pugna apud Martium, (aliis Murgium) commissa victus occubuit. vid. Vopicus in *Carino*. Ex qvo tempore A. C. CCXXCV. jam fine controversia Diocletianus Imperator fuit; adde Aurelium Victorem c. 39. §. 1. *Histor. Miscell.* L. 10. c. 48. Hic ipse verò AURELIUS VALERIUS DIOCLETIANUS, obscurissimè natus, antea DIOCLES vocabatur;

Vopiscus

Vopiscus in *Numeriano* vocat *Virum insignem, callidum, amantẽ reipublicæ, amantem suorum, & ad omnia quæ tempus quæsierat paratum, consilii semper alti, nunquam tamen effrontis, sed prudentis, nimiâ pervicacia remotus inquieti pectoris comprimentis.* Aurelio Victori c. 39. *ob sapientiam dicitur magnus Vir; his moribus tamen, quippe qui primus ex auro veste quæsita, Serici & Purpuræ gemmarumq; vim plantis pedum concupiverit, quæ quamquam plus quam civilia, tumidiq; & affluentis animi, levia tamen præ cæteris; namq; se primus omnium post Caligulam & Domitianum Dominum dici palam passus, & adorari se appellariq; uti Deum.* (*Posset tamen in hoc Victori controversia moveri; nam & Heliogabalus Deum se votari voluit. Sed Victor eò forsan respexit, quod hunc honorem illud monstrum non obtinuerit, nisi apud adulatores.*) Eutropii hoc est judicium *Histor. Miscell. L.* 10. c. 44. *Diocletianus morigeratus callide fuit, sagax prætereà, & admodum subtilis ingenio, & qui severitatem suam aliena invidia vellet explere; diligentissimus tamen & solertissimus Princeps, etsi Imperio Romano primus Regiæ consuetudinis formam magis quam Romanæ libertatis invexerat, adorariq; se jussit, cum ante eum cuncti Imperatores ut Judices salutarentur. Ornamentum gemmarum vestibus calceamentisq; indidit, nam prius imperii insigne in Chlamyde purpurea tantum erat, reliquaq; communia.* Eadem fere habet Joh. Antiochenus ex Zosimo, ut arbitror, descripta, ut stylus docet in *Excerptis Peiresc.* p. 835. seq. Initio imperii Aprum, Numeriani interfectorem, sua manu occidit, adscitoque mox CÆSARE MAXIMIANO militari virtute spectato, cætera crudeli homine, cum undiqve qvateretur imperium rebellione variarum gentium, Maximianum ex *Cæsare Augustum* fecit. Inde â duobus Collegis adsciti sunt Cæsares CONSTANTIUS CHLORUS & GALERIUS MAXIMIANUS *junior*, affinitate obligati. Diocletianus ergo horum opere & per se multa strenuè gessit, defensique adversus Tyrannos & hostes externos imperii, insignem gloriam retulit. Describunt illa Victor in *Cæsaribus* solito copiosius. Orosius etiam satis diligenter L. 7. c. 25. Eusebius in *Chronico*; Mamertinus in *Panegyrico* 2. qui dictus est *Maximiano Aug.* Ex his Tyrannorum 7. Imperium Diocletiani inqvietantium historiam etiam conduxit Cl. Rupertus, diligentissimè omnibus breviter contractis. Liberalitatem Diocletiani in Pauperes Aledriæ laudat Procopius in *ἀνεκδότοις* p. 119. (*Quem insigni cum infamia Justinianus Imp. abolevit.*) Viginti jam annis imperaverat Diocletianus cum suis collegis, (*in Christianos etiam cum Maximiano crudelis*, de qvo alibi.) ubi deponendi

Impe-

Imperii consilium cœpit; de qva re Aurelius Victor in *Cæsaribus* c. 39. §. 5. *Imminentium scrutator* (Diocletianus) *ubi fato intestinas clades & qvasi fragorem qvendam impendere comperit status Romani, celebrato regni vicesimo anno valentior curam Reipublicæ* abjecit: *Cum in sententiam Herculeum ægerrimè traduxisset; cui anno minus fuerat potentia.* *Et quanquam alii aliter æstiment, nobis tamen excellenti natura videtur ad communem vitam spreto ambitu descendisse.* (*Ex quibus verbis deprehendere mihi videor illud, qvod semper suspicatus sui, Victorem historiam suam ex aliis consarcinasse; aperte enim sibi contradicit, dum ait:* **Diocletianum ob imminentes turbas imperium deposuisse,** *mox autem id factum fuisse* **animi altitudine & excellentia naturæ,** *quæ idem non sunt.*) *Historia Miscella* L. X. C. 44. hæc habet: *Cum ingravescente ævo parum se idoneum Diocletianus moderando imperio esse sentiret, auctor Herculeo fuit, ut in vitam privatam concederent & stationem Reipubl. tuendæ viridioribus juvenioribusque mandarent, cui ægrè Collega obtemperavit. Tamen uterque uno die privato habitu imperii insigne mutavit, Nicomediæ Diocletianus, Herculeus Mediolani, post triumphum inclytum, quem Romæ ex numerosis gentibus egerant, pompa ferculorum illustri, qva Narsei conjuges sororesque & liberi ante currum ducti sunt.* (*Hæc abdicatio egreditur quidem terminos hujus seculi, & in annum insequentis seculi qvartum refertur, ob connexionem tamen historiæ his subjicienda fuit.*) Quam diu in privato otio Solonæ supervixerit Diocletianus, incertum est, (*vide Rupertum.*) id certius, noluisse eum, cum revocaretur ad imperium, reverti. Qvamquam autem solus omnium post conditum Romanum Imperium ex tanto fastigio sponte ad privatæ vitæ statum civitatemq; remeavit, magnæ tamen fortunæ pericula deniqve non effugit, eaqve veneno sumpto prævertit, nihilominus, licet privatus obiisset, inter DIVOS relatus. *Hist. Miscell.* fine L. 10. Julianus in *Cæsaribus* notabiliter introducit Diocletianum *ingredientem splendido ornatu, secum ducentem Maximianos duos, & Constantinum, manibus se invicem tenentes, neq; ex æquo gradientes, sed Diocletianum circumstantes per modum Chori, quos ille sibi apparitorum vice fungi & præire volentes prohibeat, nihil præcipuè sibi arrogare studens.* (*Sed hæc cum exceptione intelligenda sunt, non enim expers fuit magnæ superbiæ, qvod* & inde

inde apparet, quod honores divinos appetiverit, & Galerium primâ vice â Narseo Persarum Rege victum contumelioſiſſimè exceperit, & multos paſſus ad Eſſedum currere coëgerit.) *Ille vero pariter cum aliis* (ita perſequitur Julianus) *incedere cœpit, cum ſe onere premi ſentiret, quicquid humeris geſtabat, inter eos partitus, liber ſolutusque incedebat. Horum concordiam Dii admirati, longè meliori & digniori præ multis aliis loco ſedere præceperunt. Niſi quod Maximianus ἀχάλας & prohibitus convivio eſt.* (*Videmus hic, quanta in hoc ſeculo turba Imperatorum fuerit, & quantas res divina providentia in illud cumulaverit: Si hoc ſeculum nactum fuiſſet ſcriptores, quanta moles rerum emerſiſſet, ſed jam defecerant decora ingenia, cum alias turbulenta tempora omnis diſciplinæ uberem materiam ſcribendi ſuppeditent, ut vel ex Taciti libris Hiſtoriarum videre eſt.*)

XVI. Quantum ad νομοθεσίαν IMPERATORUM HUJUS SECULI, ANTONINUS CARACALLUS LEGE MAJESTATIS tyrannicè extenſa, damnavit eos, qui urinam in eo loco fecerunt, in qvo ſtatuæ aut imagines erant Principis, & qvi coronas imaginibus ejus detraxerant, ut alias ponerent. Spartianus in *Vita* c. 15. (*loqvimur hic de Legibus, qvatenus eas in hiſtoriis habemus, namqvæ in Corpore Juris habentur, aliis ſunt notatæ. Extenſio legis de crimine Majeſtatis, eſt vel prudentiæ civilis ex rationibus probabilibus, ut Auguſti, vel Tyrannica,* (*ut h. l.*) Damnati ſunt, & qvi remedia qvartanis tertianisqve collo annexa ſeu amuleta geſtarent. Spartianus ibidem. AURUM CORONARIUM aſſiduè exegit. VECTIGAL decimæ pro viceſima inſtituit, tam eorum, qui manu mitterentur, qvam hæreditatum ac legatorum. Cum SUCCEDENDI JUS & immunitates omnes, qvæ proximis defunctorum ac genere conjunctiſſimis conceſſæ legibus erant, ſuſtuliſſet; Omnibus qvi in orbe Romano erant, civitatem dedit, ſpecie honoris conceſſa fiſcum ſuum augens; peregrini enim pleraqve vectigalium, qvæ dicta ſunt, non pendebant. Hæc ex Dione *Excerpt. Peireſc* p. 745. Idem MILITIBUS PRÆMIA militiæ conſtituit, Prætorianis aureos 200, cæteris 50. Idem p. 757.

XVII. MACRINUS fuit in Jure non incallidus, (*Minus latine.*) adeo ut ſtatuiſſet, omnia reſcripta Veterum Principum tollere, ut jure, non reſcriptis ageretur, nefas eſſe dicens, *leges videri Commodi & Caracalli*

calli & hominum imperitorum voluntates, cum Trajanus nunquam libellis responderit, ne ad alias causas facta perferrentur, quæ ad gratiam composita viderentur. Capitolinus in *Vita* c. 13. (*Nobilis hic est locus & egregia cogitatio Macrini, sentientis, leges à malis Principibus latas in hujus vel illius gratiam aliis sæpe casibus postea fuisse applicatas.*)

XIIX. ALEXANDER SEVERUS NEGOTIATORIBUS, ut Romam volentes concurrerent, maximam immunitatem dedit. OLEUM, qvod *Severus* populo dederat, qvodqve *Heleogabalus* imminuerat; turpissimis hominibus præfecturam tribuendo, integrum restituit. JUS CONFERENDI RATIONES, qvod impurus ille sustulerat, hic omnibus reddidit. JUDÆIS privilegia reservavit. CHRISTIANOS esse passus est. Hæc ex Lampridio in Vita c. 22. BALNEA MIXTA (qvorum Heleogabalus licentiam rursus dederat) Romæ exhiberi prohibuit. LENONUM VECTIGAL & meretricum & Exoletorum inferi vetuit in sacrum ærarium, sed sumptibus publicis ad instaurationem Theatri, Circi, Amphitheatri & ærarii deputavit. *Bracariorum, Linteonum, Vitriariorum, pellionum, plaustrariorum, argentariorum, aurificum,* & cæterarum artium VECTIGAL pulcherrimum instituit, ex eoqve jussit THERMAS, & qvas ipse fundaverat, & superiores, populi usibus exhiberi; Sylvas etiam thermis publicis deputavit, addidit & oleum luminibus thermarum, cum olim non ante auroram paterent, & ante solis occasum clauderentur. Lampridius c. 24. USURAS fœneratorum contraxit ad *trientes* (*tres terminos*) pensiones, etiam pauperibus consulens. SENATORES si fœnerarentur, usuras primo accipere vetuit, nisi aliquid muneris causa acciperet, postea tamen jussit, in semisses acciperent donum, munus tamen sustulit. Lampridius c. 26. (*materiam de re fœnebri nemo studiosius & diligentius explicavit Cl. Salmasio, ubi loca antiquorum adduxit, exsecutus est etiam quædam doctissimus Gronovius in eruditiss. opere de Sestertiis.*) Constituit etiam ut EQVITES ROMANI à SENATORIBUS clavi qvalitate discernerentur. PENULIS intra urbem frigoris causa, ut senes uterentur, permisit; cum id vestimentum semper itinerarium aut pluviæ fuisset. Matronis tamen intra urbem penulis uti vetuit, in itinere permisit. Lampridius c. 27. AURUM NEGOTIATORIUM & CORONARIUM Romæ remisit. Lampridius c. 32. Fecit ROMÆ CURATORES urbis XIV. Sed ex *Consularibus*, qvos audire negotia urbana cum *præfecto urbis*, (*cujus officium nimis onerosum erat, nec omnia complecti poterat.*) jussit, ita, ut omnes aut magna pars adesset, cum acta fierent. CORPORA (Zunften) omnium constituit, *vinariorũ, lupi-*

lupinariorum, caligariorum & omnino omnium artium, hisqve ex sese defensores dedit, & jussit, quid ad qvos judices pertineret; Lampridius c. 33. VECTIGALIA PUBLICA in id contraxit, ut qvi X. aureos sub Heleogabalo præstiterant, tertiam partem aurei præstarent, h. e. triceſimam partem; tuncque primum *semisses aureorum* formati sunt, tunc etiam cum ad tertiam aurei partem vectigalia decidissent, *tremisses*; dicente Alexandro, etiam *quartarios* futuros, qvod minus non posset; qvos qvidem jam formatos, in moneta detinuit, exspectans, ut si vectigal contrahere potuisset, eosdem ederet. ASSESSORIBUS salaria instituit; Lampridius c. 46. (*Assessores sunt Consiliarii juris, ut & in codice sumitur hæc vox. Quam vero hæc res fuerit necessaria, varie dicent Auctores, ne nimirum lucri causa, quod fieri solet, jus venderent.*) THESAUROS repertos iis, qvi repererant, donavit, & si multi essent, addidit his eos, quos in suis habebat officiis; ibidem. (de qva re Imperatores Romani diversa diversi constituerunt, de quo jam aliquoties diximus, & imposterum dicendum erit.) Cum CHRISTIANI qvendam locum, qui publicus fuerat, occupassent, contra popinarii dicerent, sibi eum deberi, rescripsit: *melius esse, ut quomodocunq; Deus illic colatur, quã popinariis dedatur. c. 49. (Quamvis ipse non esset Christianus, Christianis tamen favebat, unde hoc prætextu utebatur.*)

XIX. Est præterea, ut supra diximus, hic ut defectus historiæ, ita & legum; nisi, quod legamus, quod AURELIANUS leges plurimas sanxit & qvidem salutares; apud Vopiscum in *Vita*. C. 35. Inter alia VECTIGAL ex Ægypto urbi Romæ Aurelianus *vitri, chartæ, lini, stupæ*, constituit; Vopiscus c. 45. De SUPPELLECTILE, VESTIBUS, CULTUq; quæ constituerit, c. 46. leguntur. PANIBUS urbis Romæ unciam de Ægyptio vectigali auxit c. 47.

XX. TACITUS Imperator MERITORIA intra urbem stare vetuit, qvod quidem diu obtinere non potuit; Vopiscus in *Tacito c. 11. (Meritorii vox de tabernis meritoriis sæpè occurrit. sed quandoque ut etiam h. l. de lupanaribus accipienda est.*) THERMAS omnes ante Lucernam claudi jussit, ne qvid per noctem seditionis oriretur. Ibidem. CORNELIUM TACITUM, scriptorem Historiæ Augustæ, qvod parentem suum (*non generis respectu, sed cognominis amore.*) eundem diceret, in omnibus Bibliothecis collocari jussit, & ne lectorum incuria deperiret, librum per annos singulos describi decies publicitus, ac in *archiis* (*i. e. archivis. sicut primo* SUB DIO *dictum est, & tum* SUB DIVO.) mandavit, & in Bibliothecis poni; Ibidem. HOLOSERICAM vestem viris omnibus interdixit, ibidem. (*Quæ res sæpè & jam ab Augusto tentata fuit; Interdixit autem tanquam nimis mollem & muliebrem.*) Auro clavatis vestibus idem interdixit. Cætera ex indicibus supra citatis debent peti.

III. SECULI

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn746330790/phys_0140
DFG

III. SECULI III. EXTERNA

I. MUlta occurrunt, qvia turbis omnia plena fuere, ſervabimus autem ordinem qvem ſupra. Incipiemus ab EUROPA, in qva FRANCORUM nomen primum audiri & arma metui cœperunt. (*Qvod deinde tanta fama ad poſteros eſt celebratum. Multæ verò gentes hoc nomine comprehenduntur, præſertim omnes illæ, quæ ad Rhenum habitant, Friſii, aliiq; plures, ad Pataviam usq;, exceptis Alemannis. Accuratius igitur hæc gens meretur conſiderari. Audiri verò cœpit hoc nomen Anno hujus ſeculi LV.*)

II. *Valeriano* Principe, cum *Aurelianus*, poſtea Imperator, tum Tribunus legionis ſextæ Gallicanæ apud Moguntiacum, FRANCOS irruentes, cum vagarentur per totam Galliam, ſic afflixit, ut trecentos ex his captos, ſeptingentis interemptis, ſub corona vendiderit. Unde de eo facta eſt cantilena: *mille Francos, mille Sarmatas, ſemel & ſemel occidimus eos.* Vopiſcus in *Aureliano c. 7.* (*Hæc ipſa verò res ingentis victoriæ loco celebrata eſt ob virtutem & celebritatem Francorum; aliàs non tantæ eſt victoriæ.*) Hinc in Epiſtola Valeriani apud Hiſtoricum vocatur GALLIARUM RESTITUTOR, c. 9. Apud Aurelium Victorem hi Franci GERMANORUM nomine inſigniuntur, ſicut & apud Zoſimum L. I. In *Chronico Alexandrino* (ſeu *Faſtis Siculis, opere ex pluribus annalibus conſuto, qvod Matth. Raderus edidit.*) per errorem (*deſcriptoris*) Francica expeditio paulo ante ponitur, qvæ Gothica erat. (*Ne qvis putet, prius auditum eſſe hoc nomen, qvam ut modo diximus.*)

III. Filius qvoq; Valeriani, *Gallienus*, Patre in Perſas profecto, Francos in Galliam tranſituros ejecit, operaqve & conſilio Poſthumi pacem cum ipſis fecit. Zoſimus L. I. Hoc eſt qvod Victor ait: *Gallienum Germanos à Gallia ſtrenuè arcuiſſe. Gallieno* autem rerum potiente, luxuqve & ignavia ſe ac imperium perditum eunte, FRANCI extrema Galliæ depopulati, Hiſpaniam invadunt, Tarraconem diripiunt, ſolo æqvant, totosqve XII. per annos, Gallieni & Claudij Principatu, Hiſpaniam obtinent. (Anno *hujus ſeculi LIX.*) Euſebij Chronicon ita notat: *Germanis Hiſpaniam obtinentibus Tarracon expugnata eſt.* (*ubi Germani iteram ſunt Franci, qvod ex aliis Scriptoribus certum eſt.*) Victoris ſententiam examinat & expugnat Hadrianus Valeſius *Rerum Francicarum* L. I. p. 4. Aurelius Victor in *Cæſaribus* c. 33. *Francorum*, inqvit *gentes direpta Gallia, Hiſpaniam poſſederunt, vaſtato ac pene direpto Tarraconenſium oppido, nactiq; in tempore navigia, pars in Africam usq; permeavit.* Panegyricus Nazarii c. 17. ita deſcribit: *Franci ipſi præter cæteros truces, qvorum vis cum ad bella efferveſceret, ultra ipſum Oceanum æſtu furoris evecta, Hiſpaniarum etiam oras animis infeſtas habe-*

bat. Itaq; sub armis suis ita conciderunt eos. Orosius, Hispanus ipse l. 7 c. 22. de Romani Imperii sub Gallieno devastatione agens scribit: *Germani ulteriores* (i.e. Franci) *abrosa potiuntur Hispania.—Exstant adhuc per diversas provincias in magnarum urbium ruinis parvæ & pauperes ædes, signa miseriarum, & nominum indicia servantes; Ex quibus nos quoq; in Hispania Tarraconem nostram ad consolationem miseriæ recentis ostendimus.* Meminit etiam c. 41. de his temporibus loqvens: *Irruptæ sunt Hispaniæ, cædes vastationesq; passæ sunt. Nihil quidem novum. Hoc enim nunc per biennium illud, quo hostilis gladius sævit, sustinuere à barbaris, quod per ducentos quondam annos passæ fuerunt à Romanis, quod etiam sub Imperatore Gallieno, per annos propemodum duodecim, Germanis evertentibus exceperunt.* (*Vixit Orosius tempore Honorij Imperatoris, adeoq; illo tempore devastatæ à Francis Tarraconæ vestigia constitisse ait. Poeta ipsi σύγχρονος testatur, splendidè tum fuisse ædificatam; Sed nimirum longe majore splendore fuerat, priusqvam à Francis devastaretur; id est, qvod Orosius qveritur.*) *Interea Postumius, in Gallis Imperator appellatus, cum multis auxilijs juvaretur Celticis & Francicis*, (verba sunt Trebellii Pollionis in *Gallieno c. 7.*) *victus à Gallieno est.* Hinc triumphus Gallieni mimicus, Albino II. & Dextro Coss. A. C. CCLXIII. in qvo ibant gentes simulatæ, Gothi, Sarmathæ, Franci, Persæ, ita ut non minus ducenti singulis globis ducerentur. Trebellius Pollio c. 8.

IV. *Aureliani* Triumpho FRANCI inter captivos ducti memorantur; Vopiscus in *Aureliano* c. 33, qvos Tetrico bellum inferens, forte per Galliam effusos ac populabundos oppresserat.

V. *Probus* auspiciis forte Aureliani contra FRANCOS rem gessit; Itaq; *Manlius Tatianus* (*non* STATIANUS, *ut vulgò corruptè*;) apud Vopiscum in *Probo* c. 12. Virtutis Probi testes etiam *Francos in vijs stratos & paludibus* citat. *Pompejanus* qvoq; cognomento *Francus* sub *Aureliano*, haud dubie natione Francus, (*Non enim alia ratio reddi potest, cur cognomine Francus dictus sit.*) virtutis testimonium tulit, teste Hieronymo in *Chronico Eusebiano* ad A. C. CCLXXIII. (*Hic enim solus hoc consignatum reliquit.*) *Zenobia* apud Timas haud longe ab Antiochia vincitur, qvæ occiso *Odenatho* marito Orientis tenebat imperium; in qva pugna strenuissimè adversus eam dimicavit *Pompejanus* Dux, cognomento *Francus*, cujus familia hodieqve apud Antiochiam perseverat, ex cujus Evagrius Presbyter carissimus nobis stirpe descendit.

VI. Post *Aureliani* mortem A. C. CCLXXV INTERREGNI occasione usi GERMANI, & in his FRANCI, limitem transgressi, 70. Gal-

liæ

liæ urbes opulentissimas occupavere, neqve *Tacitus* propter imperii brevitatem opitulari potuit, donec successor ejus *Probus* liberatæ Galliæ expulsorumqve hostium gloriam tulit, FRANCICUS MAXIMUS & GERMANICUS MAXIMUS dictus, sicut inscriptio antiqva ab Onuphrio l. 2. *Fastorum* producta ostendit. (*Fastos Romanos duo doctissimi Viri Carolus Sigonius & Onuphrius Panvinius exponere sunt aggressi.*) Magnifice hanc victoriam celebrat Vopiscus in *Probo* c. 13. 14. 15. & Zosimus prope finem L. I. Cum autem victis passim apud remota provinciarum sedes attribuisset *Probus*, illi, qvi in Ponto collocati erant, Franci, Probo bellis civilibus implicito, singularis audaciæ exemplo naves nacti, longa navigatione usi, multis locis direptis in Patriam postliminio redierunt. Zosimus. L. I. fin. breviter. Signantius Eumenius in *Panegyrico*, qvem Constantio Cæsari scripsit c. 18. *Recursabat quippe in animos illa sub Divo Probo & paucorum ex Francis captivorum incredibilis audacia, & indigna felicitas, qvi â Ponto usque correptis navibus Græciam Asiamq; populati, nec impune plerisq; Lybiæ regionibus appulsi, ipsas postremo navalibus quondam victoriis nobiles cœperant Syracusas, & immenso itinere provecti, Oceanum, qva terras erupit, intraverant, atq; ita eventu temeritatis ostenderant, nihil esse clausum pyratis æ desperationi, qvo navigijs pateret accessus.* Proculum qvoq; rebellantem, *Probus* fugatum usqve ad ultimas terras, & cupientem in Francorum auxilium venire, â qvibus originem se trahere dicebat, ipsis prodentibus Francis, vicit & interemit. Vopiscus in *Proculo* c. 13. qvod & Bonosi fatum fuit.

VII. Mortem *Probi* in suam occasionem vertere FRANCI & ALEMANNI, Galisqve infusi â *Caro* repulsi sunt; Victor in Cæsaribus c. 38. & qvoniam cognita morte Probi, Barbari qviq; terras opportunè invaserant, misso ad munimentum Galliæ majore Filio, *Carus Numeriani* comitatu in Mesopotamiam pergit protinus. Hinc *Nemesianus* (*is qui de re venatoria scripsit*) in *Cynegeticis* ad Carinum:

Nec taceam primum, quæ nuper bella sub Arcto
Felici, Carine, manu confeceris, — —

IIX. *Diocletiano* Imperatore FRANCIS & SAXONIBUS mare Oceanum infestantibus, per tractum Belgicæ & Armonicæ oppositus *Carausius* (seu Carausius) defecit, Britanniamqve occupavit. *Historia Miscella* l. 10. c. 41. Adde Aurelium Victorem. Itaqve *Maximianus* Francos ulturus Rhenum transiit, Regem Francorum Alech pace obligavit, Genobaudem in regnum restituit; Mamertinus in *Panegyrico*, qvem Maximiano dicavit c. 7. 8. & 10. (*Qui Oratoria facunditate & multa eruditione politica & historica expeditionem adversus Francos laudat.*) Hinc *Diocletiano & Maximiano FRANCICORUM* cognomen accessit apud Onu-

phrium. (*Quando Diocletianus hunc Maximianum in societatem adscivit imperij, quicqvid unus gessit, id alterius qvoq; honori accessisse dicendum fuit, ut obiter hoc dicam. Ita ob hanc expeditionem uterq; Francicus appellatus est, ut adeo omnes res gestas & exinde honores quasi communes haberent.*) Non multo post hanc expeditionem A.C. CCXCI. *Constantinus* Bataviam á Francis occupatam liberavit. Qvam victoriam celebrat Eumenius in *Panegyrico* Constantio scripto c. 6. usq; ad 10. Et oratione pro *restauratione Scholarum* c. 18. (*Et hæc quidem in hoc seculum congruunt de hac gente celeberrima, adeo, ut Galli libenter suum nomen cum hoc commutarint; In cujus rei uberiorem notitiam & curam incubuit A. Valesius in opere de* **Rebus Francicis**; *Sed in multis plus sibi sumit, quam par est, neq; documenta semper satis idonea affert. Difficultas in eo est, quod Germanorum & Francorum nomina sæpe confundantur, illudq;, cum alias sit latius, quandoq; tamen solos Francos noset, uti non uno specimine supra ostendimus.*)

IX. Vicini erant Francis ALEMANNI, qvos Philippus Melanchthon in *Chronico Carionis* sub *Probo* Imperatore p. 121. hac nota persequitur: *In hac Historia primum invenio nomen Alemannorum, qvæ appellatio abolevit nomen Rhetiæ. Nec dubium est, propriè hanc vocem in veteribus Historijs tribui populis, qui sunt inter Alpes & Mogunciam. (Sed errat; certum est ante hoc seculum non occurrere hoc nomen; Non tamen sub PROBO demum occurrit, sed sub GALLIENO. Antea autem partim Rheti, partim Svevi dicebantur; Nam Aurelius Victor in Gallieno c. 33. Alemannorum mentionẽ facit. Et Eutropius in Historia Miscella l. 10. c. 32:* **Alemanni vastatis Galliis Italiam penetraverunt.** *Quod & Orosius affirmat* L. 7.) Cæterum toto hoc seculo multum negotii Romanis fuit cum Germanis gentibus.

X. Sed & ASIAM AFRICAMq; pervagata est consvetudo tumultuandi bellandiq;. Summam Eutropius ita in Gallieno refert: *Alemanni vastatis Gallijs Italiam penetravunt, Dacia, qvæ á Trajano ultra Danubium fuerat adjecta, tum amissa est. Græcia, Macedonia, Pontus, Asia, vastata per Gothos: Pannonia â Sarmatis Qvadisq; depopulata est. Germani usq; ad Hispanias penetraverunt. Parthi Mesopotamiâ occupatâ Syriam sibi cœperunt vindicare.* (*Non licet sub hoc nostro scribendi genere prolixè omnes res externas percurrere, dabimus tamen operam, ut memorabiliora annotemus, sicut de Francis cœpimus, suis qvæqve seculis.*) Aurelius Victor in *Cæsaribus* c. 33. *Thraciam*, inquit *Gothi liberè progressi, Macedones Achaosq; & Asiæ finitima occuparunt; Mesopotam-*

am

am Parthi; (*qui potius Persæ appellandi erant, ut posteà audiemus.*) *Orienti Latrones, seu mulier* (Zenobia scilicet) *dominabatur.* Sequuntur de Francis & Alemannis, quæ ante allata sunt; additur: *amissa trans Istrum, quæ Trajanus quæsierat, ita quasi ventis undiq; sævientibus, parvis maxima, ima summis toto orbe miscebantur. Diocletiani tempore* notante eodem c. 39. §. 3. (*majora enim capita in Paragraphos uti notum, distinguuntur.*) *Orientem Persæ, Africam Julianus & nationes quinquaginta graviter quatiebant. Adhuc apud Ægyptii Alexandriam Achilles nomine dominationis insignia induerat.* Adde *historiam Tyrannorum* Trebellii Pollionis & Zosimi L. 1. (*ita videmus passim tumultuatum esse.*)

XI. Illud non videtur prætereundum, quod hoc seculo, annoq; ejus, ut putant, XXVI. à PARTHIS imperium denuo ad PERSAS transtulit Artaxerxes, sive Artaxeres; (*Neq; enim dubium est, hæc tum duo nomina pro uno eodemq; habita*) Herodianus l. 6. c. 2. Adde Agathiam l. 2. & 4. (*Cujus optima editio est Bonavent. Vulcanii, quanquam & seorsim nuper Parisiis prodierit.*) Itaque Parthorum virtus, quæ insuperabilis putabatur, equestri militia eversa est, Artaxerxi huic successit, qui Valerianum Imperatorem cœpit, SAPORES; Tertius HERMISDATES est A. C. CCXLI. Quartus VARARANES I. A. C. CCLXXII; Quintus VARARANES II. A. C. CCLXXIII. Sextus VARARANES III. A. C. CCLXXVI. Septimus NARSES A. C. CCXCIV.; cujus anni in sequens seculum excurrunt. Steterat Imperium Parthorum ab ARSACE ad ARTABANUM, quem Artaxerxes vicit annis ducentis. Collegit hanc totam historiam Petrus Bizarrus *in Rebus Persicis* L. 4. à principio. (*Qui & Singulorum res gestas, quos nominatim tantum expressimus, annotavit.*)

III. SECULI

IV. ECCLESIASTICA

I. HOc seculo nondum planè evanuerat DONUM MIRACULORUM. Unde & *Gregorius Neo. Cæsariensis* nomen *Thaumaturgi* traxit. Mira quoque VOLUNTAS APUD CHRISTIANOS SANGUINEM PRO VERITATE CHRISTI FUNDENDI, & PRÆCLARA ERUDITIO; de cujus speciminibus suo loco. Nunc illud tantum notandum est, Id potissimum in Ecclesia spectatum, ut SCRIPTURA IN GRÆCAM LINGUAM, quæ ubique intelligebatur, transfusa, EMENDARETUR, quo Hebræis fontibus responderet. Cum enim antiquæ versioni Judæorum, auspiciis Philadelphi factæ accessissent superiori seculo aliæ (*ut sub* HADRIANO, AQUILÆ PONTICI, *qui à Christo ad Judæos Senex defecerat; sub* SEVERO, SYMMACHI, è *Samaritano Judæi;*

dei sub COMMODO, THEODOTIONIS, è Marcionita Judæi; sub CARACALLO, HIERICHUNTE in doliis alia INCERTI AUCTORIS reperta esset; ut & sub ALEXANDRO MAMMEÆ Nicopoli alia;) LUCIANUS Samosatenus, Antiochenus Presbyter, offensus adulterinis, qvæ irrepserunt, & per Hæreticos depravatis, ad Hebræos fontes exigere totum Vetus Testamentum & restituere aggressus est. Ex mente Epiphanii Petavius ita collocat: TETRAPLA ORIGENIS.

I	II	III	IV
AQVILA.	SYMMACHUS.	LXX.	THEODOTIO.

HEXAPLA

I	II	III
HEBR. PROPR. ELEMENTIS.	HEBR. GR. LITT.	AQVILA.

IV.	V	VI
SYMMACHUS.	LXX.	THEODOTION.

Duæ nimirum columnæ habent Textum Hebraicum, sed altera Græcis literis scriptum. Adjiciuntur deinde qvatuor columnæ, Latinæ. Qvod si sex columnæ adjungantur, nascuntur OCTOPLA h. m.

I	II	III	IV
HEBR. PROPR. ELEM:	HEBR: GR. L.	AQVILA:	SYMMACHUS.

V	VI	VII.	IIX
LXX.	THEODOTION.	V. EDITIO.	VI. EDITIO.

Hæc Origenes Adamantius, Samosateni æqvalis, magno labore confecit. (*Ubi nimirum IV. columnæ versionum duabus Hebraicis (quarum altera Græco charactere scripta erat.) conjunguntur*, HEXAPLA *sunt; si qvinta etiam & sexta interpretatio accesserit*, OCTOPLA *vocantur.* vid. Epiphanius *de ponderibus & Mensuris* (*opus est illud vere elegantissimum, qvod admirandam tum peperit utilitatem; hodie nihil supereſt, nisi pauca fragmenta, uti notum est.*) Novi Testamenti Historiam Evangelicam in unam HARMONIAM redegit AMMONIUS ALEXANDRINUS: sicut superiori seculo Tatianus opus suum διὰ Τεσσάρων confecerat. De instituto & consensu Evangelistarum ac ratione scribendi, copiosa extat Dissertatio Epiphanii in *hæresi* LI. qvæ est Τῶν Ἀλόγων; V. Usserii Syntagma *de versione LXX. Interpretum.* (quo opere nihil est exactius, neque quicqvam exstat, qvod ejus diligentiam & eruditionem exæqvet.) Tanta industria sub æstu persecutionum miraculo non caret!

II. De Christianorum hujus seculi DISCIPLINA, moribus, ritibus egregius est locus Tertulliani *adversus gentes* (*Liber est Apologeticus diversus ab eo opere, qvod est ad* GENTES, *licet hoc quoad rem tractandam etiam posset dici adversus gentes. Monstrosa editio est, qvæ Parisiis*

pro

prodiit sub titulo: Omniloquium Tertullianeum. *Mirum quod Chartæ & typi perdantur hisce nugis.*)

III. De PROPAGATIONE DOCTRINÆ CHRISTIANÆ vide quædam apud Centuriatores Magd. & Hottingerum Sec. 3. c. 1.

IV. De SUCCESSIONE EPISCOPORUM HIEROSOLYMITANORUM Eusebius ita ad annum CCXIII. ALEXANDER *tricesimus quintus Hierosolymarum Episcopus ordinatur adhuc vivente Narcisso, & cum eo pariter Ecclesiam regit.* Idem ad A.C. CCLII: *Alexandro Hierosolymarum Episcopo apud Cæsaream Palæstinæ ob martyrium interfecto,* & *Antiochiæ Babyla,* MAZABANUS & FABIUS Episcopi constituuntur. ad A.C. CCLXVII. *Hierosolymarum Episcopatum tenet* HYMENÆUS Ad A.C. CCXCIX. *Ecclesiæ Hierosolymarum vicesimus septimus ordinatur Episcopus* ZABDAS. (*Vitiosè; ut & insequente Episcopo; quod vitium tamen retinetur in Editionibus, debuit enim* TRICESIMUS SEPTIMUS *esse, sicut* & TRICESIMUS OCTAVO *pro* VICESIMUS OCTAVO.

V. ROMANOS EPISCOPOS Chronicon Eusebii ita ordinat Ad A.C. CCII. *Romanæ Ecclesiæ Quartus Decimus Episcopatum suscepit* ZEPHYRINUS; A.C. CCXX. *Romanæ Ecclesiæ Episcopatum suscepit Quintus decimus* CALLISTUS Ann. V. A.C. CCXXV. *Romanæ Ecclesiæ Sextus decimus ordinatur Episcopo* URBANUS ann. IX. A.C. CCXXXIV. *Romanæ Ecclesiæ decimus septimus Episcopatum suscipit* PONTIANUS ann. V. A.C. CCXXXIX. *Romæ octavus decimus ordinatur Episcopus* ANTEROS, *mense uno, post quem decimus nonus* FABIANUS ann. XIII. A.C. CCXLII. *Romanæ Ecclesiæ Episcopatum post Fabiani gloriosam mortem vicesimus suscipit* CORNELIUS *ann. II. qui & ipse Martyrio coronatus est. Extant ad eum Cypriani Octo Epistolæ.* (*De quo infra; est enim hujus seculi magnum lumen.*) A.C. CCLIV. *Romanæ Ecclesiæ Episcopatum tenet vicesimus primus* LUCIUS *mens. VIII. post quem vicesimus secundus* STEPHANUS *ann. II. Extant ad utrumq; Cypriani Epistolæ.* A.C. CCLVI. *Romanæ Ecclesiæ Episcopatum tenet vicesimus tertius* XYSTUS (*Sive Sixtus unum enim idemq; nomen sunt*) ann. VIII. A.C. CCLXVI. *Romanæ Ecclesiæ vicesimus quartus Episcopus constituitur* DIONYSIUS Ann. XII. A.C. CCLXXVII. *Romanæ Ecclesiæ Episcopatū Vicesimus Quintus suscipit* FELIX. A.C. CCLXXXI. *vicesimo sextus* EUTYCHIANUS *Mens. VIII. post quem vicesimus septimus* GAJANUS *ann. XV.* A.C. CCXCVII. *Romanæ Ecclesiæ Episcopatum vicesimus octavo suscipit* MARCELLINUS *ann. IX* (*Ita Eusebii Chronicon, in quo Hieronymus præcipuè diligenter Patriarchalium Ecclesiarū Successionem annotare solet. Ut non habeant Pontificii, quod glorientur, Romanā Ecclesiam hoc fatū tanquam proprium habere, cum ea teratorum*

rum quoq; Ecclesiarum Patriarchalium successiones eadem diligentia annotentur: Imo Hierosolymitana Ecclesia semper præponatur. Ab Eusebiano tamen calculo plerumq; recedunt Pontificii. Et licet non in omnibus aut Eusebius aut Hieronymus adeò accurati deprehendantur, multæ tamen sunt causæ, cur in multis Eusebio credamus, in quibus tamen illi recedant.) Baronius VICTORI succedere facit ZEPHYRINUM ann. hujus seculi III; Huic CALLISTUM A. C. CCXXI. subjungit Callisto URBANUM A.C. CCXXVII. Urbano PONTIANUM A.C.CCXXXIII. Huic ANTERUM & FABIANUM A.C CCXXXIIX; vacare facit sedem A. C. CCLIII; Sequitur CORNELIUS A. C. CCLIV. inde LUCIUS CCLVI. Inde STEPHANUS CCLVII; Sixtus II. A. C. CCLX. DIONYSIUS A.C.CCLXI. FELIX A.C. CCLXXIII; EUTYCHIANUS A.C.CCLXXV; CAJUS A.C. CCXXCIV; MARCELLINUS A C. CCXCVI. Onuphrius Panvinius ZEPHYRINO, qvem constituerat Superioris seculi ann. XCIIX, subrogat CALLISTUM A.C.CCXIIX; Inde URBANUM A.C. CCXXIV; PONTIANUM A. C. CCXXXII; ANTERUM A.C.CCXXXVI; FABIANUM A. C. CCXXXVII; CORNELIUM A. C. CCLI; LUCIUM A.C.CCLIII; STEPHANUM A. C.CCLV; XYSTUM A.C. CCLIIX; DIONYSIUM A. C. CCLIX; FELICEM A.C. CCLXX; EUTYCHIANUM A. C. CCLXXIV; CAJUM A. C. CCLXXXIII; MARCELLINUM A. C.CCXCVI. En Chronologiam concordem! *(Certum quidem est, hoc esse fatum Chronologiæ, ut citius inter horologia conveniat, ut Seneca testatur in Apolocynth: ita ut ne hodie sit ullus, qui omnes scrupulos ad liquidum deducere possit; adversus Pontificios tamen hoc valet, qui tantam certitudinem jactant.)*

VI. ALEXANDRINÆ *Ecclesiæ duodecimus Episcopus ordinatur* HERACLAS, *ann. XVI*; Eusebius ad A.C.CCXXXI; *Alexandrinam Ecclesiam tertius decimus Episcopus tenuit* DIONYSIUS ann. XVII; Eusebius ad A. C. CCXLIX; *Quartus Decimus Episcopus ordinatur Maximus* ann. XIIX; (*Hic successio XII. XIII. XIV. non adeo liquida habetur, est enim hiatus in Eusebio aliquis.*) Euseb. ad A.C.CCLXV; *Qvintus decimus Episcopus præfuit* THEONAS ann XIX; Eusebius ad A. C. CCLXXXII.

VII. ANTIOCHIÆ *nonus Episcopus constituitur* ASCLEPIADES, Eusebius ad A.C. CCXII; *Decimus* PHILETUS, Eusebius ad A.C.CCXIIX; *Undecimus* ZEBENNUS, Eusebius ad A.C.CCXXIX; *Antiochiæ* BABYLA, (qvi constitutus putatur ad A.C. CCXLI.) *Interfecto* FABRIUS *Episcopus constituitur*; Eusebius ad A.C.CCLII. *Quartus decimus* DEMETRIANUS. Eusebius ad A. C. CCLIII. *Qvintus decimus Episcopus* PAULUS SAMOSATENUS. Eusebius ad A.C.CCLXI; *Hic Artemonis hæresin suscitavit, in cujus locum Antiochenæ Ecclesiæ sextus decimus ordinatur Episcopus* DOMNUS, Eusebius ad A.C.CCLXVII; *Septimus decimus ordinatur Episcopus TIMÆUS*, Eusebius ad A. C. CCLXXII; *Decimus Octavus est* CYRILLUS, Eusebius ad A. C. CCXXC.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn746330790/phys_0148
DFG

IIX. EXTRA ECCLESIAM JUDAISMUS iisdem studiis, qvæ superiore seculo notavimus, invigilabat, absolutumque fertur hoc seculo TALMUD HIEROSOLYMITANUM, Auctore R. Jochanan, collegis usо Raf & Samuele; cætera vide in Höttingero Sec. III. c. 3. (*Occupati nimirum sunt in Mischnajoth, quibus accessit Gemara, quæ explicatio est τῆς Mischna, tanquam textus. Talmud hoc Hierosolymitanum non est tantæ auctoritatis, quam Babylonicum, quod seculo* VI. *est absolutum, quanquam & hoc jam tempore in eo sit laboratum; potissima enim eruditio jam tum in Babylonem migraverat.*)

IX. Qvæ de variis RITIBUS ECCLESIASTICIS Baronius hoc seculo affert, desumpta sunt pleraqve ex *actis Martyrum*, qvibus cur non possit esse auctoritas ea, qvam illi volunt, alibi dictum est. Cætera ex Cypriani scriptis, (*de quibus postea dicemus, non enim omnia ejus sunt genuina*) qvi magnum Ecclesiæ lumen hoc seculo fuit, adferuntur. De cujus scriptis infra suo loco dicetur.

X. DISCIPLINAM ECCLESIASTICAM stabiliverunt Canones de *pœnitentia lapsorum*, qvi se vel sceleribus commaculaverant, vel Idolis sacrificaverant metu tormentorum. (*His igitur pœnitentia erat agenda, quanqvam alii, ut infra audiemus, pœnitentiæ locum plane non esse affirmabant.*) Auctores & Introductores horum Canonum fuerunt Gregorius Neo-Cæsarienſis, Dionysius & Petrus Alexandrini.

XI. De hæresibus hujus seculi v. Centuriatores Magdeb. III. c. 5.; Sed nos multas ob causas ex ipsis fontibus hauriemus. Epiphanius *hæresi* LI. ita commemorat & describit: Ἀνοήτων (rectius ἀλόγων) *ALOGORUM*, qvi Johannis Evangelium & Apocalypsin rejiciebant, (τὸν λόγον ἀ δέχονται, *unde* ἄλογοι, *quia λόγον Filium sc. Dei repudiarunt, quanqvam & ἀνοήτων titulum habeat Epiphanius.*) sub obtentu qvasi Cerinthi ista sint, qvæ tamen ipsius erroribus maximè repugnant, qvod ostendit Epiphanius. Deinde causantur, eum cum cæteris scriptis Apostolorum non consentire, qvod itidem refutat, (*ubi & eruditissima est Epiphanii Dissertatio de harmoniâ Evangelistarum.*) ut & illud, qvod de duobus Paschatis afferunt, (*Ubi & prolixa disputatio de annis Nativitatis & Passionis Dominicæ.*) In Apocalypsi ridebant tubas septem Angelorum; dum Thyatiris nullam Christianorum Ecclesiam fuisse ajebant, cum tamen Apoc. II. 18. dicatur: *Scribe Angelo Ecclesiæ Thyatirorum.* Itemqve Apoc. IX, 14. traducebant; qvæ abunde refutata ab Epiphanio *Hær.* LI. Sequntur ADAMIANI *Hæresi* LII. Nudi conveniebant in hypo-

causto, (*ubi vox hypocausti propriè accipienda, pro eo loco, in quem ex interiori loco calor provenit, id enim est* ὑπόκαυς Θ.) tanqvam in Paradiso, ADAMUM & Evam se ferentes. SAMPSÆI sive SOLARES proximi sunt *Hær.* LIII. Elcesæorum fœtus, unde & pro Elxai stirpe morti se offerre solebant; Ex cujus stirpe duas mulierculas, Martho & Marthanam divinis honoribus afficiebant. Libris duobus utuntur, alterum Elxæo, alterum fratri ejus tribuentes; Unum Deum fatentur, quem colunt lotionibus qvibusdam; Judæos in plerisqve sequuntur; Qvidam ab animatis abstinent. Prophetas & Apostolos rejiciunt, Aqvam, ex qua vita, venerantur; Christum creaturam putant, & sæpius apparere. Hujus sororem esse Spiritum S., utrumqve nonaginta sex milliarium altitudine, viginti qvatuor latitudine constare. Hos excipiunt THEODOTIANI *Hær.* LIV. à THEODOTO Byzantino dicti, qvi coriarius, sed literis probè tinctus, cum abnegasset metu tormentorum Christum, postea excusando sceleri jactavit, Christum nudum hominem esse, & Alogorum errores secutus est. Seqvuntur MELCHISEDECIANI *Hær.* LV. qui Melchisedecum magnam virtutem (δύναμιν) statuebant, Christoque majorem ex verbis Psalmi CX. 4. Qva occasione varios de Melchisedeco errores & sententias veterum memorat Epiphanius, è quibus unam, qvod filius Dei assumpta humanâ specie Abrahamo apparuerit, exornavit Petrus Cunæus *de Rep. Hebræorum.* (*Videndus omnino Epiphanius est, admirandæ eruditionis homo, cum judicio tamen legendus.*) BARDESIANISTÆ, hær. LVI. à BARDESIANE Edessено dicti. Primum bonus & pius σχεδὸν ἐν τάξει ὁμολογίας ἦν ἡσύχη; in errorem postea incidit ex Valentinorum consuetudine; Qvorum principiis alia, ut & productiones addidit; mortuorum resurrectionem sustulit; utitur V. & N. T. ac Apocryphis quibusdam. NOETIANI *Hær.* LVII. à NOETO Ephesio, qui passum esse Patrem affirmavit, *Mosen* se, & fratrem suum *Aaronem* dixit. Ejectus igitur Ecclesia est, sicut & Sectatores ejus, qvorum effugia refutat Epiphanius & hâc occasione dogma de pluralitate personarum & Trinitate illustrat. VALESII *Hær.* LIIX. à VALENTE qvodam dicti, omnes castrati sunt, invitosqve & viatores evirare solent; abutuntur Matth. XIIX. 8. Proximi sunt CATHARI *Hær.* LIX. à NOVATO dicente: μὴ εἶναι σωτηρίαν, ἀλλὰ μίαν μετάνοιαν, μετὰ ἣν τὸ λουτρὸν μηκέτι δύνασθαι ἐλεεῖσθαι ὑφ' ἁμαρτάνοντα, ex Hebr. VI. 8. Si qvis post Baptismum secundam uxorem duxerit, hunc rejiciunt. Ejusdem erroris socii DONATIANI à DONATO qvodã dicti huc referuntur. ANGELICI, *Hær.* LX. unde dicti, & qvid docuerint, incertum est; (*An quod angelos*

creasse

creasse mundum dicerent, an quod ipsi de angelica natura participarent, se nescire, ingenuè fatetur Epiphanius, singularem tamen eis hæresin tribuere voluisse, quia nomen invenerit.) APOSTOLICI sive APOTACTICI *Hær.* LXI. ab ENCRATITIS, TATIANIS & CATHARIS orti, nihil possident & de inopia gloriantur; Semel lapsos non recipiunt; Andreæ & Thomæ Actis potissimum nituntur; Legem rejiciunt; de nuptiis quoque eadem sentiunt, quæ Cathari; (*ubi egregiam digressionem habet Epiphanius de matrimoniis, caute tamen legendus. Non enim ex iis est Epiphanius, qui purissimi in omnibus; ex aliis tamen causis meritò commendandus.*) SABELLIANI *Hær.* LXII. à SABELLIO quodam dicti, eadem ferè cum Noëtianis sentiunt; Patrem Filium & Spiritum S. eundem faciunt, atque ad unam hypostasin referunt tres appellationes; *Ægyptiorum Evangelio*, quod vocant, debent suos errores; (*Qui liber pernitiosissimus fuerit, necesse est; Ita enim erat constitutus, quasi Christus cum Apostolis in secreto loqueretur; iisq; aliam interpretationem suorum sermonum proponeret, quam quæ hactenus in Ecclesia obtinuerat.*) Qua occasione de Trinitate & Personis divinitatis Epiphanius agit. ORIGENIANI *Hær.* LXIII. PRIORES, qui & ἀμοιροὶ, *FOEDI*, etiam ORIGENII dicti; Unde appellentur incertum; (*an ab Adamantio, dicit se nescire;*) castitatem præ se ferebant, sed fœdis libidinibus fœdabantur; Ad Epiphanis (v. Gnosticorum Hæresin.) dogma se conformant; Quosdam ex V. & N.T. libros admittunt, nuptias repudiant, infandis tamen libidinibus fœdantur. ORIGENIANI, ab ORIGENE Adamantio dicti, alii sunt. *Hæresi* LXIV; qui vitæ sanctitate, eruditione, constantia confessionis innisus, cum diu frustra ad Idolorum cultum invitaretur, tandem stupro per Æthiopem sibi intentato, ut sacrificaret, compulsus fertur. Reversus tamen ad pœnitentiam, cum sacris literis interpretandis operam navaret, arrogantia in errores maximos incidit. (*Qui lapsus absq; dubio omnium maximus fuit, post Adæ lapsum, Viri, qui tanta antea constantia Christum profitebatur, ut aliis exemplo esse posset, tamq; multa ob ejus nomen passus.*) Filium Dei creatum, & tantum ex gratia filium dici; animam ante corpus exstitisse, easdemque Angelos esse, sive potestates superiores ob peccatum supplicii causa in hoc corpus inclusas; Mortuorum resurrectionem ἐλπίδα ποιεῖται, πῇ μὲν λόγῳ πιστεύων ταύτῃ, πῇ δὲ ἐξαρνούμενος τελεώτατα, ἄλλοτε ἄλλῃ μέρος ἐξ αὐτῆς ἀνιστάμενον. Allegorias in multis sectatur; (*Quod quidem inter errores ejus non numeraretur, cum Catholici Patres id fecerint, nisi ipsum sensum literalem prorsus repudiasset: Id quod plurimos*

& eruditissimos viros in errorem dedit. Philonem e.g. qui ex elatione animi in literæ simplicitate manendum non esse putabat, qui tamen satis frigidè sæpe ἀλληγορίζει. Idem judicium est de Hieronymo. Non igitur imperitè factum ab Epiphanio, quod & hæc in Origene annotaret. Adhuc hodiè absq; dubio suæ & eruditioni & existimationi consulunt, qui literalem, ubicunq; fieri possit, sensum venantur.) Profert posteà Epiphanius errores ejus ex *Commentariis* in Psalmum I. addita refutatione, deinde *Epitomen dogmatum Origenis ex Methodio* fusè. Seqvitur refutatio Epiphanii usque ad finem L. II. Tom. I. (*Errorum Origenis Epitome sunt libri περὶ ἀρχῶν, qui sine maxima commotione pectoris legi non possunt, dum qvis sibi vix persvadere potest, virum tam pium in tam crassos errores incidisse. Si vel omnino Origenes horum librorum Auctor non fuisset, certum tamen esset, eum tales errores fovisse, quod ex Methodio constat.*) PAULI SAMOSATENI *hæresis* apud Epiphanium L. II. T. II. *hær.* LXV. seqvitur, qui *Aureliano* ac *Probo* imperantibus Antiochenæ Ecclesiæ Præpositus, arrogantia elatus, Artemonis hæresin instauravit, penè ἀνύπαρκτον Θεὸν Χριστὸν affirmavit, verbumque in prolatione consistens. (Λόγον προφορικὸν) MANICHÆI *hær.* LXVI. à MANE qvodam orti, Aureliani Imperio emergere cœperunt. Manes autem, CUBRICUS dictus, hæreditate fœminæ Scythiani viduæ ditatus, una cum divitiis & Scythiani errores accepit propagandos, de duobus principiis bono maloque. Late pervagata hæresis. Christum χημάζει dicunt; Solem & lunam venerantur; Stellis & virtutibus ac dæmonibus supplicant; Christum ut specietenus apparuisse, ita specietenus passum dicunt; V. T. & qui in eo loqvitur, blasphemant. Mundi partem tantum à Deo fabricatam statuunt. Profert Epiphanius *Epistolam Manichæi* seu Manetis *ad Marcellum*, qva se vocat *Apostolum Jesu Christi*; ea occasione ad colloqvium res deducta Cascharæ, ubi victus Manes, (*indulgentia Marcelli, viri cordati, qui fidem servandam ei ratus est, qvamvis non deessent viri graves, qvi suaderent, hominem tam pestilentem tollendum esse.*) fuga sibi consuluit, donec Persarum Regis imperio occisus & excoriatus est. Hinc libri ejus recensentur & ex libris doctrinæ; Inde nomina eorum, qui eum refutarunt, ut & refutatio ipsius Epiphanii.

XII. Exercuit hoc seculo Ecclesiam DISPUTATIO DE REBAPTIZANDIS, QVI AB HÆRETICIS BAPTIZATI ERANT. Ita enim statuebant Africani & Asiatici; Stephanus Rom. Episcopus contra. Hinc dissidia aliqvatenus verbis progressa, sed moderatione summi

viri

viri Cypriani ad concordiam redacta. Valuit enim Stephani sententia denique, cui & insequentia secula suffragantur, excepto eo casu, quo Hæretici de SS. Trinitate malè sentientes, formulam Baptismi neglexerunt. (*Retulerunt autem hanc rem ad Stephanum, per modū consultationis, qui cum ab iis dissentiret, in reprehensionem illorum incurrit, conquerentium, Stephanum affectare titulum & potestatem Episcopi Episcoporum in omnes Ecclesias. Ubi ridiculus & ineptissimus est Baronius, dum statim ex hac querela arripit id, Romanum Episcopum jam tum fuisse supra reliquos, quod falsissimū est, nemo enim scribit, Romanum Episcopum tum fuisse Episcopum Episcoporum dictum, nec Stephanus hunc titulum usurpavit, neq; unquam tantum sibi arrogavit, vel pro tali Primate se gessit, unde ipsi injuriam facit* Baronius; *Fuit enim vir moderatus & probi ingenii.*) Historia totius rei potissimum ex Cypriano petenda & Augustini libris VII. *de Baptismo contra Donatistas & contra Petilianum.* Addendus est Eusebius L. VI. H. E. & L. VII in prioribus Capp. (*Επιχρισις Cl. & Doctissimi Horneji gravitate & pietate Theologica constans, cujus rei nos admonere debeat has controversia, docet, omni laude digna est* L. III, H. E. c. 6. §. 22. *& seq.*)

XIII. Cæterum ab EXTERNIS HOSTIBUS Ecclesia hoc seculo vehementer agitata est. Post initium enim seculi QVINTA PERSECUTIO (alii sextam numerant) orta est, de qva Eusebius ad A. C. CCIII. *Persecutione inter Christianos facta, Leonides Origenis Pater gloriosa martyrii morte transfertur.* Ubi Scaliger accuratè tempus signatum ait: SEVERO AUG. IV. ANTONINO COSS. Antea Christianos tulerat, sed in *itinere Syriaco*, ait Spartianus in *Vita* c. 17. *Judæos fieri sub gravi pœna vetuit; idem de Christianis sanxit.* Qvo nonnulli referunt l. 1. §. 14. ff de off. *Præf. Urb. Divus Severus rescripsit, eos etiam, qui illicitum collegium coiisse dicantur, apud Præfectum urbis accusandos.* (*In qva qvidem lege notantur cœtus Christianorum, sed reverâ etiam errant viri magni, putantes Ulpianum loqvi de expeditione Syriaca.*) In Ægypto & Thebaide præcipuè sævitum, magno numero Alexandriæ interfecto, in qvibus etiam Origenis Pater fuit. Sed jam ante Severi edictum sævitum esse sub ejus Principatu â Magistratu in Christianos, ex Tertulliani *Apologetico* & *ad Scapulam* constat. Saturnini Procos. Africæ crudelitatem *Acta Martyrum Scillitanorum* (*VII. Virorum & V. Fœminarum*) apud Baronium ad A. C. CCII. ostendunt. In Severiana persecutione Romæ VICTOR, in Gallia IRENÆUS, cum pleraqve civitate Lugdunensi martyrium subierunt. Prætextus etiam sæviendi inde sumptus

ptus, qvod Christiani Imperatoris Majestatem non revererentur & *pergenios Imperatorum jurare nollent*; vide Tertullianum & adde Eusebium L.VI. H.E. & Sulpitium Severum L.II. Sub *Caracallo, Macrino & Heliogabalo* qvietior fuit Ecclesia. *Alexander* qvoqve *Severus* à Religione Christiana non alienus fuit, nisi qvod Ulpiano & aliis stimulantibus (v. Lactantium L. V. c. 11.) Christiani etiam tum afflicti memorantur; vid. Baronii ad A.C. CCXXV. & CCXXVI. sed Publica & Imperatoris jussu facta non censetur Persecutio. SEXTA PERSECUTIO (aliis VII.) *Maximinum* habet auctorem, de qva Eusebius in Chronico ad A. C. CCXXXVII. *Maximinus adversus Ecclesiarum Sacerdotes persecutionem facit.* (*Quibus verbis ostendit Eusebius, non in omnes promiscuè factam esse, sed in Presbyteros tantum & Ecclesiarum Ministros.*) Ita etiam Firmilianus apud Cyprianum Ep. 75. & Sulpitius Severus, adde Eusebium L. VI. H.E. C. 21. SEPTIMA PERSECUTIO (aliis IIX.) à *Decio* mota est. Eusebius ad A.C. CCLII. *Decius cum Philippum Patrem & filium interfecisset, ob odium eorum in Christianos persecutionem movet, qua* LAURENTIUS *Diaconus Romæ martyrium* (testimonium) *dixit.* (*Ex his Eusebij verbis communis error haustus est, Philippum fuisse Christianum, cum tamen ex odio tantum Christianorum persecutionem moverit Decius. Sed nimirum confundebant illi Philippum Præfectum Augustalem Ægypti, cum Imperatore.*) Eadem legas H.E. L. VI. c. 32. & 39. Historiam crudelitatis Decianæ ex Gregorio Nysseno, Cypriano, (*ex quo vel solo hujus sæculi historia disci potest.*) Eusebio, Augustino diligenter texit Hornejus H.E. L. III. c. 5; qva occasione etiam de *Libellaticis* (apud Cyprianum Ep. 52.) disputat contra Baronium ad A.C. CCLIII; suam sententiam proponentem. (*Duo erant lapsorum genera*: (1.) *Sacrificati sive thurificati, qui ipso opere Dijs sacrificaverant*; (2.) *Libellatici, qui à Magistratibus redimebant libellos, qvibus inscriptum erat, hunc vel illum adoleviſſe. De qua re duæ sunt opiniones; qvidam putant eos comparasse sibi eos libellos, ut immunes essent à sacrificando, qvidam prius sacrificandum ipsis fuisse & postea demum libellos illis datos; vide Hornejum l. c. Quæstio hæc est memorabilis, cujus usus hodiè qvoq; esse potest, multi enim dum in regionibus Pontificiis peregrinantur, emunt sibi istiusmodi schedas, qvibus testatum fit, eos sese coram confessionario stitisse. Mira autem sapiat, qui hæc salva conscientia posse fieri putet, neq; ovum ovo similius est, quam hæc quæstio von denen Beichtzetteln / illi vetustæ; Eadem argumenta Cypriani contra Nostrates militant.*) Absumpsit hæc Persecutio *Fabianum* Episcopum Romanum & *Babylam* Anti-

Antiochenum, Origenem qvoqve (*de cujus lapsu & sacrificio idololatrico fabulam putant apud Epiphanium Hær. LXIV. tradi, cum ea res tantum nitatur qvodam libello,* Ξένη Θεήνου *dicto, quem jam Gelasius Papa inter Apocrypha retulerit.*) *Dionysium Alexandrinum, Gregorium Thaumaturgum* aliosqvè valde exercuit; Qvi Gregorius etiam consilium secedendi suggessit, teste Gregorio Nysseno. Atqve hinc in Ægypto nata origo ANACHORETARUM, EREMITARUM, MONACHORUM, PAULO & ANTONIO, qvos hujus instituti auctores faciunt, in loco sola expulsis; v. Hieronymum in vita Pauli, (*quam elegantissimo & gravissimo stylo scripsit,*) Athanasium, ut ferunt, in *vita Antonii.* (*Hæc Anachoretarum innocentioris instituti ratio, hodiernis non patrocinatur, illi quippe id fecerunt metu periculorum.*) Data post mortem *Decii* brevi qviete, CONTROVERSIA de LAPSIS RECIPIENDIS, tum NOVATIANI HÆRESIS Ecclesiam exercuit. (*Cujus historiam diligenter collegit Hornejus H. E. L. III. c. 5. §. 23. &c. Dionysius qvoq; Petavius de sensu Veterum in hac controversia disputat in suis ad Epiphanium dissertat.*) Mox *Gallus & Volusianus* instaurarunt persecutionem, ita ut appendix Decianæ hæc habeatur. OCTAVAM PERSECUTIONEM (alii IX.) *Valerianus* Christianis pridem favens movit, de qva Eusebius ad A. C. CCLIIX. (Baronius ad A. C. CCLIX. ponit.) *Valerianus in Christianos persecutione commota statim à Sapore Persarum Rege capitur, ibiq; miserabili servitute consenescit.* Promissa sunt delatoribus Christianorum μήνυτρα, dimidium facultatum Christianorum, postea bona omnia. Absumpsit hæc persecutio *Stephanum, Cyprianum, Sixtum, Laurentium,* in craticula assatum, (*de qvo Prudentius, Acta martyrij Cypriani &c.*) Tum CCC. martyres Carthaginenses, (*massa candida* dicebantur) de qvibus itidem Prudentius: (*Hi uno impetu in voraginem fornacis calcaria gratulantes insilierunt, qvibus combustis massa candida apparuit. Adeò Cyprianus sua institutione & exemplo reliqvos ad constantiam animaverat.*)

Corpora candor habet; candor velut ad superna mentes,
Candida massa dehinc dicti meruit per omne seclum.

Discipulos Cypriani; de qvibus Baronius ad A. C. CCLXII. §. 5. &c. *Fructuosum* in Hispania cum sociis. v. Prudentius hymno περὶ στεφ. NONA PESECUTIO ad AURELIANUM Imperatorem refertur. Nam *Gallienus* qvietem Ecclesiæ dederat. v. Eusebius *Chron.* ad A. C. CCLXXVI. *Aurelianus cum adversum nos persecutionem moviisset fulmen juxta eum comites ejus ruit, ac non multo post inter Constantinopolim & Heracliam in Canaphrurio viæ veteris occiditur.* Hanc persecutionem Leo M. Serm.

2. *de festo Pentecost. octavam* vocat, Augustinus *nonam* de C. D. L. XIIX. C. 52 Innumera tum Martyrum millia coronata Leo ait. DECIMÆ PERSECUTIONIS Chronologia in sequens seculū refertur; intellige qvoad ἀκμὴν, nam & postrema hujus seculi non parum irrubuerunt sangvine Christianorum. Thebææ legionis martyrium A. C. CCXCVII. refert Baronius; gravissimè illud descripsit Eucherio. (*Forte autē illi milites in extremo casu si restitissent, etiam apud gravissimos viros veniam meruissent.*) De variis cruciatibus, quibus Christiani affecti sunt, Eusebius L. IIX. & IX. videndus.

XIV. De SYNODIS adversus *Novatianorum* Dogma & *Paulum Samosatenum* in Africa potissimum & Antiochiæ habitis, vide Cent. Magd. Confunduntur in hac historia Novatus & Novatianus ab ipsis etiam Græcis, qvos in hunc usque diem secuti sunt. Fuit autem Novatus Presbyter Africanus, Novatianus Romanus, ad quem iste Romam pervenit, seqve eidem adversum Episcopum Romanum in contentionibus adjunxit.

III. SECULI V.

VIRI CELEBRES, LITERÆ, ARTES, INVENTA ET ALIA.

I. VIRTUTE CIVILI ET AMICITIA IMPERATORUM illustrati sunt hoc seculo PAPINIANUS, Præfectus Prætorio, de cujus fato Spartianus in *Caracallo* c. 4. & 8. de cujus laudibus & artibus Jacobus Lectius in Orationibus aliqvot accuratissimè egit. PAULUS qvoqve & ULPIANUS, JCti, summis honoribus usi; vide iterum de Ulpiano *orat.* Jacob. Lectii, (*Doctissimi JCti, cujus Orationes omnes lectu sunt dignissimæ;*) Adde Catalogum Lampridii in *Alexandro Severo* cap. ult. & ut scias, qvi viri in ejus consilio fuerint, FABIUS SABINUS, Sabini, insignis viri, filius, *Cato temporis sui*; DOMITIUS ULPIANUS, Jurisperitissimus; ÆLIUS GORDIANUS, Gordiani Imp. Pater, & ipse revera vir insignis; JULIUS PAULUS, Juris peritissimus; ALFENUS, AFRICANUS, FLORENTINUS, MARTIANUS, CALLISTRATUS, HERMOGENES, VENULEJUS, TRIPHONIUS, CELSUS, PROCULUS, MODESTINUS, *hi, omnes Juris Professoris discipuli fuere splendidissimi, Papiniani & Alexandri Imp. familiares & socii*, ut scribit Acholius & Marius Maximus; CATILIUS SEVERUS, vir omnium doctissimo; ÆLIUS SERENIANUS, omnium vir sanctissimus; QVINTILIUS MARCELLUS, qvo meliorem ne historiæ qvidem continent. (*Si abs hoc Catalogo Lampridii foret historia illorum virorum, exiguam haberemus notitiam.*) MISITHEUS doctissimus optimusq; vir, Præfectus Prætorio, qvam Reipublicæ utilis fuerit, discere licet ex *Gordiano* Capitolini c. 23. usq; ad 29. sub. XXX. *Tyrannis*, qui appellantur, præclari magniq; fuere viri, qvos Trebellius Pollio describit.

II.

II. EPISCOPORUM ROMANORUM hujus Seculi, qvæ circumferuntur EPISTOLÆ, Blondellus *in pseudoIsidoro*, præclaro illo opere, clarissimis & invictis argumentis convincit ἰῆς νοθείας; ut CALLISTI Papæ duas, URBANI unicam, PONTIANI duas, ANTERI unicam, FABIANI tres, CORNELII duas, LUCII unicam, STEPHANI duas, SIXTI II. duas, DIONYSII Papæ duas, FELICIS tres, EUTYCHIANI duas, CAJI unicam, MARCELLINI duas. TERTULLIANUS sine superioris & initio hujus Seculi claruit, doctissimus Vir, difficilis tamen, tum ex genere scribendi Africano; (*Omnes enim cum tumore & molestia scribunt, qvam styli molestiam nec Tertullianus doctissimus Vir subter-fugere potuit.*) tum ex formulis juris, cujus peritissimus fuit. (*Ut adeo hunc nemo intelligere possit, qvi non etiam illas fomulas intelligat.*) Historiam horum temporum & ritus Ecclesiasticos plurimum illustrat. (*Multum ejus eruditioni tribuit Cyprianus, ut nullum fere diem sine lectione Tertulliani intermitteret, & qvotiescunqꝫ eum à Notario suo postularet, diceret:* *Da Magistrum.*) Primus de eo meritus est B Rhenanus, (*Vir magnus verè & admirabilis, qui maximas & difficillimas res aggressus est, glaciemqꝫ fregit, etiamsi non omnia pervidere potuerit.*) Inde Pamelius, omnium præclarissime N. Rigaltius Editione Parisiensi. Nupera, edito vasta, *omniloqvium Tertulliani*, non est nauci. (*Titulo absurda, nec vilî pretio emenda.*) Scripta etiam qvædam supposititia & dubia occurrunt. Errores ejus non tantum ubi Montanum seqvitur, sed & alii, collecti eruditis & notati, v. Hornejus H. E. L. 3 c. 2. §. 11. 12. MINUTIUS FELIX, æqvalis Tertulliani, celebris Romæ Causidicus, reliqvit Dialogum pereruditum, *Octavium*, qvi addi solebat Arnobianis libris tanqvam octavus: (*sed Arnobii non est.*) Omnibus editionibus præferenda Elmenhorstii: CYPRIANI magna merita deprædicat Gregorius Nazianzenus Orat. XIIX T. I, v. etiam Horneji H. E. l. 3. c. 7. § 29. & seqq. (*Est hic Pater lectissimus, non sine tamen erroribus, multum conferens ad Historiam Ecclesiasticam, Zelo pietatis & eloqventia celebris, supra ingenium ferè suum; in eo tamen haud dubie lapsus est Erasmus, dum eloquentiam ejus, ut perfectissimam evehit; ut ut enim sit maxima & eximia, tanta tamen non est, quanta ab Erasmo prædicatur, nec ita ad Latinitatem exacta. Editio Erasmi est optima.*) PONTII Diaconi Cypriani liber *de vita & Passione Cypriani* lectu dignissimus exstat, & de gravitate pietateqve auctoris sui testatur, ipsius Cypriani operibus subjunctus. ZENONIS Veronensis Episcopi *Sermones*

editi superiori seculo Venetiis, Veronæ, & hoc seculo Parisiis. VICTORINI Petavionensis Episcopi in superiore Pannonia, qvi sub Diocletiano martyrium fecit, scripta recenset Hieronymus, de qvibus tamen nihil exstat, nam commentarius in Apocalypsin ejus esse non videtur. Confunditur cum VICTORINO PICTAVIENSI; vid. omnino Dissert. eruditam Johannis Launoji hic recusam de *Victorino Episcopo & Martyre*, ubi & de reliqvis Victorinis erudita est annotatio. ARNOBIUS Africanus, Lactantii Præceptor, VII. Libros *adversus gentes* reliqvit. Nam commentarii in Psalmos alium habent auctorem, qvare nec conjunguntur in optimis editionibus. (*Frigidi sunt isti commentarii, Arnobio autem nihil est ardentius. Videtur itaq; lapsus esse Erasmus, qui putavit, Scriptores Ecclesiasticos habere duplex genus scribendi, unum accuratum & Politicum, alterum simplex, verum tale qvippiam vix observabitur.*) Inter editiones, Elmenhorstii, Viri revera doctissimi, est optima, qvi nescio qvo affectu ferebatur in Scriptores Africanos. (*Edidit enim etiam Apulejum. Promisit editionem novam & amplissimos commentarios in hunc scriptorem Cl. Salmasius, & typographus jam multas paginas excuderat, sed postea nihil annotationum à Salmasio potuit impetrare.*) LACTANTIUS etiam Firmianus, Arnobii Discipulus, qvi exemplo Præceptoris sui *contra gentes* scripsit, refertur in hoc seculum, qvanqvam seqventis potissimum initiis floruit. (*Hujus eloqventia omnibus est præferenda, habuit autem errores satis crassos. Vera utilitas, quæ inde petitur, continet generalem locum de veritate religionis Christianæ. Antiquitatis cognitio plane in eo singularis est, auctores tractavit reconditos & ex illis multa nobilissima fragmenta conservavit, præsertim ex Evemero, historico nobilissimo.*) Editio Aldina præ reliqvis probanda, qvæ valde diligens est. Commentarios in eum adornavit Xystus Betulius, sed frigidos, in qvibus nihil memorabile est; Promittit autem doctissimus JCtus Dn. Ernstius Professor Soranus editionem, in qvâ XXIII. Codd. MS C. contulit, sicut ipsum referentem audivi. Erasmi etiam editio inter optimas referenda est. INTER GRÆCOS CLEMENS ALEXANDRINUS natus Athenis, sed Alexandrinæ Ecclesiæ Presbyter. Supersunt de scriptis ejus *libri Stromatum*, *Pædagogus*, *Protrepticon*. Errores enumerat doctissimus, & qvi de Ecclesia præclarè meritus est, Chemnitius, Examine C. T. P. 1. vid. Hieronymum in Catal. & Eusebium H. E. L. 6. c. 5. & 11. Hornejum H. E. L. 3. c. 1. §. 13. 14 15. (*Edidit Clementem D. Heinsius nitido charactere, qvi & paucas notas adjecit, quæ & comparent in edit. Parisiensi. Antiqvitatis fuit peritissimus, de omnibus artibus, di-*

sci-

sciplinis & opificiis disserit. Multa ex Historicis & Philosophicis annotavit, nec quenquam licet nominare ex Patribus Græcis, qui plures complexus fuerit disciplinas, quam hic ipse & Origenes.) JULII AFRICANI *Chronicon* à condito orbe ad Macrinum Imperat. periit. Supereſt in operibus Origenis *Epiſtola de hiſtoria Suſannæ*, qvam fabulosam eſſe diſputat. ORIGENES *Adamantius* Clementis Diſcipulus, ingenio ſtupendo, eruditione vaſta diffuſaqve, labore incredibili 6000. libros ſcripſiſſe fertur v. Euſebius L. VI. 7. 12. 13. 17. *Apologiam* pro Origene nomine Pamphili Martyris edidit, ut & Ruffinus, qvem Hieronymus refutat, adde Socratem L. VI. H. E. C. 13. In junioribus laudatores ejus ſunt Picus Mirandulanus, & Gilbertus Genebrardus. vid. qvæ ſupra de *Origenianis* ex Epiphanio dicta. Opera ejus olim credita interpolata eſſe. Prodierunt hoc ſeculo Pariſiis duobus voluminibus, qvædam autem non ſunt Origenis, qvod ſtylus prodit, qvi eſt alias accuratiſſimus, pleraqve autem in illis operibus ſunt inepta & frigida, ut vix diſcipulo poſſint tribui. Laudatur Origenes à Veteribus, qvod in Exegeticis fuerit incomparabilis; at qvæ hodie habemus Exegetica, non reſpondent huic laudi, nec eruditionem ſapiunt; qvam præclarè ſuis verſionibus meritus ſit, ſupra diximus. De erroribus ejus vid. Patrologiam Gerhardi. vincenti lerinenſis judicium ex *Commonitorio* deſcribit Hornejus H. E. L. III. c. 3. §. 20. &c. (*Alias Vincentius Lerinenſis non tam magnus eſt, quamvis multi de eo diſputent, nos autem controverſiam illam noſtram non facimus; plurima tamen habet utilia, ſicut judicium ejus de Tertulliano & Origene plenum æquitatis Chriſtianæ. Admoneri autem debemus ſi tantus vir ſine exemplo omni eruditionis apparatu inſtructus, in tantos errores incidere potuerit, quid cuiq; noſtrum accidere poſſit; videat igitur quisq;, qui ſtat, ne cadat. Sola Eruditio id non præſtiterit, ſed opus eſt pietate & directione divinâ, quamvis & Origenes pietate fuerit inſignis. In juventute cupidine ſanctioris vitæ ſe ipſum caſtravit.*) Inter opera ejus habentur Libri περὶ ἀρχῶν, qvi eſſe debent ſumma & ſyſtema Theologiæ, hos autem eſſe Origenis, nunqvam mihi perſvadebitur, nec verſio eſt Hieronymi, nec habebit levia argumenta, qvi de iis dubitarit. AMMONII ALEXANDRINI *Canones Evangelici ſeu Harmonia Evangelica* habetur in *Bibliothecæ Patrum*. GREGORIUS Neo-Cæſarienſis Epiſcop. factus XVII. tantum Chriſtianos invenit, decedens vita XVII. tantum Ethnicos reliqvit, qvod memorabile eſt in ejus Hiſtoria. Miracula patravit, unde THAUMATURGI cognomen. Revelationem de SS. Trinitate habuit; Res ejus ex Baſilio & Gregorio Nyſſeno petendæ; Scripta recenſet *Patrologia Gerhardi*

bardi: ubi etiam de iis qvos G. J. Vossius edidit. Editio Parisiensis est omnium plenissima; Antwerpienses eum, sicut omnes Patres, qvos hoc seculo etiam ediderunt, mutilarunt, castrarunt & multa omiserunt. DIONYSII ALEXANDRINI Episcopi exstat brevis Epistola in *Canonibus Ecclesiasticis* Edit. Paris. Volum. cum Comment. Joh. Zonaræ; ut & cum Comment. Balsamonis, vid. Euseb. L. VI. & VII. ubi fragmenta etiam Athanasii de *sententia Dionysii Alexandrini* & de sententia *Nicenæ Synodi*. DOROTHEI Episcopi Tyri *Synopsis de vita Prophetarum & discipulorum Christi*, in Bibliotheca Patrum non agnoscitur; v. Gerhardi Patrologia. Neq; HIPPOLYTI Portuensis genuinum qvicqvam supereſt.

III. DOCTORES SYNAGOGÆ JUDAICÆ memorat Cl. Hottinger. H. E. Sect. 3. Sec. 3.

IV. DE GRAMMATICIS hujus Seculi DIONYSIUM LONGINUM memorare debemus, quem Eunapius vocat βιβλιοθήκην ἔμψυχον, καὶ περιπάτου μουσεῖον. Præceptor fuit Porphyrii Philosophi, qui in Grammaticis, Rhetoricis & Philosophia ab eo eruditus fuit. Supereſt Libellus περὶ ὕψους; Commeliana editio est optima. Adjici merentur verba Lucæ Holstenii Viri doctissimi in Dissert. de *Vita & Scriptis Porphyrii Philosophi* C. 6. p. 28. *Longini ingenium accuratum, limatum judicium atq; eruditionis copiam satis ostendit libellus de sublimi genere orationis, tum quædam ἀνέκδοτα περὶ μέτρων, quæ ex Vaticanâ Bibliothecâ depromta mihi ostendit Leo Allatius, vir apprime eruditus; & Porphyrio eum in Plotini vita κριτικώτατον, ἐλλογιμώτατον & ἐλεγχτικώτατον appellat. Eunapii enim elogium illud elegantissimum, quo virum βιβλιοθήκην ἔμψυχον, καὶ περιπάτου μουσεῖον appellat, omnium ore tritum est.* Quo loco & hoc addidit, publicam omnium doctorum suffragio censuram & judicandi auctoritatem de omnibus, qva antiqvis qva sui Seculi Scriptoribus Longino decretam concessamque fuisse. Zenobiæ qvoque præceptor in Græcia fuit, sicut ex vita ejus constat. (*Possemus hunc Longinum inter Philosophos & Rhetoricos etiam referre, sed quia operis tantum Grammatici qvædam supersunt, Grammaticis eum accensemo, quorum quidem tum proprium munus erat de omnibus Philosophorum, Poëtarum, Oratorum Scriptis judicare, nec nomen eorum tam vile fuit, ut hodie, ubi vix à Grammatistâ distinguuntur. Quantum autem necesse est eum ignorare, qui aureum libellum περὶ ὕψους, & qvæ in eo mysteria continentur non legerit; nihil tam reconditum, tam abditum qvod ille non in Rhetoricis & Poëticis perspiciat; ex qvo vel solo disci potest, quid sit Critica. Qvin etiam superat Dionysium Halicarn, maximum alias Criticum.*)

ticum.) CENSORINI qvoqve opuſculum *de die natali*, qvanqvam ad Hiſtoricos refert G. J. Voſſius de *Hiſt. Lat.* L. II. C. 3, revera Grammatici muneris erit; unde & à Priſciano *doctiſſimus artis Grammaticæ* appellatur. (*Sine hoc opuſculo multa ignorarent Chronologi. Editio Lindenbrogii eſt optima, qvi & excellentis doctrinæ qvadam ibi annotavit, ſicut omnia illius Viri ſcripta ſunt eximia.*) Et Longinus qvidem etiam inter Oratores ac Philoſophos huius ſeculi locum habet.

V. MINUTIANI, qvi ſub Gallieno vixit, exſtat Libellus περὶ Παραγραμμάτων, inter reliqvos artis Rhetoricæ Scriptores ab Aldo editus. Vix de cæteto aliquid nobis de Rhetoricis monumentis ſupereſt; nam Panegyriſtas qvosdam rectius ſequenti ſeculo dabimus. Gallieni autem & Valeriani ævo ſcriptæ videntur *Declamationes* XIX. QVINTILIANO vulgo tributæ, ſed falſo, cum ſint qvidem non aſpernandæ, ſed tamen Qvintiliano, ſcriptore florentiſſimo, indignæ; potius POSTUMII JUNIORIS eſſe, qui unus ex XXX. Tyrannis fuit, indicio ſunt verba illa Trebellii Pollionis in *Poſtumio Juniore* C. 4: *Fuit autem Poſtumius (qvod ſolum dignum eſt memoratu) ita in declamationibus diſertus; ut ejus controverſiæ Qvintiliano dicantur inſertæ.* Hæc G. J. Voſſius de *Rhet. Nat. & Conſt.* c. 15. CURII FORTUNATIANI *libri tres Rhetorices* à Pitheo Pariſ. editi, qvæ editio eſt optima.

VI. Qvantum ad POETAS de OPPIANO, qvi ſub Caracallo deceſſit, ſupra dictum eſt; Euſebius enim in ſuperius ſeculum retulerat. In POETIS LATINIS QVINTI SERENI SAMONICI carmen ſupereſt *de Medicina.* M. AURELIUS OLYMPIUS NEMESIANUS Carthaginenſis Poëta *Cynegetica* reliqvit & 4. *Eclogas.* Ad eundem ſunt 7. CALPURNII *Eclogæ*, qvæ junctim ferè edi ſolent. Præclara editio eſt, qvam publicavit Paulus Manutius, it. C. Barthius, qui eruditas & politas notas addidit Jani Ulicii.

VII. Ex HISTORICIS GRÆCIS aliqui Scriptorem vitæ Apollonii PHILOSTRATUM in hoc ſeculum conferunt, de qvo nos ſeculo ſuperiori; Minus dubitabitur de AUCTORE VITARUM SOPHISTARUM, qui ſub *Macrino* & *Heliogabalo* vixit. Conjungitur alteri in editione. (*De numero Philoſtratorum vix ſatis conſtat. Icones putantur ejus eſſe Philoſtrati, qvi vitam Apollonii ſcripſit; alii alium dicunt. Heroica videntur ejus eſſe, qui Apollonii vitam ſignavit, ſunt enim ſtylo exqviſitiora ſcripta. In unum opus omnia collegit Morellus, qva editione nihil exſtat accuratius.*) DIO CASSIUS Coccejus, ſ. Coccejanus, ad Alexandrum Mammææ produxit *hiſtoriam* ab U. C. Iniqvior nonnullis viris gravibus,

Ciceroni, Senecæ, Pompejo putatur; pleraque ejus operis perierunt; quæ supersunt, Eclogæ sunt Xiphilini, tum fragmenta Peirescii ab H. Valesio edita. Præstantissima editio est H. Stephani, proximam laudem meretur Wecheliana, qvæ & plenior est propter epitomas. Scriptor est alias satis floridus, copiosus, eruditus. Judicium Tilemanni in discurs. admodum est memorabile & verum, qvando dicit: *nullum auctorem Studiosis Politicæ magis utilem esse, qvam hunc Dionem, qvia prudentissima ratione ad omnium actionum causas digitum qvasi intendit, qvod qvidem ante ipsum fecit Polybius.* Præclarum qvoque est testimonium Photii; nil enim hoc viro in his talibus χειλιώτερον. (*Ostendi alibi magnum usum esse Dionis in interpretando Tacito, qui in multis absq; Dione non potest intelligi, hic autem honor in interpretando Tacito Dioni nunqvam antea fuit habitus.*) HERODIANUS, Scriptor elegantissimus, nec inter βιογραφους numerandus, elegantissimum interpretem nactus Angelum Politianum, cui merito in versionum nitore palma danda est, nam & Arrianum pari elegantia vertit. (*Casaubonus qvidem Polybium, Baro Enenckelius Thucydidem satis eleganter verterunt, sed ad Politiani elegantiam nullo modo accedunt, ut huic sine exceptione laus debeatur; H. Stephanus in præstantissima sua editione subinde voluit corrigere versionem Politiani, sed ridendum se præbuit, cum eruditas rationes, qvas Politianus secutus est, non intellexit, sicut vir fuit Græcè, qvam Latinè doctior.*) Præter elegantiam etiam commendanda est singularis Herodiani castimonia, dum non tam multas digressiones instituit qvam Dio Cassius; vide notas nostras. DEXIPPI qvædam habemus apud Photium. (*Qvi duplici nomine commendandus est, primo propter crisin, secundo propter ipsa excerpta.*) *Cod.* 82. & in *Excerptis legationum* D. Hœschelii; v. Vossium de *Hist. Gr.* L. II. c. 15. 16. LATINI HISTORICI hujus seculi pleriqve perierunt. v. G. J. Vossius de *Hist. lat.* L. II. c. 1. usqve ad c. 5. SPARTIANUS, VULCATIUS GALLICANUS, TREBELLIUS POLLIO & cæteri ad sequens seculum referendi. v. Vossius de *Hist. Lat.* L. II. C. 5. & 6. (*Valde dubia est inquisitio, qvas potissimum vitas scripserit Spartianus, omnia enim sunt confusa, diligenter tamen excussa, qva fas est, à doctissimis & gravissimis Viris, Jf. Casaubono & Cl. Salmasio in luculentissimis Commentariis, qui amplissimo opere à Salmasio auctis Parisiis fuerunt editi. In stylo ferè sunt similes; in Trebellio Pollione aliquid varietatis videtur occurrere. Sæpe hi scriptores sunt editi, sed optimæ editiones sunt Gruteriana & Casauboniana. Hoc Seculo prodierunt Lugd. Batav. præferentes nomen Cl. Boxhornii, sed opus est vitiosissimum, indignum ipso, in qvod nummi impedantur,*

tur; gravissima enim sunt vitia, quæ non possunt corrigi, quibus omnes paginæ scatent. Comparent in iis quædam adhuc vestigia Latinitatis veteris, conatus autem fuit impar, præferunt & indegravitatem, sed non assequuntur, quod conantur.)

IIX. JCTORUM celebrium nomina supra recensuimus; GREGORIUS qvoq;, Constitutionum Imperatoriarum ab *Hadriano* usque ad *Valerianum* & *Gallienum* collector; huic seculo tribuitur.

IX. De MEDICIS; SERENI SAMMONICI modo facta mentio fuit.

X. PHILOSOPHORUM primus hic occurrit PLOTINUS, cujus LIV. Libri in *Enneadas* divisi supersunt; Vitam scripsit Porphyrius, quæ operi præfigitur. (*Doctissimus fuit instaurator Philosophiæ Platonicæ.*) Aliqvoties editus est, præstantissima editio est Basiliensis cum versione Ticini. Opus luculentum, studiosis Platonicæ Philosophiæ carum. PORPHYRIUS MALCHUS Philosophus seqvitur, de qvo abunde L. Holstenius in Diss. de *vita & Scriptis Porphyrii*, qvæ subjicitur editioni Catabrigiensi qvorundam opusculorum Porphyrii anno *1655*. (*Hic Præceptorem Plotinum superavit.*) Opera ejus nunqvam junctim, sed sparsim sunt edita, qvorum eruditissimam recensionem instituit Luc. Holstenius. Scripsit aliqvid ad Ptolom. Mathematicum, cujus ipse duo MSS. vidi, nondum autem publicatum est. De Malcho primus præclare meritus est Rittershusius, postea Holstenius qvasdam lacunas supplevit.

XI. GRAMMATICORUM hujus seculi NON ADEO DESPECTUS USUS; unde *Antonino Getæ* familiare fuit, has qvæstiones Grammaticis proponere, ut dicerent, singula animalia qvomodo vocem emitterent, velut agni balant, porcelli grunniunt, Leopardi rictant, elephanti barriunr, ranæ coaxant, eqvi hinniunt, asini rudunt, tauri mugiunt, easqve de Veteribus approbare. (*Pertinet hæc pars ad κυριολεξίαν i.e. proprietatem loqvendi.*) Spartianus in *Vita* c. 5. STYLUM hoc seculo usitatum optime demonstrant Epistolæ & Orationes historiis insertæ. vid. Capitolinus in *Maurino C.* 6. 11. 14. Lampridius in *Diadumeno* 1. & 2. & 8. Idem in *Alexandro Severo C.* 7. 8. 9. 10. 11. 53. 54. 56. Capitolinus in *Macrino C.* 5. 12. 13. 15. 16. 18. 26. in *Gordiano C.* 8. 11. 14. 24. 25. 27. In *Maximiano* & *Balbino* 1. 2. 17. Trebellius Pollio in *Valeriano* 1. 2. 4. 5. 6. in *Gallieno* 11. in *Tyrannis* 2. 6. 8. 9. 10. 11. 12. 18. 30. in *Claudio* 7. 8. 14 15. 16. 17. 18. Vopiscus in *Aureliano* 7. 8. 9. 11 12. 13. 14. 17. 19. 20. 23. 26. 27. 31. 38. 41. 43. 47. In *Tacito* 3. 4 5. 6 7. 8. in *Floriano* 5. 6. in *Probo* 4. 5. 6. 7. 11. 12. 15. In *Saturnino* 8. 10. in *Bonoso* 15. in *Caro* 5. 6. 8. (*Hæc ideo collegi, qvia sunt plane memorabile monumentum, auro contra habendum, referuntur enim omnia ad κυριολεξίαν h. e. prout dicta vel scripta fuerunt.*)

XII.

XII. De VESTIBUS; inventis à Caracallo penulis Antoninianis v. Casaubonus & Salmasius ad Scriptores VI. *Historiæ Augustæ* & Octavius Ferrarius *de re vestiaria* P. 2. L. 1. c. 28. & L. 2. c. 8. (*Promiserat Casaubonus peculiarem Tractatum de re vestiaria, quod illustre est & rarum argumentum, sed morte præventus, præstare non potuit.*) Novus luxus vestium describitur Vopisco in *Aureliano* 28. In LUXU MENSÆ & SPECTACULIS multa inventa & novata; Specimen vide apud Lampridium in *Heliogabolo* 20. 22. 23. de more accumbendi v. C. 25. DECENNIA GALLIENI, novam pompam describit Trebellius Pollio in *Gallieno* C. 8. PUELLÆ & PUERI qvomodo de nomine Imperatorum instituti, aut fœminarum principalium, ut Faustinianæ, Mammæanæ & Mammæani, narrat Lampridius in *Alexandro Severo* 57. MOS NOVUS PRANDII MILITARIS habetur apud Trebellium Pollionem in *Gallieno* c. 2. De PURPURA INDICA memorabilis est annotatio Vopisci in *Aureliano* c. 29. De CORONIS SILIGINEIS populo datis V. Vopiscus in *Aureliano* c. 35. ubi commentatores & Paschalius de *Coronis*.

XIII. OMINA imperii accipiendi & amittendi oblata Principibus, diligenter annotavere Scriptores *Historiæ Augustæ*. Qvorum aliqva, ut & cætera Prodigia, qvæ putabat, consignavit Conr. Lycosthenes; in eo tamen non probandus, quod sua non ex fontibus repetit, sed ex novitiis fere scriptoribus. MARITIMAS & NAVALES hujus seculi ARTES conatusque & molitiones exsequitur Thomas Rivius in *Historia Navali* L. 2. capp. priorib. 8. in qvo vicit industriam Morisotti, qui à sexto demum post. N. C. seculo incepit.

XIV. ZENOBIÆ virtus plane singularis fuit hoc ævo, descripta Trebellio Pollioni in *Tyrannis*. Zosimo l. 1. Factum ejus unum improbandum, inconstantiæ muliebris exemplum, dum ad rationes reddendas vocata omnem culpam in Consiliarios rejecit, qvorum scilicet svasu contra Romanos bellare cœpisset, in qvibus etiam prodidit Præceptorem suum Longinum, qvi necem animose sustinuit.

XV. Ad antiqvitatem illustrandam pertinent, qvæ hoc seculo Scriptores *Historiæ Augustæ* annotant. De HONORIBUS PRINCIPUM, sub imperii initia delatis receptisqve, de primis imperandi auspiciis, & similia larga manu oblata. Tales sunt etiam annotationes de SCTO TACITO apud Capitolinum in *Gordianis* c. 12. (*Quæ res ipsa quidem est antiqua sed annotatio est hujus temporis, nullibi præclarius descripta.*) De SCTIS ad Principes pertinentibus, qvi in libris Elephantinis scribebantur, v. Vopiscum in *Tacito* c. 8. De more Principum ad bella euntium, dandi munus GLADIATORIUM & VENATUS, Capitolinus in *Maximo & Balbo* c. 8. PHAGO AURELIANO exemplum magnum, sed in Imperatorum Aula turpe; de qvo v. Vopiscus in *Aureliano* c. 50. MONETARIORUM BELLUM habetur apud eundem c. 38.

SECULUM IV.

I. CHRONOLOGIA.

I. INITIUM hujus SECULI repetit ab anno DIOCLETIANI XVI. exeunte, seu XVII. ineunte Petavius *Rat. Temp.* P. II. c. 10. CONSTANTII mors & CONSTANTINI initiũ an cadat in A. C. CCCV. aut CCCVI. disputatur apud Petavium de *Doctrina Temporum* L. XI. c. 35; qvâ occasione etiam de MORTE CONSTANTINI qværitur, qvæ in A. C. CCCXXXVII. refertur. Adde Petavium *Rat. Temp.* P. II. L. 4. c. 11. Qvi & cap. 12. disputat de CONCILIO NICENO, ejusqve tempore, tum de INITIO CONSTANTII & insequentium annorum ad usqve A. C. CCCCXVI. ratione Chronologica.

II. FINIS SECULI ponitur Anno *Honorii & Arcadii* VI. aliis VII.

IV. SECULI II. ROMANA.

1. CUm Diocletianus & Maximianus imperio se abdicassent, è *Cæsaribus Augusti* facti sunt C. VALERIUS CONSTANTIUS CHLORUS & C. GALERIUS VALERIUS MAXIMIANUS. Hi imperium ita diviserunt ut CONSTANTIO Italia, Gallia, Hispania, Britannia, Africa; GALERIO MAXIMIANO Illyricum, Græcia, Asia, Ægyptus cederent: GAJUM autem GALERIUM VALERIUM MAXIMINUM & FL. VALERIUM SEVERUM *Cæsares* appellarunt, teste Zosimo L. II. p. 46. CONSTANTIUM *optimi Principis* laudibus ornat Eusebius de *vitâ Constantini* L. I. (adde *Hist. Miscell.* n. 1.) Commemoratis etiam moderati in cives imperii (*cum à legatis Diocletiani paupertas ipsi objecta fuisset;*) & studii in Christianos, (*apostatas removendo*) speciminibus. Hujus filium natu majorem CONSTANTINUM ægrè tulisse, qvod *Cæsares* creati essent, qvos diximus, iter ad Patrem in Britanniam (*tradunt enim Constantium Italia & Africa se abdicasse, qvod falsum tamen est; constanter enim Christiani scriptores affirmant, vi & fraude Galerii illas regiones eidem creptas esse.*) clam suscepisse, Zosimus L. II. & Aurelius Victor. de *Cæsaribus* c. 41. §. 1. tradunt, ambitionem ejus perstringentes. Sed res aliter habet, sicut ex Eusebio & Zonara discimus. Cum enim Constantinus à Maximiano Galerio in urbe Roma religionis specie (*quid hoc sit religionis specie, nusquam habetur, putat autem Baronius, Constantinum suspectum fuisse de religione Christiana.*) vice obsidis teneretur & insidias sibi strui multifariam videret, clam ingressus iter ad Patrem, in Bri-

Britannias contendit, ad fruſtrandos inſeqventes publica jumenta, qvaqva iter egerat, interficiens. Pater vicinus morti, gratulatus ſibi, cui ad felicitatem moriendi filii præſentia modo defuerat, imperium illi defert, mox exſtinctus in Britannia Eboraci. (*Ubi & lampadem ardentem in cryptoportico ædiculæ, in qua ſitum fuiſſe Conſtantium putant, patrum memoria repertam, Cambdenus in* Britannia *ſua tradit.*) Zoſimus ita refert: *Cum milites Prætoriani neminem ex filiis Conſtantii imperio dignum crederent, hunc eos feciſſe Imperatorem. Hiſtor. Miſcell. L. XI. 2 Conſtantio mortuo, cunctis, qui aderant, annitentibus, ſed præcipue Croco,* (*Victor in Epitome* EROCUM *vocat;*) *Alemannorum Rege, auxilii gratia cum Conſtantino comitato, imperium capit.* Hunc CONSTANTINUM, poſtea cognomento MAGNI honoratum, *ex obſcuriori matrimonio Conſtantii filium vocat Hiſt. Miſcell.* L. XI. 2. Zoſimo ita ſignatur: Κωνσταντῖνος ἐξ ὁμιλίας γυναικὸς ἀσήμου, ἀλλὰ κατὰ νόμον συνελθούσης Κωνσταντίῳ τῷ βασιλεῖ γεγενημένος; Poſt: ἐξ ἀσήμου μητρὸς γεγονὼς vocat. (*Zoſimo autem non eſt credendum, qvi ex odio Chriſtiani nominis haud pauca talia depravat.*) Locum Eutropii ex *Hiſt. Miſcell.* Zoſimo opponit Joſephus Scaliger in *animadverſ. ad Euſebium*, qvi & ipſe ita ſcribit ad A. C. CCCVII. *Conſtantio ſexto decimo imperii anno diem obiit in Britannia Eboraci, poſt quem filius ejus Conſtantinus ex Concubina Helena procreatus regnum invadit.* (*Non invaſit ſane, à militibus & à Patre, præſentibus & conſentientibus fratribus & ſororibus, deſignatus; non erat enim cur Scaliger* Patris *deſignationem negaret & πολιτείαν μητροφάνους* καὶ Ἀλεξάνδρου *mendacii inſimularet, deſcripta enim erant illa ex Euſebii L. I de Vita Conſtantini, ſicut ante diximus. Sed hæc non poſſunt eſſe Euſebii, qvanto enim à ſe diſcordaret & ab iis, qvæ in vita ejus ſcripſit? ſed aſſuta ſunt vel ab Hieronymo, vel alio, qvi vulgari opinione motus ſcripſerat, Conſtantinum invaſiſſe regnum. Zonaras adjicit qvædam incredibilia, ſcilicet Angelum adſtitiſſe moribundo Conſtantio & monuiſſe, ut Conſtantinum Imperatorem faceret, item, Conſtantinum à Galerio leonibus fuiſſe objectum, ſed ſalvum evaſiſſe. Hæc enim haud dubie conficta videntur, cum Euſebius, laudator ejus maximus, horum non meminerit, nec alius qvisqvam veterum, qui id nunqvam omiſiſſent, præterea cur Zonaras non addidit ſuos auctores, ex quibus hæc ſunt hauſta? Sed mos iſte Scriptoribus ſeqvioris ævi Græculis, ut libidine confingendi multa falſa habeant, ſicut id etiam facit Michael Glycas.*) Ipſe Conſtantinus ſemper AUGUSTAM appellavit, in productis à Scaligero monumentis

tis, Zonaras rem in medio relinquit, at Baronius ad A. C. CCCVI, in qvem incidit Constantini nostri initium, legitimam fuisse uxorem Helenam Constantii, rationibus non spernendis ostendit, *obscuram* autem *fœminam* & non σεμνὴν h. e. *matronam* dictam, qvia Constantinus ducta Herculei filia eam repudiare coactus fuerat. Qvod autem Baronius hac occasione adjicit: *in Britannia natum Constantinum*, ex loco Panegyristæ V. C. 4. merito & recte refellit Cl. Rupertus. (*Dicitur ibi:* Oriendo illustrasse Britanniam; *quam vocem Baronius statim de nativitate arripit & contra sentientes pessime labi putat. Sed recte ostendit Rupertus illud dici, non quod ibi natus, sed Imperator primum salutatus sit, & hæc quidem certissima sunt, ut haud dubie lapsus sit Baronius, sicut & in illo hallucinatur, dum putat Helenam esse in Britannia natam alicujus Reguli filiam. Hæc enim sunt commenta Monachorum, qui barbaris temporibus historici erant, & id quærebant, ut suis majorem lucem circumponerent. Liberos ex posteriori matrimonio Constantius genuit sex, ex priori unicum Constantinum M.*) De Patria Constantini Naisso, Daciæ mediterraneæ oppido, idoneis testibus idem Rupertus rem confecit. (*Disputatur de solo natali Constantini à Livineo, qui satis eruditas notas scripsit ad Panegyristas, & Lipsio de magnitudine Urbis Romæ, qui Tharsi Bithyniæ natum putat.*) Constantinâ Jmperatoris jam facti imago, Romæ ostentata, invidiam MAXENTII excivit, qvi fuit Maximiani Herculei filius suppositititius. Js adjutoribus usus Marcelliano & Marcello tribunis militum, ac Luciano, tum prætorianis militibus, pactus ingentia præmia, imperatorium solium invasit, interfecto Abellio urbis Præfecto Qva re cognita MAXIMIANUS GALERIUS SEVERUM Cæsarem mittit adversus Maxentium, sed ille â Maxentio victus Ravennam compellitur. Tum MAXIMIANUS HERCULEUS (privata jam conditione agens) fide data deceptum Severum elicit Romam, qui in itinere dispositis â Maxentio insidiis, laqveo est necatus. CAJUS GALERIUS VALERIUS MAXIMIANUS ulturus Severi necem ex oriente in Jtaliam advectus, cum omnia sibi adversa reperisset, retro vertit iter. Hoc est illud tempus, qvo MAXIMIANUS HERCULEUS Diocletianum Carnuti agentem convenit, atq; ut resumptum imperium à juvenum furoribus vindicaret, persvadere ei frustra voluit. Ab hoc autem conatu depulso, Constantinũ subdola affinitate pellexit, collocata ei FAUSTA filia, usurus ejus opera adversus

ſus Galerium Valerium Maximianum & Maxentium. At e. Galerius Valerius Maximian9 LICINIUM *Cæſarem* creat & *inter hæc conſilia peſtilenti vulnere, ut habet* Victor, *exſtinguitur*: ſive *poſtquam per annos* X. *omni genere hominum provincias exhauſiſſet, putrefacto introrſus pectore & vitalibus diſſolutis, cum ultra horrorem humanæ miſeriæ vermes eructaret, Medicis, jam ultra fœtorem non ferentes, crebro juſſu ejus occiderentur, âquodam Medico conſtantiam ex deſperatione ſumente inerepitus iram Dei eſſe pœnam ſuam, atq; ita à Medicis non poſſe curari, edictis late miſſis, Chriſtianos de exilio revocavit. Ipſe autem cruciatus nos ſuſtinens, vim vitæ ſuæ attulit*, ut eſt in *hiſt. Miſcell.* L. XI. c. 5, ubi & deſcriptio ejus plenior. Licinius ergo *jam tum*, ut Victor loqvitur, *Imperator & Auguſtus creatus* â Galerio, imperium ſibi vendicat. Maximianus autem Herculeus interea, cum Maxentio imperium eripere nequicqvam tentaſſet, in Conſtantinum Generum verſus, qvem & antea committere cum Maxentio cupiebat, filiam Fauſtam Marito qvam Patri fideliorem expertus eſt; cum enim Conſtantino marito ea inſidias patefeciſſet, Herculeus deſperatione rerum jam æger apud Tarſum morbo exſtingvitur. Ita Zoſimus; at *Hiſtoria Miſcella* L. XI. c. 4 plenius: „*Herculeus* ad Gallias profectus eſt dolo compoſito, tanqvam â filio eſſet expulſus, ut Conſtantino Genero jungeretur; „moliens tamen Conſtantinum reperta occaſione interficere, qvi in Galliis & militum & provincialium ingenti jam favore regnabat, cæſis Francis, atq; Alemannis, captisq; eorum Regibus, qvos etiam beſtiis, cum magnificum ſpectaculum muneris paraſſet, objecit. Detectis igitur inſidiis per Fauſtam filiam, qvæ dolum viro denunciaverat, profugit Herculeus, Maſſiliæq; à Conſtantino oppreſſus, (*ea enim navigare ad filium præparabat*;) à Conſtantino captus pœnas dedit, mortis genere poſtremo fractis laqveo cervicibus," &c. Seqvitur ejus deſcriptio in *Hiſt. Miſcella.* (*in qva vocatur etiam Solidus, qua vox ſcriptoribus hujus ævi notat ferocem, arrogantem, omnia in armis minisq; ponentem.*)

MAXENTII, qvi egregiè jam firmatum ſibi imperium credebat, imagines in Africam miſſæ à militibus repudiantur, qvi mox ALEXANDRO PHRYGI, Prætorii Præfecto (*Qvæ dignitas tum non ſolum Romæ erat.*) purpuram tradunt, cui Maxentius ob non miſſum obſidis loco filium inſidias ſtruebat. Movit hæc rebellio immitem Maxentii animum, jam jam Conſtantino bellum molientem, ac itineris per Rhætos certum. Prætextus belli ferebatur vindicta Patris Herculei, cum qvo tamen ipſe ſimulta-

simultates gerebat, à Constantino exstincti, Dalmatiæ & Illyrii opes in partibus suis numerabat, fiduciâ ducum & Licinii illic curantium, sed prævertendum tamen ad res Africanas videbatur, qvo missus Dux Rufius Volusianus, Præfectus Prætorio, cum Zena, viro pacis belliq; artibus claro, Alexandrum, (hominem imbellem, qvi nescio qvomodo officium militare nactus erat.) facile vicit & perdidit. Zosimus L. 2. Ea Maxentio sæviendi materies in dites clarosq; viros, qvi ut partium Alexandri fautores immani delatorum diritate vita fortunisqve evolvebantur. Digna scilicet res, de qva Romæ triumpharetur, ubi itidem sævitia & libidinibus omnia polluebat, perdebatqve Maxentius. Constantinus ergo, cui causa armorum, ad tutelam sui sumendorum, jam ante suppetebat, nunc etiam Reipublicæ succurrendum ratus, coacto 90000. eqvitum exercitu per Alpes in Italiam contendit. At Maxentio 170000. pedester, 18000. eqvestris exercitus erat. Collatis apud Romam signis, cum fuso exercitu Maxentius fugeret, ruina pontis in Tiberi cum multis aliis periit (*Hinc est, cur Scriptores Christiani dicant, hunc percussorem pœna Pharaonis interijsse.*) *Hist. Misc.* XI. 6. ita exseqvitur: *Interea à Respublica tum à IV. Imperatoribus tenebatur, Constantino, Maxentio, filijs Augustorum, Licinio, Maximino, novis hominibus. Quinto tum imperij sui anno Constantinus bellum adversus Maxentium civile commovit, pro eo, quod Senatorum & nobilium maximè matronas publicè abstrahi atq; ad suam libidinem deduci imperabat, & post contaminationem viris suis reddi jubebat, non tam expleta adulterij libidine, quam immutata.* Adduntur plura specimina infandæ & inhumanæ tyrannidis. Tum pluribus præliis fusum à Constantino Maxentium memoratur. De ultimo autem præliosic c. 9. *Cum jam Constantinus haud procul à Ponte Mulvio castra posuisse, subito Maxentius agitur in occursum & proruens urbis Romæ portis sequi se reliquum exercitum jubet, prior ipse præcurrit armatus. Jusserat autem navibus ad decipulam compositis* (i.e. ponte navali solubili) *fluvium sterni & suppositis pontibus exæqvari. Tunc Constantinus crucem auream, qvam formaverat, ante se jussit portari, factaque congressione superati sunt, qui circa Maxentium fuerant, plurimis ex his interemtis. Maxentius autem cum effuse fugiens, paulo superius à ponte Mulvio in pontem navigiis compositum ab latere ingredi festinans, lapsu equi in profundum demersus est, voratumq; limo pondere thoracis corpus vix repertum.* Multum illustrat hanc historiam Panegyri-

cus VI. Caput Maxentii circumlatum & ad permulcendam quoq; Africam missum, ut qva maxime vivus afflixerat, laceratus expleret; verbis Nazarii *Pan.* VII. c. 32. Discrimen hujus belli occasio fuit Constantino religionem Christianam amplectendi, demonstrato sibi signo crucis, sicut ex Eusebii H E. & *vita Constantini refert Hist. Misc.* XI. 7. & 8. (*Eusebius scribit, se ex ore Constantini audivisse, quod jure jurando confirmaverit, crucem sibi monstratam, vocemq; auditam:* ἐν τούτῳ νίκα. *Christum deinde sibi per somnum apparuisse. Hinc Pontificii arripiunt occasionem, suam de cruciis signo superstitionem stabiliendi, qvod qvidem in usu fuit antiqvitus, ut vel ex Cypriano constat, sed tantum ut symbolum crucifixi, non ut ei qvædam efficacia adscriberetur.*) Ethnici Scriptores non meminerunt, nisi quod Panegyrici VI. Auctor alludit c. 3. Victoriæ præcipuum decus clementia fuit, pauculis interfectis eorum, qvi ê sinu Maxentii fuerant. Hac occasione Prætoriani milites cum castris castellisqve suis sunt abrogati. (*Qvod factum an consilio prudens & eventu felix fuerit, alibi videbimus.*) Celebritas Victoriæ apud Eutropium, arcus triumphalis apud Baronium ad A. C. CCCXII. Victor, cum Licinio promissam ante Sororem in matrimonium dedisset, ad Celtas profectus est & ad Gallos; Licinius autem bello civili cum C. VALERIO GALERIO MAXIMINO contendit, primoque inferior visus, mox victor Maximinum in fugam compulit; prælium in Illyriis factum est; Unde Maximinus per Orientem in Ægyptum tendens, ad instaurandas copias, Tarsi morbo periit. Ita Zosimus L. II. p. 52, recte, nisi qvod MAXIMIANI nomen pro MAXIMINO corrupte positum est. (*Ut apud alios quoq; vitio fortassis descriptorum: non habemus autem alium, qvi hæc plenius referat, qvam Zosimus, qvamvis Constantino iniquus sit.*) *Historia Miscella* L. XI. c. 10. minus accuratè: *Non multo post deinceps in Oriente quoque adversus Licinium Maximinus Cæsar res novas molitus, vicinum exitium fortuita apud Tarsum Ciliciæ & simplici morte prævenit.* Subjicitur descriptio ejus. Miseriam mortis describit Eusebius H E. L. IX. & I. *de vita Constantini.* Ita Imperium jam penes duos fuit, CONSTANTINUM & P. VALERIUM LICINIANUM LICINIUM, (*ut integrum nomen habet.*) Non mansura diu concordia; causas dissidii ad ambitionem & perfidiam Constantini referre non veretur Zosimus, infestus scilicet Christiano Principi. Victoris *Epitome* c. 41. involvit rem; *Verùm enim verò ut imperia difficile concordiam custodiunt, dissidium inter Licinium Constantinumq; exoritur.*

Alter

Alter Victor *de Cæsaribus* c.41: *ob diversos mores anxiè triennium congruere quivere*; (*minus autem recte Baronius dicit, Victorem idem dicere, quod Zosimus dicat.*) unde incautius *Historia Miscella* L.XI.c.11. Eutropium secuta, sic describit: *Verum enim vero ut imperia difficile concordiam custodiunt, Constantinus Vir ingens & omnia efficere nitens, quæ animo præparasset, simul principatum totius orbis affectans, Licinio bellum intulit, quanquam necessitudo & affinitas cum eo esset.* Orosius L.VII.C.28. hoc tantum annotat: *Licinius repentina rabie suscitatus, omnes Christianos è palatio suo jussit expelli. Mox bellum inter Licinium ipsum & Constantinum efferbuit.* Hoc factum esse Eusebius H.E.L.IX.c.8.& 9. tradit, cum detectis, qvas clanculum sæpe struxerat, insidiis, Constantino jam apertè inimicus bellum meditaretur. Idem de insidiis in Constantinum L.I. *de Vita Constantini*; de causis belli L.II. apertius agit. Primum inter eos prælium ad Cibalim, oppidum Pannoniæ, (*Cibalas* alii vocant,) commissum describitur á Zosimo; victus Licinius, præter Sirmium in Thraciam festinat, bellum instauraturus. C. JULIUM VALENTEM autem CÆSAREM appellat; Constantinus captis Oppidis Cibali & Sirmio, Licinium persequitur & in Thracia rursus cum eò acriter pugnat: æqvis manibus abscessum esse & fœdus factum Zosimus testatur, sed alii victoriam Constantini & in victos clementiam memorant. Vid. Eusebius L.II. de *Vita Constantini*, & Baronius ad A.C. CCCXVII. (*Qui putat, Zosimum ideo non memorare victoriam Constantini, ne fateri cogatur, singularem illam clementiam Constantini, Licinio secunda jam vice præstitam.*) De fœdere consentitur in has leges: Thracia & oriente contentus Licinius esset, Constantinus reliqva haberet; Valens Cæsar á Licinio appellatus occideretur. Qvo tempore CÆSARES appellati sunt FLAVIUS JULIUS CRISPUS Constantini M. frater ex Minervia genitus, FLAVIUS CLAUDIUS CONSTANTINUS JUNIOR Constantini M. ex Fausta filius, Arelatæ natus, infantulus, & VALERIUS LICINIANUS LICINIUS, Sorore Constantini M. genitus, Licinii Imperatoris filius. Interjicitur hinc Constantini M. VICTORIA ADVERSUS SAUROMATAS & Regem Rausimodum, qvi interfectus est apud Zosimum L.II. p.55. Hinc denuo bellatum est cum Licinio, nihil qvietum patiente; terraq; & præsertim mari res gesta, describente imprimis Zosimo, unde Thomas Rivius in *Hist. navali* L.II. c. 9. repetiit. Vivus in manus Constantini venit Licinius, vivumq; servasset, sed privatum, nisi

res

res novas moliens & barbaros sollicitans occidi meruisset. (*contra iniquitatem Zosimi, adde Anonymū Valesij.*) una cum M. MARTINIANO, qvem post infelix prælium ad Hadrianopolin CÆSAREM appellaverat. Temporum ratio mire hic confusa, de qva memorabilis & erudita est annotatio Spondani ad A. C. CCCXIIX. §. 2. Et sic tandem summa rerum ad unum rediit, qvem ita veneratur Thomas Rivius: *Salve Constantine, victorum maxime! Salve o prime Religionis Christianæ vindex, hac enim tu victoria fretus, post* CCCXXIV. *servitutis, qua tenebatur, annos, jus ei & libertatem nullo unquam seculo minuendam restituisti.* (*Et ita per confusiones istas Historicorum rem reduximus ad μονοκρατορίαν Constantini M; ideo autem diligentius ordinavimus, quia vidimus pleris q; aquam hæsisse, dum præcipua ex Zosimo repetenda esse non animadverterunt.*) Inter bellum cum Licinio gestum, HORSMISDAS ad Constantinum veniens, benigne exceptus est, memorante uberius Zosimo L. II. p. 59. 60. Ex eo tempore qvo SOLUS jam rerum CONSTANTINUS potiebatur, negari non potest, qvin magna & multa peccaverit. Sed in his tradendis turbant pleraqve Scriptores; summatim jactum illud: *quod decem annis præstantissimus, duodecim sequentibus latro, decem nocentissimis pupillus ob immodicas profusiones nominatus sit*; ait Victor in *Epitome* c. 41. qvi non satis convenit cum eo, qvod *Hist. Miscell.* habet L. V. c. 13. *Vir primo imperij tempore optimis Principibus, ultimo medijs comparandus.* Hoc tamen utrobiqve dicitur, imperium ejus non caruisse reprehensionibus. Sed hic plus ultra proceditur, aut citra subsistitur. Eusebius enim æqvalis eorum temporum, Panegyristam potius & laudatorem Constantini agit, qvam Historicum; qvo exemplo & alii usqve in hunc diem maluerunt uti, qvam inqvirendo defatigari; (*unde & pro oraculo habuerunt, quæcunq; apud Eusebium leguntur, quæ etiam nulla temporis habita ratione congesta sunt.*) Ex diverso Zosimus nimis hypothesin suam tuetur, qvasi religioni Christianæ debeatur, qvicqvid malorum imperium Romanum invasit ac dissipavit. Non tamen omnia mentitur, aut ubiq; rejici meretur. Est & secretior causa. Jnciderunt in hæc tempora magnæ mutationes, qvas nec Ethnici nec Christiani semper rectis oculis adspicere potuerunt. Neqve contigerunt etiam Constantino scriptores magni, qvos si nactus esset, inter præcipuos totius orbis Heroas haud dubie celebraretur. (*Zosimus à quibusdam acerbius reprehenditur, à quibusdam vehementius laudatur: in quo observanda est διάθεσις animi ac*

scri-

scopus, juxta monitum Diod. Siculi, qui fuit, omnium malorum causam in religionem Christianam conferre. Dolendum est tamen, Zosimi opera nunquam integre esse edita; nam duos priores Libros edidit H. Stephanus, qui plerumq; Herodoto subjunguntur, tres posteriores comparent in opere Historicorum Gr. Sylburgiano.) Vide Praxagoræ testimonium apud Photium *Cod.* 61. (*Fuit hic Praxagoras homo quidem Ethnicus, sed doctissimus & admiratione magnitudinis ac heroicarum virtutum in Constantino ad scriptionem adductus, nimis q; dolendum est, opus ejus interiisse, quod magna lucis instar esse poterat.*) Revertemur nunc in viam. Zosimus hinc orditur, quod singularis imperii licentiâ naturam in omnia mala præcipitem Constantinus secutus sit, interfecto CRISPO filio, quem CÆSAREM dixerat, crimine incestæ cum noverca consvetudinis, tum etiam ipsa Fausta uxore ferventi balneo enecta, ut Helenæ matris, Crispi mortem dolenter ferentis, animum consolaretur. *Chronicon* Eusebii ad A. C. CCCXXVI. *Crispus filius Constantini & Licinius Junior Constantiæ Constantini Sororis & Licinii filius crudelissimè interficiuntur anno Imperii sui IX.* Scaliger legit XIX. ut ad Imperium Constantini referatur; Ubi disputatio de VICENNALIBUS CONSTANTINI; Baronius ad interfectores refert, A. C. CCCXXIV. Suidas, qvi Zosimū describit, in voce κρίσπης (ubi κρίσπος legitur pro κρίσπος) de tempore addit: ζητητέον δὲ, εἰ μὴ μετὰ τὸ βαπτισθῆναι τῶν ἐκ ὀίκου. (Ubi *fine dubio legendum*: πρὸ τοῦ βαπτισθῆναι; *nulla enim omnino est ratio, cur id dicatur factum post baptizationem. Sunt alias codices Suidæ, cujus propterea magnum nomen est, quod nobilissima ἀποσπασμάτα veterum Auctorum conservavit verbotenus, corruptissimi. Editio Aldi valde probata est, qui vehementer in emaculanda laboravit, ex qua editione Genevensis descripta est, ad quam Æmilius Portus quasdam notas adjecit. Sed nondum Scriptor ille satis est sanatus, exspectamus & requirimus singularem eruditionem Bigotii, huic Scriptori magnum futurum præsidium, collatis insuper plurimis MSC. codicibus.*) Victor in *Cæsaribus* c. 41. *Natu grandior* (de filiis Constantini) *incertum qva causa, patris judicio occiditur.* Victor in *Epit. C.* 41. *Fausta conjuge, ut putant, suggerente Crispum filium necari jubet, dehinc uxorem suam Faustam in balneas ardentes conjectam interemit; cum eum mater Helena dolore nimio nepotis increparet.* Eadem habet Hist. Miscella L. XI. c. 13. nisi qvod partim ex Eutropio præmittit; *Verum insolentia rerum secularium ali-*

quantum Constantinum ex illa favorabilis animi docilitate mutavit. Primum enim necessitudines persecutus, egregium virum & bonæ indolis juvenem sororis filium Commodum interfecit; mox Crispum, post numerosos interfecit amicos. Paulus Orosius L. VII. c. 28: *Sed inter hæc latent causæ, cur vindicem gladium & destinatam in impios punitionem Constantinus Imp. etiam in proprios egit affectus; Nam Crispum filium suum & Licinium filium sororis interfecit.* (*Conciliari poterunt scriptores, si observetur id, quod nonnulli dicunt, Faustam innocentem Crispum apud parentem detulisse.*) Joannes Antiochenus in *Excerpt. Peiresc.* p. 838. ὅτι κωνσταντῖνος τῆς ἀδελφῆς τὸν υἱὸν κομμόδης διαφθείρει δύπλοφ, καὶ τῶν φίλων πολλὰς καὶ ἐπιφανῶν. Propagatus est hic qvoqve error nominis in Eutropio *& Historia Miscella*. Neq; enim de COMMODO hic locus est, neq; COMMODÆ pro CONSTANTIA imperitè nominatæ. In Eutropio scriptum erat: *Egregium virum & bonæ sororis filium commodæ indolis juvenem interfecit.* Hinc COMMODÆ nomen factum qvasi proprium, & DOLIS pro INDOLIS. *Historia Miscella* insuper interpolavit: *Egregium virum & bonæ indolis juvenem, sororis Filium Commodum* (*non intellexerat P. Diaconus optimæ latinitatis phrasin, commodæ indolis homo;*) *interfecit.* Eutropius verò peregrinum virum intellexit CRISPUM, & per Sororis filium LICINIUM, ut putat Henr. Valesius. Qvod ipse qvidem non suo debet ingenio, sed hausit ex Pæanio Metaphrastâ Eutropii, qvi sensum magis qvam verba attendens vertit: υἱὸν τῆς ἀδελφῆς (legit Valesius recte ἀδελφιδῆς) φόνον ἐργασάμενος. (*Est hic Metaphrastes satis eruditus, multas quidem habet additiones & omissiones, quæ tamen multa erudita continent. Meretur sæpe edi, editus olim à Sylburgio in opere Historicorum Græcorum Historiæ Augustæ minorum, ut vocant.*) Evagrium, qvi L. III. negat hæc facta, nullo alio argumento, qvam qvod Eusebius taceat, merito refutat Baronius ad A. C. CCCXXIV. tum horum fere auctoritate, qvos diximus, tum Sidonii Apollinaris (*Illud autem argumentum, quo Baronius contra Evagrium disputat, annon Eusebii Chronicon eorum meminit, qvorum ergo taceat; non est accuratum, neq; debuit Baronio excidere; annon nescivit; quanta afflicta sint Eusebio, inprimis ab Hieronymo & aliis, & pauciora omnino sunt Eusebii.*) De re interim non dubitatur

dubitatur, neq; dissimulationi aut excusationi locus est. Quod autem Zosimus addit L. II. p. 61. *Expiandis his facinoribus indicio Hispani cujusdam, cui nomen Ægyptius, Religionem Christianam demum quæsitam & susceptam,* id jure merito refutat Sozomenus, L. I. c. 5. (*Non improbabiliter Baronius putat, hunc Hispanum fuisse Hosium Episcopum Corduba, Constantino aliàs familiarem. Eum autem hac occasione ad Christianismum accessisse falsissimum est & à Zosimo confictum.*) Baronius quoque hariolatur tantum, non historias memorat, cum de Baptismo Constantini hoc tempore facto, lepraque sanata, (*Quæ Nicephori Callisti* L. VII. C. 33. *fabula est. Hujus autem nullam esse auctoritatem satis constat, nisi ubi aliorum auctoritatibus fulcitur; nec meliora meretur elogia Mich. Glycas & Cedrenus, similesq;, nisi quatenus sua ex aliis describunt, vel aliorum testimoniis juvantur, adeò omnia eorum sunt futilia & anilibus fabulis plena.*) *Acta Sylvestri* sequitur, non uno nomine suspecta, quibus omnino ante habere debebat, historicam fidem professus, Eusebium L. IV. de *Vita Constantini* C. 24. 61. 62, Hieronymum in *Chronico Eusebiano* ad A. C. CCCXL. Socratem L. II. c. 26. 39. Sozomenum L. II. c. 34. Theodoretum L. I. c. 31. Gelasium Episcopum apud Photium *cod.* 88. qui omnes testantur, proposito non quidem laudabili, sed tamen distuliſſe Constantinum Baptismum usq; ad extremum vitæ. (*Hocq; argumento tanquam invicto urgeri potest Baronius; cur enim illos homines præfert gravissimorum virorum auctoritatibus, quibus nulla similis, nedum major opponi potest?*) Baronius frustra metuit, ne ab Ariano Episcopo, Eusebio Nicomediensi, baptizatus, Arianæ impietati affinis de salute periclitetur. Bene enim & egregio candore hunc metum dissolvit Spondanus ad Baronium Ad. A. C. CCCXXIV *nota ad* §. 18. ubi & Casauboni, aliorumque contra hanc sententiam rationes strictim eodem candore recensentur. Hinc NOVÆ URBIS CONSTANTINOPOLIS, à nomine Imperatoris dictæ, originem & occasionem Zosimus inde (*valde odiosè*) arcessit: quod Constantinus execrationes Romanorum ob idololatriam & superstitiones exstinctas ferre nequiverit. *Historia Miscella* L. XI. c. 4. sic: *Primus urbem nominis sui ad tantum fastigium evehere molitus est, ut Roma æmulam faceret; nam cum omnia ei prosperè cederent, propriam habere voluit civitatem.* Similia habet Sozomenus L. II. c. 3. Situs opportunitatem maximam inprimis consideratam esse, res loqvitur ipsa. (*Scriptores Eccle-*

ſtici memorant, opera & inſtrumenta fabrilia Byzantium ab avibus delata eſſe: Conſtantinum ea dere in ſomno vel per angelum admonitum; qui generaliùs loquuntur, divinitus incitatum referunt. Locus Zoſimi eſt fere incomparabilis de Conſtantinopoli.) Cæterum omnium diligentiſſimè hanc rem ſcripſit Georg. Codinus, cujus περὶ ἐκβολῆς ἐκ τῆς βιβλου τοῦ χρονικοῦ περὶ τῶν πατρίων τῆς Κωνσταντινουπόλεως, primus edidit Georg. Douſa Jani F. A. 1596 nupera editione Pariſienſi inter *Scriptores Byzantinos* eſt publicatus. Contuli cum duobus MSC. & ingens ſupplementum reperi in Bibliotheca Sereniſſimæ Reginæ Sveciæ, quod ex Vaticanâ ab Luca Holſtenio transmiſſum deſcripſi. Nam in Pariſienſi deſiderantur illa omnia. Codinus ille ait, hoc factum anno Imperii Conſtantini M. duodecimo, teſtib9 numeroſis adductis. Conſtantinus Manaſſes, qui vixit tempore Manuelis Comneni, Græcorum compilator (Sec. XII. poſt C. N.) in *Synopſi Hiſtorica* referens conditâ urbẽ, magnificũ elogiũ attexit, ἀλβώνλιν appellans. Vide etiam Heidmanni doctiſſimi & diligentiſſimi Viri *Europam* c. 2. à. §. 93. per inſeq. qvi & de tota re, ut ſolet, egregiè judicat. Adjecerunt & filii Conſtantini multum amplificationis urbi, ita ut inſeqventibus Imperatoribus hæc potiſſimum Regia placeret. v. Zoſimus L. II. p. 65. Dedicata eſt urbs A. C. CCCXXX. Urbis Romæ conditæ MXXCII. Gallieno & Symmacho Coſſ. Ab hoc tempore ignaviam Conſtantino Zoſimus tribuit, per calumniam. *Euſebianum* enim *Chronicon* ad A. C. CCCXXXII. ponit: *Romani Gothos in Sarmatarum regione vicerunt.* Qvod Cedrenus XXII. Conſtantini anno tribuit, ubi Germanos, Sauromatas, Gothos vicerit. Cujus rei mentionem etiam facit *Hiſtoria Miſcella* L. XI. c. 13. nulla temporis ratione habita. Seqvuntur hinc qvæ Zoſimus in Conſtantino reprehendit, ut pecuniam ædificiis parum utilibus inſumptam. (*Templis ſcilicet Chriſtianorum; hinc illæ apud Zoſimum lacrymæ, hanc magnificentiam pro prodigalitate accipientem.*) Præfectos Prætorii qvatuor conſtitutos; (*Quo facto ait enervatam eſſe militiam, quamvis de eo adhuc poſſit diſputari; fatemur tamen libenter, qua poſt Auguſtum in re militari, qui in iſtiusmodi proviſionibus & conſtitutionibus incomparabilis fuit, mutata fuêrunt, parum ſucceſſiſſe.*) Præſidia militum locis limitaneis detracta; (*Quæ veriſſima eſt reprehenſio, ut fruſtra ſint, qui eum excuſare velint, ſic enim excurſionibus exterorum occaſio & felicitas data.*) Largitiones profuſas, exactiones acerbas & vectigalia immodica, (*Nec omnia negari poſſunt,*

possunt. Hæc sunt, ob quæ Zosimus à multis tam vehementer reprehenditur, quæ tamen omnia neganda non sunt: solent enim & Principes optimi multum & graviter nonnunquam peccare.) Denique suscepit expeditionem adversus Saporem Persarum Regem, (*Ex causa, soli Cedreno, qui id forsan aliunde habet, notata, quæ levis fuisse videtur, magis profecta ab animo irato quam prudenti, vide & Rupertum.*) & in itinere mortuus est. A. C. CCCXXXVII. U. C MXXCIX. Feliciano & Tiberiano Coss. Laudatus est candide à Praxagora, Ethnico Scriptore apud Photium *Cod.* 62. Οὐ πάσῃ ἀρετῇ καὶ καλοκἀγαθίᾳ καὶ πανὶ ἀυτηχήμασι πάντας τοὺς πρὸ ἀυτοῦ βεβασιλευκότας ὁ βασιλεὺς κωνσταντῖνος ἀπεκρύψατο. Libanius quoque, ut ut infestus nomini Christiano & invitus laudator, ut ipse in vitæ suæ descriptione fatetur, nihil tamen de tantis laudibus dissimulare potuit, *in Oratione ad Constantinum & Constantem* filios habita. (*Quæ oratio sane memorabilis est, ad hujus temporis historiam multum pertinens.*) A Christianis nota Elogia. *Historia Miscella* dum promiscuè omnia ex Eutropio Ethnico describit, vocat *leges Constantini M. superfluas*, incaute; fuerunt enim præstantissimæ, ut ostendit doctissimus JCtus Franc. Balduinus, v. Johannes Antiochenus *Excerptis Peiresc.* p. 838.

II. *Constantinus* (*pergemus verbis Hist. Misc.*) *successores filios tres reliquit atq; unum Dalmatii fratris sui filium. Hi singuli has partes regendas habuerunt.* CONSTANTINUS *filius ejus primus in decennali suo* (i.e. in primo decennio Constantini Patris) *ejus genitor fecit eum habere principatum super cuncta trans Alpes; Secundum* CONSTANTIUM *in vicennali suo in Oriente constituit à freto Propontidis in Asiam ad usq; Orientem.* CONSTANTEM *vero juniorem in tricennali hoc suis in Illyricum Italiamq;, & Africam ordinavit.* Hoc Consilium Libanius μαλ' φιλοσοφικῶς oratione supra laudata extollit. (*Causas hujus consilii dicit* (1.) *fuisse, ut Cæsares maturè assuescerent negotiis, ab otio revocati;* (2.) *Ut ingenia eorum rectius nosci possent, si à domesticis & adulatoribus essent remoti;* (3) *Ut vivus firmaret domum suam, eamq; venerabilem redderet.*) Sequitur: DELMATIUM (qui Cæsar appellatus est A. C. CCCXXXV. U. C. MXXCVII. Constantino & Albino Coss) *in Thraciam Macedoniamq; & Achaiam,* HANNIBALIANUM (Flavius Claudius Hannibalianus Ponti, Cappadociæ Armeniæ minoris Rex à Constantino factus erat.) *Delmatii Cæsaris consanguineum, in nationes circiter socias.* Addendus Zosimus L. II. p. 68. 69.

qui & Constantium à sævitia auspicatum esse imperium refert, interfecto Constantio Patruo, Delmatio Cæsare, Optato Patritio, Ablabio Præfecto Prætorii & Hannibaliano. (*Nam Calocærus in Cypro res novas moliens ante mortem Constantini M. occisus est. v. Chronicon Eusebii* ad A. C. CCCXXXVI.) Adde *Euseb. Chron.* quod A.C.CCCXXXIX. *Ablabius præfectus prætorio & multi nobilium occisi; Dalmatius Cæsar, quem patruus Constantinus consortem regni reliquerat filiis, factione Constantii Patruelis & tumultu militari, anno imperii sui tertio interimitur.* Cum autem de partitione imperii dissiderent Constantinus & Constans circa Africam & Italiam, Constans callidè dissimulata per triennium inimicitia, illud tempus exspectavit, qvo frater Constantinus fidam sibi provinciam intraret; tum missi milites, specie ferendi Constantio ad bellum Persicum auxilii, insidiis, ut jussi erant, Constantinum sustulerunt. Ita Zosimus. *Chronicon* Eusebii ad A.C.CCCXLI: *Constantinus bellum fratri inferens juxta Aquilejam Alsa occiditur*; rectiore calculo refertur ad annum C.CCCXL. Acindino & Proculo Coss. Victoris *Epitome* c. 41. ita: *Interim ob Italia Africæq; jus dissentire statim Constantinus & Constans cœperunt. Constantinus latrocinii spe, dum incautus fœdeq; temulentus in alienа irruit, obtruncatus est, projectusq; in fluvium, cui nomen Alsa est, non longe ab Aquileja. Historia Miscella L.XI.C.17. Constantinus dum mittitur partes junioris fratris invadere, bellum contra eum commouit & dum inconsultius apud Aquilejam prælium aggressus est, à Constantis ducibus interfectus est & in fluvium projectus, cui nomen Alsa est, non longe ab Aquileja, Consulatu Acyndini & Proculi.* Orosius L.VII. c.29. *Constantinus dum, Constantem fratrem bello insectatur, incauta petulantia periculis se offerens, à Ducibus ejus occisus est.* Videmus dissensum in causa belli assignanda huic vel illi. Rufinus L.X.c.16. *Constantino fratre non longe ab Aquileja apud Alsam fluvium à militibus interfecto, Constans utriusq; Germanus occidentem satis industriè gubernabat.* (*Reliqui Scriptores non assentiuntur hic Rufino, quos jam produximus; sed Scriptores Ecclesiastici plerique Constanti sunt æquiores quam Constantino, causa parum perspecta; fortasse Constantino aliquando quippiam patravit, ex quo offensam apud eos contraxit. Cæteri omnes dicunt, Constantem fuisse hominem crudelem.*) His diversa Zosimus tradit, qvod interfecto fratre intolerabili tyrannide omnes sibi subjectos in extrema mala præcipitaverit, donec militibus prætorianis ægrè ferentibus, hominem neglecto imperio nihil aliud qvam ve-

natui

natui invigilantem Augustoduni MAGNENTIUS, qvi Jovianis & Herculeanis militibus præerat, adjutore Marcellino ærarii præfecto Imp. salutatus, Garsonem misit, qvi Constantem apud oppidum Helena nactus, prope Pyrenæum jugum interemit. Joan. Antiochenus in *Excerpt. Peiresc.* p. 838. de utraqve sententia aliqvid sumit; χρόνον τινὰ εὐτύχει τῇ ἡγεμονίᾳ ὀρθῶς (*aliqvamdiu bene administravit imperium*) τὰ δὲ πλούτων ἀνάπτες νοσῶν ἐπιθυμίας καὶ φίλων ὁμιλίας ἀκ ὑγιαινούσας χρώμενος εἰς βαρύποτα κατηνέχθη μηχανήματα. δι' ἃ δὴ φορτικὸς τοῖς τῶν ἐθνῶν ἤθεσι, καὶ ὁ στὸς θυμῷ τοῖς στρατιώταις ἦν. Bellicis tamen laudibus præstitisse subjicit. Respicit, puto, ad victoriam de Francis, Idatio memoratam, & Britannicam expeditionem. Zosimi narrationi de morte Constantis congruit in omnibus Victoris *Epitome* c. 41. *Chronicon Eusebii*, ad A. C. CCCLI. *Magnentio apud Augustodunum arripiente imperium, Constans haud longe ab Hispania anno ætatis suæ tricesimo, imperij sui tertio decimo, in castro, cui Helene nomen est*, (hodie Elna) *interficitur*. Putant qvidam hoc factum A. C. CCCXLIX. melior Chronologia ponit CCCL. Sergio & Nigriano Coss. (*Duplex est modus citandi Chronicon Eusebii, unus ad numeros in margine positos, hicq; observatur in scrupulis Chronologicis, alter ad Annos Christi, quam vis ratio temporis non semper congruat; plerumq; enim vel annus antevertitur vel serius ponitur.*)

III. MAGNENTIUS fratres suos DECENTIUM & DESIDERIUM CÆSARES dixit, sicut ex nummis constat. Hac re comperta VETRANIO (VETERANIONEM Valesius mavult scribere) Pannonicis Exercitibus præfectus, & ipse nomen & insignia imperii capit. Et Fl. POPILIUS NEPOTIANUS, Sorore Constantii Eutropia genitus, Romæ imperium arripit, à Marcellino, qvem Magnentius miserat, paulo post, i. e. XXIIX. die, ut habet *Historia Miscella*, interfectus. Caput ejus pilo per urbem circumlatum est, gravissimæq; proscriptiones & nobiliū cædes fuerunt. *Historiæ Misc.* L. XI. c. 21.

IV. CONSTANTIUS bello Persico fatigabatur, inde ab initio imperii, qvo Sapor Rex Persarum Nisibin obsederat vastata Mesopotamia. Vid. *Chronicon Eusebii* ad A. C. CCCXXXIX. & CCCXLIIX. & de tribus Nisibis obsidionibus Petavius in notis ad Juliani Orationem I. p. 251. & seqq. (Qva in re Petavius memorabilem posuit operam & insignem laudem promeritus est, cum nemo id ante eum tentarit, qvod ipse satis feliciter

feliciter præstitit, de iteratis nimirum Nisibis obsidionibus; nam & apud Zosimum & apud alios omnia sunt confusa.) Sed audita tamen Magnentii & Vetranionis rebellione, adversus hos sumpturus expeditionem, Vetranionem, incallidum hominem, dolo pellicit, atqve ad privatam sortem redigit; in Magnentium cum exercitu ivit, Constituto prius Cæsare Fl. CONSTANTIO GALLO, Constantii Chlori Nepote, seu ut Persicum bellum ei committeret, seu ut occasionem sæviendi in propinqvum reperiret, ut putat Zosimus. Additur pignus amicitiæ, matrimonium Constantiæ Sororis, qvam Gallo despondet. Apud Marsam Pannoniæ oppidum, cum propinqvassent sibi exercitus Constantius primo in insidias protractus, cladem accipit; sed victor Magnentius non satis consilii ad res suas stabiliendas habuit, itaqve tentatis variè pactionibus ingenti prælio iterum ad Marsam debellatus, cum spem resurgendi amisisset, sua manu interiit, cum tribus annis & 6. mensibus imperium raptum tenuisset. (*Vix unquam tantum sanguinis Romani est effusum, qvam in hoc prælio. Motus igitur Constantius & cogitans robur omne exercituum interire, inter ipsum certamen legatos decomponenda pace ad Magnentium misit, sed tantus ardor erat dimicantium, ut nec pausam nox faceret, duobus enim diebus & duabus noctibus prælia tum est, putantque exhaustas esse tum vires militum Romanorum, quibus aliàs externi hostes arcebantur. Fuit hic Constantius infaustus bellator & tum vicisset eruentus.*) Hæc Zosimus fusè. Victoris *Epitome* c. 42. longe aliter, ut & *Historia Miscella* L. XI. c. 22. Chronologiam ex his ordinat Hadrianus Valesius A. C. CCCLI. *Magnentius ad Mursiam acie vincitur à Constantino Augusto*; *Constantius Gallus ab eodem Cæsar creatur*. A. C. CCCLII. *Magnentius ad Longatium vincitur*, *Apud Ticinum vincit*, CCCLIII. *Magnentius victus Lugduni gladio se transfigit. Decentius Cæsar, ejus frater, se suspendit.* Hanc victoriam superbiæ majoris causam Constantio fuisse tradit Zosimus L. II. indeque Galli Cæsaris cædem fraude adulatorum patratam ostendit. Neq; potest negari, mirè præceps ac pravum fuisse ingenium Constantii. Sed nihil melius aut moderatius in Gallo, cujus immanitate & sævitia Constantium denique ad tristiora consilia descendisse, tum cæteri memorant, tum præsertim Ammianus Marcellinus L. 14. fide inprimis dignus scriptor. (*Dici non potest, qvam sit gravis, nisi qvando persvasione Ethonica abripitur.*) Cujus liber indicatus ferè commemorandis vitiis absumitur. Contra hunc & alios consensu eadem tradentes, minimè audiendus est

est Julianus, qvi & ipse fratris vitia negare non potest in Epist. ad S. P. Q. Athen. Sed culpam transferre conatur in educationem Constantii. Adjectas neces amicorum Galli, variamque delatorum opera perpetratam sævitiam exsequitur Ammianus Marcellinus L. XV. â principio ad c. 6. (*Quo loco Ammianus vivis coloribus depingit diritatem delatoriam; non est in tota Antiquitate Græca & Latina auctor, qui hoc æq; describat atq; Tacitus & Marcellinus.*) Qvalibus calumniatorum sceleribus etiam FLAVIUS SYLVANUS, Gallis tuendis impositus, Boniti Franci filius, ad extrema impulsus consilia, purpuram & nomen Imperatoris sumit, sed mox ab Emissariis Constantii interimitur; v. Ammianus Marcellinus L. XV. â c. 8. usq; ad 15. Rursus hæc nova occasio sæviendi Constantio fuit, sicut describitur in seq. c. 16. usq; ad cap. 19. Victoris Epitome c. 42. *Sylvanus Imp. effectus die Imperii XXIIX. perimitur.* Annus est Christi CCCLV. Arbesione & Lolliano Coss. Qvo eodem Julianus Cæsar fit, Constantius enim post necem Galli è Pannonia profectus in Italiam, cum reputaret, Romanum Imperium ad Rhenum qvidem Francis, Alemannis, Saxonibus lacerari, apud Pannoniam & Mysiam Qvados & Sarmatas grassari, neq; in oriente â Persarum armis reqviem dari, vix audebat tamen consortem imperii adscisceré, ambitione & suspicione anxius. Æstuantem Eusebia conjux, singularis exempli, multæ eruditionis & virtutum fœmina, aggressa est, ut Fl. Claud. Julianum, Galli Cæsaris fratrem, rebus transalpinis imponeret, fluxis deditum studiis, neq; ingenio acrem, cujus vel prospera Constantio tribuerentur sine controversia, vel adversa ipsi in exitium verterent. Ita Athenis evocatus nomen Cæsaris & Helenam Constantii uxorem in matrimonium accipit, non item Imperium nationum trans Alpes, qvod primum Marcello & Salustio mandatum, ita ut Julianus nihil præter nomen illuc afferret, donec annitente Eusebia rebus ipsis gerendis est præfectus. Factum hoc ait Zosimus (ex cujus libri III. principio hactenus ista petuntur) Qvadis & Sarmatis coercitis, cum ad Persicum bellum Constantius rediret. Ammianus consilium de Juliano Cæsare eligendo ab adulatoribus aulicis impugnatum, sed â Regina propugnatum & ad exitum perductum, commemorat, tum Constantii Orationem ad milites; ipsumque Julianum, injectam purpuram, consummatum matrimonium & paratam profectionem describit L. XV. c. 19. 20. 21. 22. *Historia* autem *Miscella* L. XI. c. 24. 25. 26. Juliani originem & educationem ac studia hâc occasione susceptæ dignitatis Cæsareæ describit. Zosimus L. III. edit. Sylburg. p. 703. unde historia ejus petenda sit, declarat. Nominat enim συγγραφέας χριστῶν πολυτίμους βίβλους,

βίβλους, tum ipsius Juliani λόγους καὶ ἐπιστολὰς plenam habere rerum gestarum expositionem autumat. Ipse pauca & ab aliis prætermissa ferè pollicetur. Hoc loco Zosimi adductus Martinius Morentinus Navarrus, ex ipsius Juliani Scriptis, tum Ammiano Marcellino, vitam Juliani composuit, qvæ præmissa est editioni Julianæ Petavianæ, antea seorsim edita. v. Libanii scripta tom. II. præsertim. His nos inprimis decet addere præter Historicos Ecclesiasticos, Gregorii Nazianzeni λόγους στηλιτευτικοὺς seu *invectivas in Julianum*, qvæ sunt Orat. 3. & 4. (*Neq; dubitandum est de auctoritate & fide Viri gravissimi & ab omni mendacio alienissimi, qui omnia de Juliano habuit cognitissima, cujus etiam lineamenta, mores, ingenium Athenis fuerat antea contemplatus, adeoq; omnem curam intendit, ut ingenium hominis, in quo nihil sinceri fuit, quippe artifice dissimulandi peritissimo, penitus pernosceret.*) Atque ita apparebit, Petrum Cunæum in præfatione Satyris præmissa, nihil habuisse causæ, cur Christianos calumniæ nomine infamaret atque Julianum nimiis laudibus efferret, Dionysium autem Petavium meritò se ei opposuisse, præfatione operibus Juliani præmissa. Sicut enim ingenii & doctrinæ plenam laudem ei nemo derogaverit, ita in cæteris ultra merita non est evehendus. Militarem qvoqve gloriam non ademeris ei, qvamvis dubiam ipsi hic palmam faciat doctissimus Rupertus *observat. ad Hist. Univers. p.* 437. (*Dixerim tamen potius, maximos quoq; etiam Duces interdum errasse.*) Cæterum Constantio in Persas profecto, JULIANUS apud Celtas militarem disciplinam ante omnia correxit & restituit. Qvæ autem in partibus Gallicis atque Germanicis gesserit, posteà in rebus EXTERNIS attingemus. Constantius interea *obeliscum* ex Ægypto translatum Romæ erigit curiosius describente Ammiano L. XVII. c. 6. 7. 8. 9. Tum Sapor Persarum Rex superbas literas ad Constantium scribens (intellexerat enim ex Ducibus Constantii ipsum pacis cupidum esse) Mesopotamiam & Armeniam reposcit; qvam conditionem pacis licet repudiarit Constantius, legati tamen missi, qui arte morarentur Saporis apparatum. Ammianus L. XVII. c. 10. 11. 12. Subinde Sarmatas & Qvados tumultuantes apud Pannonias Mosiasque Constantius devincit, memorante Ammiano l. 17. c. 13. & seq. usq; ad finem libri. Hinc SARMATICI cognomen (cap. 24.) sed Persarum bellum recruduit, frustra iterum pace tentata, describente Ammiano L. XIIX Hinc SARMATICI cognomen C. 32 secundo delatum & triumphalis pompa C. 34. sed persarum bellum recanduit, frustra iterum pace tentata. Describit illud Ammianus L. XIIX. Tum obsessa & excisa Amida urbs, cui obsidioni Ammianus interfuit, eamque describit

scribit L.XIX. ferè toto. (*Hæc obsidio est inter celeberrimas, quæ orbe toto acciderunt, tum quod obsessi acerrimè resisterent, tum obsidentes vehementissime eam oppugnarent.*) Bezabde subinde capta, qvàm frustra recuperare Constantius nitebatur; (Ammianus L.XX.c.15. & seqv.) ærumnosam perpessus ætatem & atrocem diuqve deflendam: *Evenerat enim hoc quasi fatali constellatione*, (sunt verba Ammiani L.XX c.34.) *ita regente diversos eventus, ut ipsum Constantium dimicantem cum Persis fortuna semper sequeretur afflictior. Unde vincere saltem per duces optabat, quod aliqvoties meminimus contigisse.* Ad hoc bellum Persicum gerendum quasdam copias â Juliano acciverat Constantius, eam rem obtentui sumpsit Julianus, successibus Francicis jam inflatus, ut AUGUSTUM se Parisiis, ubi hiemabat, militari conspiratione appellari pateretur, in animū induxit A.C.CCCLX. Simulavit & metum â Constantio, ut magis concupisceret; cumque per legatos Constantio, ut ratum haberet, frustra persvadere tentasset, aperta rebellione adversus ipsum accingitur, (*Hæc series rerum; V. Zonaras T. III. pag. edit. Wolff.* 18, *Ammianus L.XX. â c.5. usq; ad c.13. & L.XXI. â principio usq; ad caput XI.*) & expeditionem sumit, literis in Constantium apud Senatum invehitur, Ammianus c.14. seqq. Constantius bellum contra Julianum prævertendum ratus, in principio expeditionis exstingvitur Mopsucrenis, A.C. CCCLXI. Imperii vitæqve qvadragesimo & mensibus paucis. Ammianus L.XXI. C.29. qvi & seqventibus capitibus usqve ad finem libri Constantium describit, enumeratis bonis malisque, ratione regiminis, habitu corporis &c. (*Hoc unum est præcipuum in Ammiano, qvod adeò curiosè vitas Principum describit, eorumq; elogia, sumendo vocabulum ex usu antiquo, non hodierno, quod non est laudatio solum, sed totius vitæ virtutum & vitiorum descriptio, qvam prolixè adeò offert, ut nullus historicorum id prolixius & sæpius faciat.*) addatur Zonaras T. III. p. 19. & 20.

V. JULIANUS jam solus imperio potitus, Principatum novum ordinat, correctis plerisq;, qvorum infamia aula Constantii invidia flagrabat, qvod exponit Ammianus L.XXII. parte priori. Inde seqventi parte apparatus expeditionis Persicæ describitur, ut & partim L.XXIII, ubi & iter exercitus, abunde Zosimo descriptum L.III. Res autem ea expeditione gestæ L.XXIV. memorantur; vulnus ejus & mors L.XXV. C 9.10.11. Incidit mors illa in A.C. CCCLXIII. *Ipso Juliano IV. & Sallustio Coss.* cum *Cæsar* fuisset VI. annis *Augustus II.* seu potius $1\frac{1}{2}$ & uno mense, ac vixisset Ann. XXXI. Vulneris incertus auctor, qvod & divinitus illatum crediderunt; ipse certe profluentem san-

sanguinem manu exceptum in aërem sparsisse fertur, cum dicto: κεκράτηκας Ναζωραῖε; v. Zonaras T. III. p. 23. Socrates mortem ejus refert L. III. c. 21. (*Qui modeste & egregiè, ut interdum solet, judicat ita, à quocunq; vulnus illud fuerit, certum esse, quod manus à Deo fuerit directa.*) Theodoreti narratio eximia est L. III. c. 25. Ubi & illud infame dictum κατέκτηκας γαλιλαῖε. (*Ita Christum blasphemo ore vocabat, sicut & Christianos GALILÆOS, quos, si bellum Persicum feliciter perfecisset, aggressurus fuerat, ut sæpè inter suos referebat.*) Leonclavius quidem nimis honorificè sentit de Juliano in *apologetico* pro Zosimo, sed ut appareat, nihil finceri fuisse in ejus virtutibus, adducam testimonia ipsorum Ethnicorum, imprimis Marcellini, qui alias magnus ejus fautor est. Et Ammianus quidem Ursuli cædem à Juliano factam, *impurgabile crimen* vocat L. XXII. C. 4.; insidias & propositum ferendæ inter Christianos discordiæ notat L. XXII C. 7.; *per ostentationem intempestivam nimis captator inanis gloriæ vocatur* L. XXII. C. 9.; *prosperis elatior* describitur, *qui ultra homines jam spiraverit L. XXII. C. 21*; in jure dicendo illud amarum & notabile refertur, quod *ægrè sub eo à Curialibus quisquam appetitus, æquum obtinuerit* L. XXII. C. 23. *illud autem inclemens* (iterum verba Ammiani) *obruendum perpetuo silentio, quod arcebat docere Magistros, Rhetoricos & Grammaticos, ritus Christiani cultores*; (*Sunt inter Christianos, qui putant edictum eo pertinuisse, ne quis ex Christianis esset Doctor, & fateor hoc ipsum apud Julianum legi, sed si hoc tantum fuisset, Ammianus non adeò exclamasset: verùm edictum volebat, ne Christiani disciplinâ admitterentur, quod aptissime habemus ex Ammiano, æquali horum temporum & qui Juliani aliàs maximus est laudator.*) Et præcesserat de Jurisdictione: *quod quædam suo ageret, non legum arbitrio, erratisque aliquos eos obnubilaret, gloriarum multiplices cursus* L. *XXII.* C. 26. *Augebantur & cæremoniarum ritus immodice, cum impensarum magnitudine antehac inusitata & gravi*, & quæ sequuntur L. XXII. C. 30. *Hierosolymitanum templum instaurare sumptibus cogitabat immodicis, sed metuendi globi flammarum, crebris assultibus irrumpentes, fecere locum aliquoties exustis operantibus inaccessum* L. XXIII. C. I. v. Zonaras T. III. p. 22. Quomodo homo superstitionibus divinatoriis & Magiæ deditus delusus sit, exsequitur L. XXIII. C. 12. 13. Quam temerè classem, cum non oporteret, abolerit incendio, dissuadentibus omnibus, exponit L. XXIV. c. 25. & 26. Repetit quædam de his, vbi vitia exequitur L. XXV. C. 15. Ubi & *levius ingenium, linguam fusiorem & rarò silentem* ei tribuit; *Superstitiosum magis* (propter Magiam)

Magiam) *quam sacrorum legitimum observatorem* notans; *vulgi plausibus latum, laudum etiam ex minimis rebus intemperantem appetitorem.* Zosimus uti res gestas fusius exsequitur, ita cætera passim perstringit. Ex Ammiano autem plura attuli, ut vel Ethnici hominis testimonio constaret, non sinceras fuisse, qvæ in eo jactantur, laudes, & possunt hæc certè Christianos, ejus laudatores nimios, pudefacere. Vide omnino etiam Ruperto notata, & Socratem L.III.c.22. De propositis consiliis, molitionibusque ejus adversus Christianos, infra agetur.

VI. Deliberatum hinc, rebus in arcto positis, de Imperatore, electusque communi suffragio FLAVIUS JOVIANUS, Varroni, domesticorum Comitis, filius, Christianæ Religioni addictus, & ob id Juliano invisus qvem & cingulum ponere jussit, postea tamen apud numeros retinuit, quia ejus opera in bello multum utebatur. Socrates L.III.c.22. Hic pacem fecit, quam tota digressione funestam ostendit Zosimus L.III. & Ammianus Marcellinus L.XXV.c.24.& 31. qui tamen cum Zosimo fatetur, ex omni latere circumfusos hostes, L.XXV.C.27. itemque obstinationem Persarum c.21. qui diuturnis motibus Romanos excruciaverint, flagitante exercitu immodestè, dari sibi copiam transeundi Tigridis. Et considerentur præsertim illa C.22. & 23. *Hæc inter cum nec pons compaginari undæ torrentes, & absumptis omnibus, qvæ mandi poterant, utilibus, exacto miserabiliter biduo furebat inedia iracundi percitus miles, ferro properans, quam fame, ignaviſſimo mortis genere absumi. Erat tamen pro nobis æternum Dei cœlestis numen &c.* Subjicit quidem errorem Joviani, IV. diebus morantis pacificationis causa, sed qui facile excusari potest, (*imprimis ob momenta, quæ modo ex ipso Ammiano sunt allata.*) ut verum maneat & rectum judicium Socratis, omnem rei malè gestæ culpam in Julianum referentis (*qui naves exussérat, ut per aqvam magni illius fluvii trajici non possent*) & de pace ita pronunciatis L.III. C.22. ἀγαν δ' ἦκαι δὲ, ὡς μὲν τὴν δόξαν ῥωμαίων ἦσαν ἀπρεπεῖς, ὡς δὲ τὴν καιρὸν ἀναγκαῖαι. Qvod enim Ammianus, L.XXV.C.31. putat, in extremis casibus, *ista cum dedecore facta fœdera, postquam partes verbis juravere conceptis, repetitione bellorum illico dissoluta,* id valde φορτικὸν & gentili quam Christiano homine dignius est. Licuerit hoc Ammiano, qvod non licuit Joviano, qvi Christianæ religionis more juris jurandi sanctitatem metiebatur. (*Tradiderat Jovianus inter alias urbes & castella Persis etiam Nisibin, quo cum pervenisset, cives egressi rogarunt Imperatorem, ne ipsos in potestatem Persarum daret, propriis viribus sese urbem defensuros,*

eum autem id recusasse memorant, obtenta pactione jure jurando firmata.) Qvomodo res firmando Imperio composuerit Jovianus, legas licet apud Ammianum L. XXV. C. 27. & seqq. Qvanqvam Zosimus dicat: *octo mensium spatio tantum tenenti imperium, integrum non fuisse, in Republicâ aliquid, ut opus fuit, constituere*; διαθῆναι δὲ τῶν κοινῶν πραγμάτων ἐς ἕδιον δυνηθέντα. L. III. extremo Idem, qvi à vituperatione ejus magis abstinet Ammiano, cui scilicet placere non potuit, qui Juliano fuisset invisus; ad extremum tamen, cum repentina morte apud Daduſtanam A. C. CCCLXIV. *Joviano Augusto & Varroniano Nobilissimo Coss.* extinctum refert, laudes ejus detractat, adeoqve iis contradicit, qvæ Johannes Antiochenus (*homo exigui judicii, qui omnia promiscuè, in qvæ incidit, describit.*) nescio unde, incautissimè descripsit in *Excerptis Peresc.* p. 845. ubi & illud falso refertur, eum redeuntem ex hostico Nisibin ingressum, qvod factum esse negant Ammianus & Zosimus. Adde *Historiam Miscellam* L. XI. c. ultimo. Præter Ammianum ex recentioribus imperitiam & ignaviam Joviani flagellat Levenclavius, per quam res Romana periisset; adduxi igitur hæc ex Zosimo præsertim, ut rursum in pudorem darentur Christiani, qvando Ethnici ea afferunt, qvæ pro excusando Joviano faciunt. Zosimus deplorat infelicitatem eorum temporum & dicit quidem, nullam turpiorem pacem unqvam factam esse, multis exemplis adductis, culpam autem in Jovianum plane non confert, ut omninò cœcus sit Levenclavius, qui ipso Zosimo durior & inclementior est in ea re, qva ad defensionem Zosimi non indiguisset.

VII. Exercitus mortuo Joviano Nicæam profectus, post interregnum X. dierum, cum Sallustius Præt. Præfectus & sibi & filio delatum imperium recusasset, elegit FLAVIUM VALENTINIANUM, Cibalis Pannoniæ oppido, oriundum, qui annos imperavit XII. minus diebus C. ut habet Victoris *Epitome* c. 45. *Historia Miscella* L. XII. c. 8. anno imperii XI. dicit obiisse; Zosimus L. IV. duodecimum annum attigisse; Zonaras XI. annos ei tribuit; Socrates L. IV. c. 31. δεκατρί ἔτη. Incidit mors ejus in A. C. CCCLXXV. post Consulatum Gratiani tertium, & Equitii. Res ejus hac serie à Zosimo. L. IV: narrantur: *consortem imperii ascivit Fratrem* VALENTEM; *constituuntur & mutantur imperia*; (*h. e. Duces militares, à Juliano præfecti, Christianis invisi.*) *& Magistratus. Valenti oriens ad Ægyptum usq;, Bithyniæ ac Thraciæ permittuntur*; *Valentinianus sortitur Illyricum, Italiam, Transalpinas nationes, Hispaniam, Britanniam, Africam. Legibus & moribus consuluit Reipubl. Valentinianus. Adversus Germanos tumultuantes fortiter remgerit. Gratianum filium Aug. creat & consortem imperii assumit.*

assumit A.C. CCCLXVII. *Lupicino & Jovino Coss. In Africa rebellat* FIRMUS *& Imperatorium nomen sumit, adversus quem missæ ex Pannonia & Mœsia copiæ, occasionem patefaciunt Sarmatis & Quadis, invadendæ provincias. Sed in Mœsia quidem à Theodosio postea Imperatore fortiter repulsi sunt. In Pannoniam ipse Valentinianus contendit, ibiq; fluxu sanguinis repentino exanimatur.* Uberius omnia Ammianus exsequitur libris XXVI.—XXX. Conferr Johannem Antiochenum in *Excerptis Peirese. p. 846.*

IIX. Longius aberat Gratianus & Valens, igitur Merobaudes & Equitius Duces Exercitus Fl. VALENTINIANUM, *Valentiniani Imperatoris filium, natu minorem,* (ita Zosimus) purpura Imperatoria ornant, eique Italiam, Illyrios, Africam attribuunt; Gratiano autem assignantur Celticæ nationes & Hispania ac Britannia. vid. Rupertum p. 448, qui hunc Valentinianum à Valentiniano fratre natu majore & alio Valentiniano Consule diligenter distinguit. (*Et in eo memorabile diligentiæ suæ specimen edidit solus Henricus Valesius, qui primus Valentinianos tres distinxit in doctissimis ad Ammianum notis, & ex eo Rupertus.*) Quadrimus fuit, cum Imperator fieret, imperavitque cum Valente & Gratiano primum, inde cum Theodosio & Arcadio XVI. annos & menses fere 6.; occisus apud Viennam perfidia Arbogastis A.C. CCCXCIII. *Arcadio II. & Ruffino Coss.* Patri dissimilis & Arianorum fautor. (*Unde etiam Duces ei subvenire noluerunt, dicentes, se eum nolle defendere, qui à vera & paterna religione defecerit.*)

IX. VALENTEM quoque bella Persica & Scythica, tum aliæ turbæ ac rebelliones exercuerunt undique & ad extremum oppresserunt. Insurrexit contra eum PROCOPIUS & postea MARCELLUS; ille intra IIX. mensem arreptæ Tyrannidis oppressus, hic mox circumventus. v. Ammianus Marcellinus L. XXVI. Zosimus L. IV. Sævus in Christianos, qvibus Arianorum sævitiam immittebat, sicut infra dicetur. Mortem & elogium ejus habes, cum A.C. CCCLXXVII. imperasset annos XIII. apud Ammianum L. XXXI. c. 38. & seqq. cujus historia hic finitur. Adde Petavium in *Rationario Temporum* P. I. L. VI. c. 6. & *Historiam Miscellam* L. XII. à c. 10. usq; ad c. 18.

X. Valente mortuo, Gratianus Fl. THEODOSIUM, (postea cognomento MAGNI honoratum) patre Theodosio Hispano, fortissimo Viro, (de quo Pacatus *Panegyrico* XII. C. 5.) à Valente interfecto, genitum, ex Hispania accitum, in consortium Imperii adscivit apud Syrmium, Gothis tum maximè Thraciam & alia loca Rom. Imperii vastantibus. Factum hoc A.C. CCCLXXIX. *Ausonio & Olybrio Coss. v.* Victoris Epitome c. 47. ubi

cap.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn746330790/phys_0187
DFG

cap. seq. 48. Theodosium hunc magnum cum minore confundit & sic tamen etiam errat circa parentes. Meruerat hoc Theodosius, cum Magister equitum creatus, illustrem de Alanis, Hunnis, Gothis victoriam reportavit, magnificè celebratam in *Historia Miscella* L. XII. c. 19. & 20. Præmium, ut dixi, Imperatoria dignitas fuit & triumphus Constantinopoli actus, secutaque cum Athanarico Gothorum Rege pax, quem Capoli magnificè Theodosius sepelivit, & Pax Parthica, c. 21. & 22.

XI. Subinde Fl. MAGNUS MAXIMUS BRITANNUS, ab exercitu Imperator factus, in Galliam transit; at vero Gratianus, dum exercitum negligeret & paucos ex Alanis, quos ingenti auro ad se transtulerat, veteri ac Romano militi anteferret, adeoqve barbarorum comitatu ac prope amicitia captus esset, unde nonnunqvam eodem habitu iter faceret, odia contra se militum concitavit. MAXIMUS igitur ab infensis Gratiano militibus ac legionibus exceptus, eundem subita incursione perterritum atqve in Italiam transire cupientem, dolis circumventum interemit, manu Andragathii cujusdam, v. *Historia Miscella* L. XII. c. 13. Ubi & elogium ejus c. 24. ex Victore potissimum descriptum. Factum hoc A. C. CCCXXCIII. *Merobaude* iterum & *Saturnino Coss.* Princeps bonus qvidem, sed imperii negligens fuit, qvæ illi exitii causa. Maximus victor Procopii, Valentinianum Jun. Augustum cum matre Justina Italiâ expulit. Qvi per Illyricum Constantinopolin tendens â Theodosio benignè excipitur & mox vindicatur. Theodosius enim utriusq; fratris & occisi & expulsi ultor, bellum adversus Maximum suscepit, qvem Aqvilejæ conclusum & subinde deditum interfecit, una cum filio Victore. Andragathus voluntaria morte periit A. C. CCCXXCIIX. *Theodosio August. II. & Cyngio Coss.* v. *Historia Miscella L. XIII.* C. 1. Ita Valentinianus in imperium restitutus est. Addatur Orosius L. VII. c. 34. & 35. Non caruit tamen conspiratoribus deinde. Facta enim pace cum Francorum Regibus, Marcomene & Simmone A. C. CCCLXXXIX. Eugenius qvidam ex Grammatico ἀνὴρ γραμματικὸς Imperator, adjutore Arbogaste, homine Gallo, cujus opera Victor maximè occisus erat, Valentinianum Jmperatorem apud Viennam Galliæ interemit A. C. CCCXCII. Corruptis enim Eunuchis dormientem suffocarunt atq; ut voluntariam sibi conscivisse putaretur mortem; laqveo suspenderunt. Qvo exstincto Arbogastes Tyrannum creavit Eugenium, eligens hominem, cui titulum Jmperatoris imponeret, ipse acturus imperium: *Vir barbaro animo, consilio, manu, audacia potentiâq; nimia*, ut ait *Historia Miscella* L. XIII. c. 11. Imperator ergo Theodosius bellum

necessa-

necessarium movens, filium natu minorem HONORIUM *Augustum* appellat, *suo tertio & Abundantij Consulatu* in Oriente A.C. CCCXCIII. Nam ARCADIUM, majorem natu filium, decimo ante anno A.C. CCCXXCIII. *Augustum* creaverat. Adversus ingentes Eugenii copias progresso Imperatori Theodosio primum ad victoriam auspicium fuit Arbesionis Comitis transfugium, qvi ex insidiatore auxiliator factus, signa ad Theodosium transtulit; secutum est acre prælium, in qvo Bacarii Magistri militum virtus magni fuit. Jnprimis autem divina manus exitum Tyrannis, victoriam Theodosio dedit, A. C. CCCXCIV. *Arcadio Augusto III. Honor. Aug. II. Coss.* vento etiam hostibus vehementissimo immisso. Victus Eugenius interficitur. Arbogastes auctor mali, duobus se gladiis transverberat; Orosius L. VII. c. 35. *Historia Miscella* L. XIII. c. 12. 13. 14. 15. Claudianus qvoqve prædicat hanc victoriam *in tertio Consulatu Honorii*, ubi præsertim illa:

Te propter gelidus Aquilo de monte procellis
Obruit adversas acies, revolutaq; tela
Vertit in auctores & turbine reppulit hastas.
O nimium dilecte Deo, cui fundit ab antris
Æolus armatas hiemes, cui militat æther
Et conjurati veniunt ad classica venti.

(*Quos versus etiam citat Historia Miscella, sed non integros, omissis Diis gentilibus.*) Inseqvente anno CCCXCV. *Olybrio & Probino Coss.* mortuus est Theodosius Magnus, Jmperii XVII. vitæ L. cum Honorium filium prius in Italiam evocasset & in occidente imperare jussisset, Arcadio Orientem regente. Elogium ejus memorabile exstat in *Historia Miscella* L. XIII. c. 16. 17. 18. partim ex Victoris *Epitome* descriptum, qvæ hic finitur. Addatur, Symmachus L. II. Ep. 13. Themistius Orat. 5. Ambrosius in funere Theodosii; Zosimus ex affectu iniqvior est, nec tamen laudes ejus dissimulat.

XII. Horum Imperatorum vita in seqvens seculum excurrit, obiit enim ARCADIUS A. C. CCCCIIX. *Basso & Philippo Coss.* HONORIUS A. C. CCCCXXIII. *Mariniano & Asclepiadoto Coss.* Valde inqvietum fuit horum imperium, magnisq; mutationibus insigne, sed afferemus nunc tantum, qvæ hujus seculi sunt. Regebat RUFFINUS & provisu & instituto Theodosii, filiorum ætati consulentis, aulam Orientalem, STILICO Occidentalem, penes hos arbitria rerum, qvæ in dominationem impotentem versa, describit Zosimus L. V. in principio. (*Nemo est, qui tam accurate ob oculos posuerit, quam uterq; superbe & avare segesserit, Rufinum quidem omnia vitia dehonestabant, Stiliconem ambitio tantum in transversum rapiebat, virum alioqui strenuum.*) Indeq; Ruffini exitus, sceleribus dignus, struente Stilicone, agente Gaina describitur, tempore nusquam satis annotato, nisi qvod ex Marcelli *Chronico* in A. C. CCCXCV. refert Baronius. (*In illo autem Chronico anni tantum per indictionem numerantur, nulla certa temporis nota adjecta, ut putem Baronium fragili fundamento niti; non enim se-*

quitur: Ruffinus occisus est indictione A.C.CCCXCV. *Ergo primo ejus indictionis anno. Sed nec Zosimus notavit, qui in annis annotandis indiligentior est. Dolendum sanè neminem id observasse, forte tamen ultra annum Ruffini dominatus non duravit.*) *Historia Miscella* L.XIII.c.19. etiam negligentior est, ac tribus verbis tantum defungitur, cum narrasset orientali aulæ præfectum, addens: *qui ab exercitu interfectus est.* (*Est hic Ruffinus exemplum alicujus Sejani, qui nihil reliquit ad summam malitiam, donec sibi exitium arcesseret.*) In Ruffinum hunc extant duo libri Claudiani Poëtæ, facundissimè scripti. Idem qvi in Eutropium Spadonem duobus libris stylum strinxit. Magnum is aulæ orientalis & importunum malum, inimicitiâ Gainæ fortissimi militis exitio traditus est, prolixè referente Zosimo L.V. Cædem ejus refert Baronius in A.C.CCCXCIX. & in seqventem annum CCCC. i.e. seculi ultimum, exitium Gainæ, cujus historiam solus Zosimus L.V. accuratè exseqvitur. Præcesserat autem bellum Gildonicum, cui A.C.CCCXCIIX. assignant; describit sedulo Zosimus L.V. Oros. L.VII. c.36. Claudianus peculiari libello; *Historia Miscella* L.XIII. c.22. Hactenus seculum Qvartum, cætera in seqvens seculum servantur.

XIII. Νομοθεσία jam seqvitur. *LEGES HORUM IMPERATORUM* in Codd; reliqvæ possunt videri in indicibus Labbitii & aliorum. De LEGIBUS CONSTANTINI M. ECCLESIASTICIS ET CIVILIBUS *commentariorum* libros duos edidit Franc. Balduinus JCtus, (*Liber est memorabilis & propriè huc pertinet.*) qvos recudi curavit magnus qvondam JCtus Johan. Clutenius A.M.DC.XII. JULIANI LEX DE MEDICIS, qva liberantur βυλευτικῆς λειτουργήμασι, exstat in Epistola ejus post XXV.p.154.& 155. EDICTUM AD ALEXANDRINOS, qvo Athanasius urbe excedere jubetur, Ep.26. aliud ad EDESSENOS, ubi & aliarum legum mentio, Ep.43. EDICTUM AD ALEXANDRINOS, qvo jubetur Athanasius Ægypto excedere, Epist.51. Aliud ad BOSTRENOS de seditione non movenda, ubi etiam mentio legum, qvæ Christianis permittebant Religionis libertatem Ep.52. De STIPENDIIS PUERORUM MUSICÆ DEDITORUM, ad Ecdicium Epist.56. GRATIANUS apud Socratem *Hist. Eccl. L.V. c.2.* νόμῳ τι ἐθέσπισε, μετὰ ἀδείας ἑκάστης τῶν θρησκειῶν ἀδιορίστως ἐν τοῖς εὐκτηρίοις συνάγεσθαι, μόνας δὲ τῶν ἐκκλησιῶν εἴργειν εὐνομιανὰς, φωτινιανὰς καὶ μανιχαίους. THEODOSII lex de PSTRINIS MANCIPUM TOLLENDIS describitur apud Socratem L.V.C.18. ut & altera de non ferendis τοῖς σύρροις i.e. πορνείοις, quibus adulteræ concludebantur. (*Antiqua hæc fraus fuit ergastulorum, ut viatores*

in

in illa abriperentur, unde Augustus dudum illa purgare voluit. Judicium hujus nequitiæ à milite factum aperitur ibidem.) Inde descripsit *Historia Miscella* L. XIII. C. 2. HONORIUS LUDOS GLADIATORIOS SUSTULIT (*cum populus Monachum Terlemachium occidisset*) apud Joannem Antiochenum in *Excerptis* Peiresc. p. 849. Refertur ex Eusebio lex Eutropio suggerente lata, UT ALTARIBUS ABRIPERE LICERET, qvi in Ecclesias tanquam Asyla confugerant. (*Is autem ipse postmodum mira fatorum dispositione ex lege, cujus auctor & consultor fuit, ab altari fuit evulsus & necatus, quod quidem factum Christianis non placuit, qui putarunt, hanc omnino religionem deberi templis, ut de illis refert Zosimus.*)

IV. SECULI
III. EXTERNA.

I. INcipiemus ab EUROPÆIS. Anno Seculi hujus sexto *Constantio VI. & Maximiano VI. Coss.* per absentiam Constantii Augusti ASCHANIUS ET REGAISUS FRANCORUM REGES Galliam vastarunt; A *Constantino* M. qui patri successerat, domiti, eodem anno capti & Augustæ Trevirorum inter ludos bestiis objecti. De qua victoria videndus Eumenius potissimum *panegyrico* IX. c. 10. & 11. & Nazarius in *Panegyrico* VII. C. 16. Irrupit postea in proximas Rheno provincias; & iterum in Galliam irruentes Germanos Francosque repulit, antequam bellum Maxentio inferret. A. C. CCCXIII renovantibus bellum Francis, eædem rerum vices, eademque in victos severitas. *Paneg.* VI c. 21, 22, 23, 24. Hinc GERMANICI & FRANCICI cognomen partum. Alia expeditio *Crispi* Cæsaris in A.C. CCCXX. incidit; *Panegyr.* Nazar. VII c. 7. Ejusdem Crispi novus in Francos apparatus ex Optatiani Porphyrii *Panegyrico* ostenditur apud Adrianum Valesium L. I. C. 27 *de gestis Vet. Franc.* A.C. CCCXLI. Franci Rhenum transgressi, cum Constantio varia fortuna certarunt, in Gallia hiemarunt, nec ferro, sed auro ut paciscerentur, adacti sunt, sicut idem Valesius ostendit & Libanii adulationem exagitat. Interpositis deinde, qvæ ad *Magnentium & Sylvanum* pertinent, *Juliani* res gestas & prælium adversus Alemannos apud Argentoratum commissum A. C. CCCLVII. exsequitur; (*Dicitur Ammiano & Hieronymo etiam* ARGENTORATUS, ARGENTINÆ *autem vox recentior est*) Qvod *Argentoratensem pugnam* vocat Ammianus Marcellinus L. XVII. c. 11. descriptum L. XVI. à cap. 22. Eusebius ad A.C. CCCLIV. Aurelius Victor in *Epitome* c. 43. de Juliano: *Iste in campis Argentoratensibus apud Gallias cum paucis militibus infinitas hostium copias delevit.* Zosimus hostium 60000 cæsa ait; at Ammianus L. XVI. C. 34. *ex Alemannis sex millia corporum numerata suns in campo prostrata*

& inæstimabiles morituorum acervi per undas fluminis ferebantur. Sequuntur res adversus alias Germanorum nationes, tum â Juliano, tum ab aliis gestæ, qva occasione ad A.C.CCCLXX. prolixa & memorabilis ac incomparabilis diligentiæ digressio de *nomine Burgundiorum* ab eodem Hadr. Valesio instituitur. In fine libri primi negatur Francos Romanis armis domari potuisse, sicut & procœmio Libri II. virtutem eorum magnificè & Oratoris in modum (*Sæpe enim nomen Oratoris & Historici misceo*) idem exsequitur. Subjiciuntur *Mellobaudi* & *Ricomeri* Illustrium virorum patrata, tum nomen GERMANICI, ALEMANNICI, FRANCICI, GOTHICI, Gratiano parentum. *Bautonis* spectata virtus. Clades inde Romanorum sub duce Qvintino accepta, refertur ad A.C.CCCXXCIIX. Hinc *Arbogastis* res & exitus, contexta diligenter historia. Unde ad successionem Regum Francicorum translato sermone liber secundus & hoc seculum clauditur. (*Qvoniam igitur hic Valesius diligentia sua, qva omnia scrutatus est & collegit, satisfecit curioso lectori, non opus est, ut â nobis aliquid addatur, vel historia amplificetur.*)

II. SAXONES Piraticæ deditos à *Valentiniano* Jmp. victos, ut & à *Theodosio* ostendit Georgius Fabricius *Orig. Saxonicarum* L. 1. Ex Orosio *Historia Miscella*, Ambrosio & aliis, qvibus addere debuisset Ammianum Marcellinum L. 31. conf. etiam Th. Rivii *Hist. naval.*

III. Britannia (*fertilem Tyrannorum provinciam Hieronymus vocat, quod elogium hoc præsertim seculo verissimum est.*) *Maximum* Tyrannum edidit, multisqve turbis hoc Seculo exercita est. Annotat etiam Henricus Hundindonensis inter Historicos Anglos L. 1. Histor. p. 307. Brittones vero, qvos Maximus secum adduxerat, in Gallia Armorica usqve hodie remanserunt, unde etiam *Brittones Armorici* vocantur; â qvibus spoliata emarcuit Britannia. Sed de origine horum Brittonum seculo insequenti amplius agetur.

IV. GOTHORUM res, ad hoc seculum pertinentes, Isidorus in *Chronico* consignavit: expeditionem in SARMATAS & *Constantini* victoriam, ATHANARICI persecutionem in Christianos, hujus cum FRIDIGENNO discordiam & expulsionem è regno factam ab Unnis; Victoriam Gothorum de Valente, Athanarici cum Theodosio amicitiam, *Alarici* initia; qvi finis amicitiæ cum Romanis, habentur apud Ammianum L. XXXI. Addendus est Jornandes (*quem edidit Lindenbrogius, qui præclarè meritus est de Scriptoribus quibusdam, ut ille appellat, Septentrionalibus.*) in *Gothicis* c. 25. 26. 27. 29. De VESEGOTHIS Historia Miscella L. XII. c. 12. Non omittenda est, qvam Ammianus instituit, digressio de Gallia L. XV. c. 23. usque

usqve ad 30. (*Mirum non debet alicui videri, cur hanc digressionem ad res externas referamus; nam non æstimanda est, sicut aliorum scriptorum digressiones, quippe qua non est alia illustrior descriptio Galliarum, unde hodie eandem cum Plinij, Taciti, Strabonis, Cæsaris descriptione conferre solent; cum enim in Geographia id quamplurimum interfit, ut mutationes regionum & nationum intelligantur, id ex Ammiano abunde discere licet, nec quisquam est Græcorum & Latinorum, qui tam plene, accurate & curiose fecerit, dum historiam Gallicam ad sua tempora ferè finxit incepit. Sic Curtius in toto suo opere de regionbus & nationibus Orientalibus non tantum, quantum Ammianus in unica digressione, de quamox dicetur.*) Eodem Orientem studio curiosius describit L. XIV. c. 25. usqve ad c. 28. & Persidem L. XXIII. c. 16. usqve ad finem libri.

V. AFRICANAS clades idem Ammianus deplorat L. XXVII. c. 19. *Hist. Misc.* L. XII. c. 11.

VI. RES PERSICAS Bizarrus exsequitur. (*Satis diligenter & eleganter, quo nomine inter recentiores inprimis etiam est commendandus.*) SERIES REGUM ad hoc seculum pertinens hæc est: HORMISDAS II. A. C. CCCII. SAPORES II. A. C. CCCX. (*in utero matris Rex dictus*) ARTAXERXES Saporis frater A. C. CCCXXC. SAPOR II. Filius Artaxerxis A. C. CCCXXCIV. VARARANES IV. cognomento CERMASAS A. C. CCCXXCIX. ISDIGERDES Saporis filius A. C. CCCC. cui moriens Arcadius filium commendat, de qvo facto Bizarrus disquirit L. V. (*Agathias rem valdè commendat, ipse vero improbat & Agathiam refutat, quæ memorabilia etiam esset materia stylum & ingenium exercendi.*)

IV. SECULI.

IV. ECCLESIASTICA.

I. EX QVO STATU IN QVEM DEDUXERIT ECCLESIAM *Constantinus*, ornando eam legibus, moribus, templis, Ethnicorum & Judæorum furores coërcendo, propagando doctrinam, diligenter ex monumentis historiarum repetit Fr. Balduinus, egregius & doctissimus JCtus in *Constantini* sui L. I (*Posset omnino aliqvis affirmare, statum Ecclesiæ ex ipsis Scriptoribus Ecclesiasticis, nusquam tam accurate & ὡς ἐν τύπῳ fuisse propositum, quam in hoc scripto Balduini, cujus aliàs omnia sunt doctissima; nominandi enim nobis sunt ij inprimis, apud qvos alias ejusmodi res non requirerentur.*)

II. Gratior hæc felicitas fuit ex rabie PERSECUTIONIS, à Diocletiano potissimum motæ, quam pleriqve decimam volunt, ut postea iterum dicetur. Sulpitius Severus in *Hist.* L. 2. putat nonam esse cum Πανκρατίου;

exinde tranquillis rebus pace perfruimur, neq; ulterius persecutionem fore credimus, nisi eam, quam sub fine jam seculi Anti-Christus exercebit. Qvod ita accipiendum est, ut de Imperatoriis persecutionibus intelligatur. Nam de cætero divinitas Filii DEI & Spiritus S. oppugnata per *Arium*, *Macedonium*, *Eunomium*, alios, ingentibus malis Ecclesiam affecit. *Constantius* enim & *Valens* Imperatores Arianis aurem patefaciebant, multisqve incommodis Christianos orthodoxos *Homousiastas* affligebant. Qvid de *Juliano* dicam? De qvo Hieronymus in *Chronico Eusebiano* ad A. C. CCGLXIII. *Juliano, ad idolorum cultum converso, blanda persecutio fuit, illiciens magis, qvam impellens ad sacrificandum, in qua multi ex nostris voluntate propria corruerunt.* Non defuerunt ergo tum etiam in pace Ecclesiæ Martyres, ut veteres loqvuntur.

III. JULIANI artes & SOPHISMATA, qvibus tantum mali in Ecclesiam redundavit, memorabili oratione exsecutus est Jac. Gothofredus, cui titulus est *Julianus.* (*Qvamqvam professione Jctus, aliorum tamen diligentiam superavit, neq; enim ullibi artes Juliani tam diligenter sub aspectu datas habemus, quam in illa Oratione.*) adde *Historiam Miscellam* L. XI. c. 33. usq; ad 36. ubi epistola Juliani ad Antistitem paganum omnino legenda, qvia habet illustre & incomparabile monumentum innocentiæ Christianæ & tot veritatis testimonia, qvot ritus ille ad nostros conformari jubet, qvamvis per calumniam dicat, Christianos tantum fictè facere hæc. Plurima qvoq; sunt in ea, qvæ ad disciplinam Ecclesiasticam pertinent, de pœnitentia publica, Eleemosynis, &c. Qvid autem potest esse validius testimonio tanti hostis, cujus qvidem verba, qvantum ad intentionem ipsius, sunt calumnia, qvantum ad rem, de veritate testimonium?

IV. Fulserunt tamen in ECCLESIA MAGNA ILLA LUMINA, de qvibus deinde aliqvid erit dicendum, *Athanasius*, *Basilius*, *Gregorius Nyssenus*, *Gregorius Nazianzenus*, *Didymus*, & ex Latinis *Hilarius* & *Ambrosius.* PROPAGATUM etiam est EVANGELIUM longè latèq;, ad *Indos*, *Persas*, *Armenios* & *Iberos.* Socrates *Hist. Eccl.* L. I. c. 19. & 16. Theodoretus L. 1. c. 23. & 24. Sozomenus LII. c. 6. 7. *ad Gothos*, qvibus tamen petentibus *Valens* Imp. Arianos Doctores submiserat, sicut Jornandes in *Goth.* c. 25. & 26 Orosius L. VII. c. 33. docent; add. Isiodorum in *Chronico Historia Miscella* L. XI. c. 11. ita prædicat tempora Constantini: *His ita gestis pax profunda & tranquillitas obtinuit orbem & exaltatio fideles, concurrentibus assidue omnibus nationibus ad fidem Christi & baptizatis & patria conquassantibus simulacra.* Et c. 14. etiam illam occasionem annotat; *tum multæ gentes ad baptismum accesserunt, miraculis acta, qua patrata sunt à captivis*

vis sacerdotibus, qui fuerant sub Gallieno captivati. Tunc etiam templum S. Sophiæ & S. Eirenæ & Apostolorum & S. Motÿ & Archangeli Dei amicus Princeps Constantinopoli ædificavit. Tunc funditus templo Asclepÿ penes Ægas & Veneris destructo, multisq; aljs eversis, horum reditus donavit Ecclesiis. HELENA etiam mater Constantini templum Veneris Hierosolymis destruxisse, sepulchrum Domini repurgasse, crucem invenisse & agnovisse memoratur c. 15. Adde Sulpitium S. L. II. Eusebium LIII. *De Vita Constantini* c. 24. & seqq. ubi tamen de cruce inventa nihil. Sed in hanc historiam tantum est fabularum illatum ab iis, qvibus ψευδολογία & ψευδεπιγραφία placuit, ut vix ad vestigia alicujus veritatis pervenire liceat, sicut cognoscere est ex iis, qvæ Baronius ad A. C. CCCXXVI curiosè inqvisivit, ubi plus qvam anile & tanto viro indignũ est, qvod de multiplicatione crucis habetur. (*Narratio de inventa Cruce in Historia Miscella nullo modo cohæret; dicitur enim primo statim apparuisse titulum & inscriptionem, mox autem ait, Helenam anxiam fuisse, qvænam ex tribus istis vera esset crux Christi, & id demum ex miraculo innotuisse, quod manifestum est indicium confutarum fabularum. Adeò cæci sunt, qvi hæc ἀβασανίστως accipiunt. Res profecto hæc de inventa cruce, si modo aliquid veri subest, de qvo omnino dubitem, plurimis est involuta fabulis.*) Mirum interim, sicut fatetur Baronius, qvod Eusebius in *Vita Constantini*, cum tam subtiliter res Helenæ exeqvatur, de cruce inventa nihil adjecerit; (*Adeò Eusebius nihil solet omittere, ut potius omnia amplificet, & insuper ipse omnia templa ab Helena exstructa diligenter recenset, quapropter & Baronius nihil invenit, quod respondeat.*) Nequejuvat Spondani annotatio subdola A. C. CCCXXVI §. 7. Ubi candor qvidem ejus laudandus, cum inqvit: *De inventione crucis etiam agitur ad finem Chronici Eusebiani, qvanquam ea verba non reperiuntur in plerisq; Codicibus* MStis: (*Agnosco candorem, dum fatetur, in plerisq; MSS. non reperiri, qvod à Scaligero qvoq; in utraq; editione est omissum.*) Cum vero addit, *Eusebium hujus rei meminisse* L. III. c. 29. de *Vita Constantini*, ad Macarium in epistola, maxima est deceptio & tali viro indigna; nam de illo miraculo per crucem Christi patrato non adest verbum, loqvitur autem Constantinus de sepulchro tantum, ita: *mirum esse, qvomodo per tot tempora conservatum sit*; adeo vel uno hoc exemplo patet, qvam non sit tutum apud Pontificios historiam legere, fontibus ipsis non consultis; viderat Spondanus, ut vir eruditus, qvod urgeantur hoc silentio Eusebii, ideo aliud qvid comminisci voluit,

V. De AMBROSII AUCTORITATE APUD THEODOSIUM Imperatorem & de THEODOSII POENITENTIA fuse egit Baronius ad

ad A.C. CCCXL. vide *Historiam Miscellam L. XIII. C. 4.* usque ad c. 9. (*Abutuntur hoc exemplo Pontificii, quod statim in fronte constituunt, quando de potestate Papæ agunt, qui fulminationibus istiusmodi brutis ludere solet. Certum quidem est, Ambrosium liberius corripuisse Imperatorem, certum est & in hoc religiosam quandam humilitatem agnoscendam esse, neutrum autem ulterius est extendendum, quam par est. Ipsa tamen de hac historia compilatio conjungit quædam non conjungenda, quædam etiam geminat, ut peculiari disquisitione & exercitatione id sit examinandum.*) Augustinus de *Civitate Dei L. V. C. 26.* de Theodosio: *Quid autem fuit ejus religiosa humilitate mirabilius, quando Thessalonicensium gravissimum scelus, cui jam Episcopis intercedentibus indulgentiam promiserat, tumultu quorundam, qui ei cohærebant, vindicare compulsus est, & Ecclesiastica coërcitus disciplina sic egit pœnitentiam, ut Imperatoriam Celsitudinem pro illo populus orans magis fleret videndo prostratam, quam peccando timeret iratam.* (*Hoc exemplo abutuntur Pontificii ad tuendam excommunicationum Papalium licentiam. Sed primum fecisse exemplum Gregorium VII. in Henrico IV. testantur Otto Frisingensis, Gothofredus Viterbiensis, & quod plus est, fatetur hoc Onuphr. Panvinius, aliiq;, distinguentes inter voluntariam submissionem & injunctam necessitatem. In quo capite dissimilitudo exemplorum Theodosii & aliorum consistit, de qua re disputat Grotius de Imp. Summ. potest. circa Sacra c. 9. Sed videndus potius Magnus Gerhardus in L. de Mag. Polit. & Min. Eccles. & Confess. Cathol. Petrus de Marca fatetur ex Gregorio Turonensi, Pontificem nunquam potuisse excommunicare Regem Gallia.*)

VI. Cæterum priusqvam ad similes disputationes progrediamur, de HÆRESIBUS qvæ hoc seculo Ecclesiam exercuerunt, ex Epiphanio & Theodoreto aliquid annotabimus. Occurrit ergo in serie, ubi substitimus, primo HIERACITARUM, *hæres.* LXVII. ab Epiphanio memorata. HIERACAS auctor, Ægyptius gente ac pereruditus, defecit à Christiana religione, carnis resurrectionem negavit, nuptias tanquam V. T. proprias repudiavit. Puerulos, πρὸ γνώσεως mortuos, à spe salutis excluſit; nō credebat Paradisum ἀισθητὸν, Melchisedecum Spiritum S. esse asserit, præcipuè auctoritate nitens ἀναβαλικῆ ησαΐε. *Commentarium de opere sex dierum* scripsit, fabulis stipatum. *Psalmos* qvosdam novitios à se conditos Scripturis adjecit. MELETIUS (vide *Hæresin* Epiphan. LXIIX.) Thebaidis Episcopus, tempore persecutionis Diocletiani adversus Petrum Alexandriæ Episcopum, schismatis auctor fuit, cum Petrus lapsos recipiendos diceret, Meletius negaret. Hinc partes & distractio, & post mortem seu martyrium Petri

Petri successores ejus Ecclesiam *Catholicam* suam vocarunt, MELETIANI suam Ecclesiam *Martyrum*; add. Theodoretum *haret. fabul.* L. IV c. 7. De cætero Meletius nihil ab Ecclesia alienum docuit, quin etiam Arium Baucalæ apud Alexandriam Ecclesiæ Presbyterum prava sentientem primus detexit & ad Alexandrum Episcopum deduxit. Post Meletii mortem, cum Alexander Alexandriæ Episcopus Meletianos, ut ad Ecclesiam reverterentur, urgeret, illi Arianis se conjunxerunt, eorumque nefariam hæresin illa societate plurimum confirmarunt. ARIANORUM seu ARIOMANITARUM hæresis (ap. Epiph. *hær.* LXIX.) ARIUM, ut dictum est, habet Auctorem, (v. Theodoretus *haret. fab.* L. IV. C. I.) qua totus orbis Romanus in Oriente præsertim est infectus. Dissidebant in Ecclesiis Alexandrinis primo Presbyteri, ut alii Arium, alii Colluthum, alii Carponem, Sarmatam alii auctorem jactarent. Inprimis autem ARIANORUM & COLLUTHIANORUM secta valuit, sed hæc quidem mox evanuit. Arium Alexander Alexandrinus Episcopo errores tuentem, Presbyterorum & Episcoporum qvorundam consensu ἐξεστὸν τῆς ἐκκλησίας καὶ ἐκκήρυκτον ποιεῖ ἐν τῇ πόλει. Inde in Palæstinam abiit, à quibusdam non receptus ibi, ab aliis autem receptus. Hinc Alexandri *Epistola Encyclica* fere LXX. ad Episcopos, eorumque Responsa partim sincera, partim simulata. Patrono usus est præcipuo, Eusebio, Nicomediensi Episcopo, ad quem Epistolam scripsit, ubi de Christo affirmat, ὅτι πρὶν γενηθῇ, ἤτοι κτισθῇ, ἤτοι ὁρισθῇ, ἢ θεμελιωθῇ, οὐκ ἦν; addidit: διακόμεθα πρὸς, ὅπ εἴπαμεν, ἀρχὴν ἔχει ὁ υἱὸς, ὁ δὲ θεὸς ἄναρχος ἐστὶ καὶ ὅπ εἴπομεν, οὐκ ἐξόντων ἐστίν. Aliam quoque Epistolam producit Epiphanius ad Alexandrum specie ὁμολογίας scriptam, in qua illa leguntur de Filio: οὐδὲ γὰρ ἔστιν ἀϊδίῳ, ἢ συναϊδίῳ, ἢ συναγέννητῳ τῷ πατρὶ, οὐδὲ ἅμα τῷ πατρὶ τὸ εἶναι ἔχει; & mox *Patrem principium Filii* dicit & *ante Filium* &c. Apud Constantinum Imperatorem bis inficiatus est suum dogma Arius, cumque Eusebius apud Imperatorem ejus partes ageret, atque in eo jam esset, ut Constantinopolitanæ Ecclesiæ obtruderetur, precibus Alexandri Episcopi Constantinopolitani Deus exstinxit Arium in cloaca. (*Duo hi Alexandri, Episcopus Constantinopolitanus & Alexandrinus, Spiritu planè Heroico adversus hunc colubrum depugnarunt, alter quoque precibus suis occidit.*) Secuta est Synodus Nicæna CCCXIIX Episcoporum, qui Anathemate damnarunt Arianam hæresin. (vid. Photium Cod. 88.) Utebatur Arius ad hæresin suam confirmandam locis scripturæ Prov. IIX. 22, Hebr. III. 2. Joh. I. 10. Act. II. 36. Joh. XIV. 28. Lucæ XIIX. 19. Matth. XX. 22. Rom. X 9. Luc. XXII. 43. Marci XV. 34. Joh. XVII. 30. Matth. XXII. 42. Marc. XIII. 32. Joh.

XX.17.Matth.XXVII.47. 1.Cor.XV.24. Joh.V.19.ad qvæ respondet Epiphanius; vide quæ Theodoretus de Ario subjicit,& EUNOMIO, EUDOXIO, AETIO & PSATYRIANIS &c. L.IV.*hæret.fab.*AUDIANORUM schisma sequitur; AUDIUS enim referente Epiphanio *hær.*LXX. Vir pius & liberi oris in reprehendendis, qvæ secus fiebant in Ecclesia, lingvæ odio veritatis mercede, exagitatus, secessit ab Ecclesia. Deteriorem AUDÆI, ut appellat, causam facit Theodoretus *Hæret.fab.*L.IV.C.10 Reprehensa sunt in illo ea quoque dogmata, quod imaginem Dei in homine definitè ad corpus trahebat; Pascha cum Judæis celebrare volebat; aliosque criminabatur, quod in gratiam Constantini Imp. transtuliſſent Pascha in natalem ejus. *(Hic nobilis & prolixa historia ac disputatio, qvæ non est amplior in antiquitate de Paschate in Epiphanio texitur.)* Cum in Scythiam relegatus esset Audius, multos Gothorum ad Christianã religionem traduxit & monasteria in Gothia condidit. PHOTINIANI apud Epiphanium *hær.* LXXI. *Photinum* Sirmiensem Constantio Imperatore auctorẽ habuerunt; Hic Pauli Samosateni errores aliis cumulavit, negans, Christum â principio exstitisse, abusus, 1. Cor. XIII. 47. Joh I.1. & 3. *Verbum â filio* distingvens, & multa audacter effutiens, ὡς θεανθρώπης τῶν ἀνεκδιηγήτων. Damnatus est Synodo Sardicensi, sed ab Imperatore Constantio novos impetravit Judices; inde Disputatio cum Basilio Ancyrano. MARCELLIANI *Hær* LXXII. ad idem tempus pertinent, â MARCELLO, qvi Ancyræ exstitit. Tres hypostases confiteri noluerunt; Athanasii tamen testimonio discitur, rediisse Marcellum ad sanam doctrinam, idqve præsertim monstrat *epistola* Marcelli â Synodo depositi, Arianis accusantibus, ad Julium Episcopum Romanum. *(Ubi notetur inscriptio:* τῷ μακαρίῳ πάπᾳ συλλειτούργῳ Ἰουλίῳ Μάρκελλος. *Vocat Marcellus Episcopum Romanum suum comministrum, quo exemplo uti possumus ad calcandam superbiam Pontificis Romani & eorum impudentiam, qui eidem titulos & nomina dominantia vindicant.)* Acacii adversus Marcellum qvædam proponuntur ab Epiphanio, subjicitur quoq. quorundam Discipulorũ Marcelli ἔκθεσις ὁμολογίας περὶ πίστεως ἀπολογουμένης. *SEMIARIANI* etiam Imp. Constantio *Hær.* LXXIII. sequuntur, BASILIO ANCYRANO, & *GEORGIO LAODICENO* auctoribus, qui τὸ ὁμοιούσιον, rejecto ὁμοουσίῳ induxerunt, Spiritum S. aperte creaturam statuerunt. Sequitur apud Epiphanium *Epistola Pseudo-Synodi Ancyranæ*; Postea disputat adversus hanc hæresin, qvæ primum auctoribus Basilio, Georgio, Sylvano, habentibus secum σαρκὸς δεξιὰν i. e, brachium seculare, Imperatoris Constantii patrocinium, præcipue efflоruit, dimanata non parum opinione, cum in tres sectas

discessi-

discessissent. Ponitur deinde *fidei expositio in concilibulo Seleuciensi edita* Acacio Auctore, cum Constantius Imperator Seleuciæ in Isauria, Synodum fieri præcepisset; *Meletii* etiam *Confessio* exhibetur, qvi deseruit Arianorum partes, ejectus propterea ab ipsis. Epiphanio laudatur, cum exceptione δύο καὶ τριῶν λόγων ἐξηγήσεως EX *SEMIARIANIS* his & ORTHODOXIS monstrum est natum PNEUMATOMACHORUM apud Epiphanium *hær.* LXXIV. qvi Spiritum S. in Personis divinitatis non numerabant, contra qvos disputationem ex *Ancorato* suo repetit Epiphanius adjecta & alia refutatione ac responsione ad objectionem, *quod in Synodo Nicæna nihil de hac re constitutum sit.* AËRIUS qvoqve Hæresin commemoratam Epiphanio *hær.* LXXV. condidit. Sodalis primo Eustathii ἐν ἀσκήσει, posteà Episcopi Sebastiæ facti (*fuit & hic Arianus*) inimicus. Hic ad Ariana dogmata adjecit: Episcopos Presbyteris nihil præstare, (*ordinem igitur in Ecclesia sustulit.*) Pascha Judæis relinqvendum esse; preces pro mortuis inanes esse, jejunia Judæis itidem relinquenda; (*quare ridebant* ἑβδομάδα τὸ πάσχα, *jejuniis religiosam.*) adversus qvæ disputat Epiphanius, Aerium suo tempore adhuc supersesse professus. ANOMOEORUM Hæresis Epiphanio LXXVI. AETIUM habuit auctorem, Arianum, quem Constantius Imperator ad vicina Tauro loca relegavit, ubi virus suum propagavit, negans Filium Patri esse similem, quod quidem Ariani concedebant, sed male explicabant; legem & præcepta Dei rejiciebant Sectatores ejus, abusi loco Joh. XVII. 3. Seqvuntur apud Epiphanium Disputationes ejus contra Filium Dei, etiam ex *opusculo* ejus αὐτολεξεί *capitula* XLVII. de CCC. singulatim posteà refutata. Addit de Baptismo seu Anabaptismo Anomœorum, estque hæc prolixa tractatio. DIMOERITÆ apud Theodoretum *Haret. fab.* L. IV. c. 8. & 9. Epiphanium *Hær.* LXXVII. mentem removebant ab incarnatione Christi & dicebant, ὅτι σάρκα ἔλαβον ὁ χριστὸς ἐλθών, ὁ κύριος ἡμῶν καὶ ψυχὴν, νῦν δὲ ὃν ἔλαβε, τοῦτ' ἐστὶ τέλειον ἄνθρωπον; & cum urgerentur hoc nomine, dicebant: ὅτι τέλειον ἄνθρωπον λέγομεν εἶναι, εἰς τὴν θεότητα ποιήσαμεν ἀντὶ τοῦ νοῦ καὶ τὴν σάρκα, καὶ τὴν ψυχήν. Autor Sectæ APOLLINARIUS Laodicenus, Vir cæterum laudatus, deplorante & refutante *Athanasii epistola*, quæ exstat apud Epiphanium, qui & suam refutationem adjecit. ANTIDICOMARIANITÆ apud Epiphanium *hær.* LXXIIX. Mariam Virginem post editum Salvatorem cum marito consveviss contendunt, adversus qvos Epistolam Epiphanius repetit. COLLYRIDIANI *hær* LXXIX. in contrariam partem flectentes, Sellam quadratam adornantes, linteo desuper extento, solenni tempore, per aliqvot dies panem proponunt, & in

Mariæ nomen offerunt, Tum omnes illo vescuntur; mulieribus debetur origo superstitionis. Sed ἡ μαρία ἐνηπῇ ὁ κύριος ἀνέστη, sicut suam refutationem claudit Epiphanius. MASSALIANI (*quibus accedunt Martyriani è Gentilium numero, nec non & Euphemitæ & Sathaniani.*) Epiphanio *Hær.* LXXX. Theodoreto L. IV. *Haret. fab.* C. II. commemorati, ORANTES vocantur, seu εὐχόμενοι, ædiculas construebant, proseuchas, εὐκτήρια; qvi disjecti aliqvando & puniti cum essent, cultores interfectorum se MARTYRIANOS appellari voluerunt SATHANIANI qvia Sathanam, ne noceret, propitiandum sumpserunt. Varia ibi recensentur & refutantur. (*Hæc ex Epiphanio, qui reliqvis omnibus, qui postea etiam hæreses scripserunt, est diligentior; & numerus apud eum est duplicatus, propter Schismata quoq; annumerata, & sectas Judaicas, & quod alia qvædam adhuc ex ultima antiquitate repetit.*)

VII. ROMANOS EPISCOPOS hoc seculo ita ordinat Eusebianum *Chronicon* A.C. CCCV. *Romæ vicesimus nonus Episcopus constituitur* EUSEBIUS *mens. VII. post qvem triceſimus Ecclesiam tenet* MILTIADES ann. III. A.C. CCCXII. *Triceſimus primus* SYLVESTER, *ann.* XXIII; A.C. CCCXXXI. *triceſimus secundus* MARCUS mens. IIX, *post qvem triceſimus tertius ordinatus est* JULIUS *ann. sedecim, menses qvatuor*; A.C. CCCL. *triceſimus qvartus ordinatur* LIBERIUS, *qvo in exilium ob fidem truso, omnes Clerici juraverunt, ut nullum alium susciperent. Verum cum Felix ab Arianis fuisset in sacerdotium substitutus, plurimi pejeraverunt & post annum cum Felice ejecti sunt, qvia Liberius tædio exilii victus, & in hæreticâ pravitate subscribens, Romam qvasi victor intraverat.* A.C. CCCLVII. LIBERIUS *in exilium mittitur*; A.C. CCCLXVII. *triceſimus qvintus ordinatur Episcopus* DAMASUS; *Et non post multum temporis intervallum* URSINUS *â qvibusdam Episcopus constitutus, Sicinium cum suis invadit: qvo Damasiana partis populo confluente, crudeliſſima interfectiones diversi sexus perpetrata.* A.C. CCCXXCV. *Romanæ Ecclesiæ post Damasum triceſimus sextus* SERICUS *præfuit* ann XVI. A.C. CCCXCIX. *Romanæ Ecclesiæ Episcopatum triceſimus septimus tenet* ANASTASIUS *ann. IV. diebus* XXII. Baronius MARCELLINO substituit MARCELLUM A.C. CCCIV. Huic EUSEBIUM A.C. CCCIX MELCHIADEM A.C. CCCXII. SYLVESTRUM A.C. CCCXIV; MARCUM A.C. CCCXXXVI; JULIUM A.C. CCCXXXVII. LIBERIUM A.C. CCCLII; DAMASUM A.C. CCCLXVII. SIRICIUM A.C. CCCXXCV; ANASTASIUM A.C. CCCXCIIX. Onuphrii Panvinii hæc est series: MARCELLUS CCCIV; EUSEBIUS CCCIX; MILTIADES CCCXI; SYLVESTER CCCXIV;

MAR-

MARCUS CCCXXXVI; JULIUS CCCXXXVII; LIBERIUS CCCLI; ubi FELIX ANTIPAPA CCCLV; DAMASUS CCCLXVI; ubi URSICIUS seu URSICINUS ANTIPAPA CCCLXVI; SIRICIUS CCCXXCIII; ANASTASIUS CCCXCIIX.

IIX. ALEXANDRINÆ ECCLESIÆ *sextus decimus post Theonam Episcopus ordinatur* PETRUS, *qui postea nono persecutionis anno glorioso martyrium perpetravit.* Ita *Chron. Eusebianum* ad A.C.CCCIII; A.C. CCCXII. *Alexandrina Ecclesia decimus septimus ordinatur Episcopus* ACCHILLAS. A.C.CCCXXII. *decimus octavus Episcopus ordinatur* ALEXANDER, â *quo Arrius Presbyter de Ecclesia dejectus multos sua impietati sociat, ad quorum perfidiam coarguendam Synodus* CCCXIIX. *Episcoporum in Niceam urbem Bithyniæ congregata omnes hæreticorum machinas Homousii appositione dejecit.* A.C.CCCXXXI. *Nonus decimus ordinatur Episcopus* ATHANASIUS. A.C. CCCXLVI. *Athanasius ad Constantis literas Alexandriam regreditur; A. C. CCCLXIII, Georgio per seditionem populi incenso, qui in loco Athanasii ab Arrianis fuerat ordinatus, Athanasius Alexandriam rediit. A.C.CCCLXXIV. Alexandriæ ord natur Episcopus* PETRUS; *qui post Valentis Interitum tam affabilis in recipiendis hæreticis fuit, ut nonnullis suspicionem accepta pecunia intulerit.* Nihil deinde additur.

IX. ANTIOCHIÆ *decimus nonus constituitur Episcopus* TYRANNUS; *Eusebianum Chronicon ad* A.C.CCCIII; A.C.CCCXXIX. *Antiochiæ post Tyrannum vicesimus ordinatur Episcopus* VITALIS, *post quem vicesimus primus* PHILOGONUS, *cui succedit vicesimus secundus* PAULINUS, *post quem vicesimus tertius* EUSTATHIUS; *Quo in exilium ob fidem truso usq; in præsentem diem Ariani Ecclesiam occuparunt, i, e, Eulalius, Eusebius, Euphronius, Placillus, Stephanus, Leontius, Eudoxius, Meletius, Euzous, Dorotheus, rursum Meletius. Quorum idcirco tempora non digessi, quod eos hostes potius, quam Episcopos Christi judicavi.* (*Ita nimirum Hieronymus in Chron. Eusebii loquitur.*) A.C.CCCLXI. *Meletius Sebastiæ Armeniorum Episopus ab Acacio & Georgio, Arrianis Episcopis Antiochiam transfertur. Et post non grande temporis intervallum, cum Presbyteros, qui ab Eudoxio Antecessore suo depositi fuerant, suscepisset, exilii justissimam causam subita fidei demutatione delusit.* Ad A. C. CCCLXIV: *Ecclesia secundo Antiochiæ clausa & gravissima imminentis persecutionis procella Dei voluntate sopita est;* Interitu scilicet Juliani; Hincnihil additur.

X. Incidunt in hoc seculum DUÆ SYNODI OECUMENICÆ, NICÆNA & CONSTANTINOPOLITANA, tum TRIA SYMBOLA, NICÆNUM, ATHANASIANUM, CONSTANTINOPOLITANUM,

XI. NICENI CONCILII historia repetenda est ex Eusebio *de vita Constantini*, Socrate, Theodoreto, Sozomeno, *Historia tripartita* L.II; Rufino L.X. Sulpitio Severo L.II. Centur. Magdeb. *Cent* IV. c.9. Baronio. T. III. *ad Annum* CCCXXV. Prateoli, Gesneri, Selnecceri *Libris de conciliis*, tum præsertim iis monumentis, qvæ in *Tomis Conciliorum* exstant, ut & *Canonibus Græcis*. Conscripsit etiam historiam hujus Concilii contextam Joachimus Camerarius, cujus præcipua sunt capita; (I) status Ecclesiæ; (II) occasio de causa Concilii; (III.) Indictum ab Imperatore Concilium, cum præcessisset alius rei componendæ conatus per Hosium scilicet, ubi Disputationibus contra Baronium locus. (IV.) Tempus concilii; (V.) locus; (VI.) Numerus Episcoporum; (VII.) Confessus & inchoatio (IIX.) Acta (IX.) Decreta & Canones; (X) Symbolum, de quo seorsim; (XI) subscriptio Episcoporum; (XII.) Epistola & monumenta, quæ feruntur.

XII. CONSTANTINOPOLITANUM PRIMUM, OECUMENICUM SECUNDUM CONCILIUM, contra Macedonium celebratum est A. C. CCCXXCI. convocante Theodosio Imp. Frustra hoc eludere conatur Baronius T.IV.; comparuerunt CL. Episcopi. Acta ex T.I. Conciliorum petenda: addatur Theodoretus L.V.c.6. & 7.

XIII. In Codice Canonum interjecta exstant Concilia: ANCYRANUM cujus index: κανόνες τῶν ἐν Ἀγκύρᾳ συνελθόντων μακαρίων πατέρων, οἵτινες προγενέστεροι μέν εἰσι τῶν ἐν Νικαίᾳ ἐκτεθέντων κανόνων, δευτερεύσασι δὲ πρὸ τῆς οἰκουμενικῆς Συνόδου ἐτυθέντες. NEOCÆSARIENSE, eadem indicis sententia; GANGRENSE, cujus inscriptio: κανόνες τῶν ἐν γάγγρᾳ συνελθόντων ἁγίων πατέρων, οἵτινες μετὰ τὴν ἐν Νικαίᾳ σύνοδον ἐξετέθησαν & c. inscribitur: τοῖς ἐν Ἀρμενίᾳ συλλειτουργοῖς, ab iis, quorum nomina recensentur. ANTIOCHENSE hac inscriptione: κανόνες τῶν ἐν Ἀντιοχείᾳ συνελθόντων ἁγίων καὶ μακαρίων πατέρων ἡ ἁγία καὶ εἰρηνικωτάτη σύνοδος, ἡ ὑπὸ θεοῦ θεῖσα, συγκεκροτημένη ἐν Ἀντιοχείᾳ ἐξ ἐπαρχίας Συρίας κοίλης, Φοινίκης, παλαιστίνης, Ἀραβίας, Μεσοποταμίας, Κιλικίας, ἰσαυρίας, τοῖς καθ' ἐπαρχίαν ὁμοψήφοις καὶ ἁγίοις συλλειτουργοῖς ἐν κυρίῳ χαίρειν. LAODICENUM, cujus inscriptio: κανόνες τῶν ἐν Λαοδικείᾳ τῆς Φρυγίας παντεσανῆς συνεκροτημένων, ἐν διαφόρου ὑπαρχιῶν τῆς Ἀσιανῆς, ὅσας ἐξέδετο ἐκκλησιαστικὰς, ἃς ὑπεθέκατο. Fuerunt & alia Concilia ut TYRIUM, A.C. CCCXXXV, SARDIENSE A.C.CCCXLVII. ARIMINIENSE A.C.CCCLIX. SELEUCIENSE, MEDIOLANENSE, SIRMIENSE, Hæreticorũ &c. deqvibus Centuriæ Magdeb.

XIV. De tribus SYMBOLIS, NICENO, ATHANASIANO, CONSTANTINOPOLITANO abunde & plane ut optabatur, pertexuit G.J. Vossius in

Diss.

Diss. *de tribus Symbolis*. Ubi ipsi quidem est *Apostolicum* primum, dissertatione prima, alterum *Athanasianum*, dissertatione secunda; de *Niceno & Constantinopolitano* Dissertatione tertia agitur. (*Ubi multa disputat, quæ sitim eorum explere possunt, quibus hæc curæ sunt.*)

XV. De PERSECUTIONE, *quæ* DECIMA putatur, Sulpitius Severus L. II. *Diocletiano & Maximiano imperantibus acerbissima persecutio exorta, quæ per* X. *Annos continuos plebem Dei depopulata est: qua tempestate omnis ferè sacro martyrum cruore orbis infectus est; quippe ingloriosa certamina ruebatur, multoq; avidius tum Martyria glorioſis mortibus quærebantur, quam nunc Episcopatus pravis ambitionibus appetuntur. Nullus unquam magis bellis mundus exhaustus est, neq; majore unquam triumpho vicimus, quam cum per* X. *annos stragibus vincinon potuimus.* Exstant etiam mandatæ literis præclaræ ejus temporis martyrum passiones; Finem ponit initium Christianorum Imperatorum. Sævissima hæc fuit persecutio. De *Actis* studiose Baronius disqvirit. (*Ut alio collectore non sit opus; certum est, multa tum de Martyrum constantia fuisse acta scripta, plura tamen perierunt, an autem quæ ad nos pervenerunt, sint incorrupta, non liquet.*) Quomodo autem accipiendum sit, qvando *ultimam* hanc persecutionem dicunt, discas licet ex Augustino L. de C. D. XIIX. C. 52.

XVI. De JUDAISMO hujus seculi satis diligenter Clariss. Höttingerus H. E. c. 4. Sect. 3. agit. (*Conqvisivit nemini antea tanta diligentia collecta.*)

IV. SECULI

VIRI CELEBRES, LITERÆ, ARTES, JNVENTA & ALIA.

I. VIROS IN REPUBL. BONIS MALISVE ARTIBUS CELEBRES ante nominavimus, itaqve nunc ad ERUDITOS convertemur.

II. PONTIFICUM ROMANORUM uti appellitant, seu EPISCOPORUM EPISTOLAS, qvæ huic seculo tribuuntur, τῆς νόθ ἴσας eruditissime & ad oculum convincit Blondellus in *Pseudo-Isidoro*, MARCELLI *duas*, EUSEBII *tres*, MELCHIADIS *duas*, *synodi* NICÆNÆ AD SYLVESTRUM *unam*, *cum rescripto* SYLVESTRI. ÆGYPTIORUM ad MARCUM *Episcopum unam ejusq; responsum.* JULII *Papæ ad orientales Episcopos duas & unam responsoriam*; LIBERII *tres*, & ATHANASII, ac EPISCOPORUM *ad* LIBERIUM *unam.* ÆGYPTIORUM ad FELICEM II. *unam: & hujus duas*, DAMASI & HIERONYMI Amœbeas, AFRICANI CONCILII ad DAMASUM *& hujus ad illum. Ejusdem* DAMASI *de Chorepiscopis. Ejusdem ad Italiæ Episcopos*; AURELII *Carthag. Episcopi ad* DAMASUM *cum rescripto* DAMASI; *ejusdem ad* HIERONYMUM.

III. EUSEBIUS CÆSARIENSIS seu Cæsareæ Palestinæ Episcopus & EUSEBIUS PAMPHILI ob amicitiam cum PAMPHILO martyre vocatus

catus, satis luculenter describitur apud Vossium de *Hist. Gr.* L. II. c. 17. (*Theologis interim potius annumerandus, quia scripta illius historica etiam sacrum habent Theologicum. Exciderunt magnis viris ex nostratibus quod Theologis quædam, ut contemptim de hoc Eusebio loquerentur, non penetrarunt autem in mentem illius. Certum quidem est, eum non ut reliquos dogmaticè fidei articulos exponere, sed in eo potius summam laudem meritus est, quod prius voluit removere Ethnicorum objectiones, eosq; ex propriis scriptis convincere. Sed nimirum superiore seculo nervum horum Scriptorum non potuerunt animadvertere, cum latinè tantùm legerentur. Secunda laus Eusebii est, quod tot monumenta Antiqvitatis nobis conservavit. Infamia Arianismi laboravit, sed maximi quoq; Theologi nostrates dicunt, incautè quidem nonnulla ab eo esse prolata, qvæ ipse tamen postea correxit.*) Editiones Gallicanæ laudantur. JUVENCUS inter Poetas poterat referri, qvod *Evangelicam historiam carmine* est complexus; Exstat in *Bibliotheca Patrum* & jam sæpius editus est. (*Non est valde eruditus, ob perspicuitatem autem & venerationem Antiquitatis satis celebris.*) ANTONII Abbatis *Epistola & sermones* feruntur in *Bibliotheca PP.* dubium, an opus sit γνήσιον? Ita *Regula monachorum* PACHONII inter opera item Cassiani exstat. ORESIENSIS qvoqve MONACHI L. *de institutione vitæ monasticæ* exstat in *Bibliotheca PP.* (*Hæc talia monumenta semper sunt cum examine legenda.*) Horum temporum æqualis MACARII homiliæ eruditæ feruntur, editæ tum in *Bibliotheca PP.* tum seorsim Gr. & Latin. Paris. à Frid. Morello. ATHANASIUS Alexandrinus & ejusdem Ecclesiæ Episcopus, cujus operibus multa suspecta admiscentur; vide *Patrologiam* Gerhardi. (*Ferè hoc factum fuit, ut his magnis PP. aliena supponerentur, hinc nata occasio Viris doctis, ut paulo studiosius recenserent Scripta PP. & censuram in illa exercerent; confecerunt Bellarminus, R. Cocus, Gerhardus, Scultetus; est autem Stylus indubitabilis character alicujus operis, qvare Erasmus in edendis & dignoscendis operibus Patrum felicissimè versatus est; v. g. Hieronymus est acer, vehemens, instar torrentis; hinc facile deprehendere possumus, qvæ scripta ipsi fuerint supposita. Ipse hoc animadverti in Stylo Athanasiano. Fuit omnino hic Athanasius magnum Ecclesiæ lumen, qvi maximis curis & laboribus articulum de persona Christi, seu τῆς οἰκονομίας illustravit. Qvas fuerit passus, alibi dictum est.*) SERAPIONIS *Ægyptii liber contra Manichæos* supereſt apud Canisium, qvi nobili illo opere *antiquarum lectionum* multa inedita publicavit. LUCIFER Episcopus Calaritanus, à quo Secta LUCIFERIANA; opera ejus Parisiis edita & alibi MARIUS VICTORINUS

Afer

Afer, Rhetor, quam Theologus melior, reliqvit tamen quædam Theologica, in *Bibliotheca Patrum*, cautè legenda; serò enim ad Christianismum venit. HILARIUS Pictavienſis Epiſcopus, Vir magni Zeli in Eccleſia, claritudinis & eruditionis. Stylus ejus eſt incommodior, ob cujus obſcuritatem dicta illius in varios ſenſus ſæpè trahuntur ab iis, qui pallio antiqvitatis errores ſuos contegere volunt. Erasmi editio Baſileenſis eſt optima. (*Hanc laudem habent omnes editiones Latinæ PP. ab Erasmo procuratæ, quæ propterea in Gallia etiam & Italia ambiuntur & magno are redimuntur.*) GREGORII quoque BETII exſtat *liber adverſus Arianos in Bibliotheca Patrum*. PHOEBADIUS AGENNENSIS, qui & ipſe æqualis Athanaſii & Hilarii fuit, non tamen exſtat in *Bibliotheca* P.P. ſed editus etiam eſt cum eruditiſſimis notis C. Barthii. PACIANI Barcinonenſis in Pyrenæ montibus Epiſcopi, exſtant qvædam tum in *Bibliotheca* P.P. tum ſeorſim edita. DIDYMI Alexandrini Cæci à nativitate, liber *de Spiritu S.* inter opera Hieronymi, latinitate donatus ab Hieronymo, exſtat, tum qvædam apud Caniſium & in *Bibliotheca* P. P. OPTATUS Africanus, Epiſcopus Milevitanus in Numidia, VII libros contra *Parmenianum* Donatiſtam reliquit, editos Pariſiis, Baſileæ & alibi; ſtylus eſt, ut Afrorum eſſe ſolet. TITUS BOSTRENUS, ſeu Boſtrenſis Epiſcopus, ſub Valente obiit, *libros contra Manichæos* reliquit à Caniſio editos. Feruntur & *Commentarii in Matthæum & Lucam* ejus nomine, ſed falſo. CYRILLUS HIEROSOLYMITANUS Epiſcopus, ſæpe dejectus, ſæpe reſtitutus, reliquit Catecheſes; obiit ſub Theodoſio. (*Hoc opus Catecheſeos eſt illuſtriſſimum, in qvo multa etiam reperiuntur de ritibus, moribus & diſciplina hujus ſeculi.*) Editio Pariſienſis eſt omnium optima & perfectiſſima. APOLLINARII Epiſcopi Laodiceni, cujus errorum ſupra facta mentio, nihil præter Pſalmos carmine redditos habemus. (*Vir fuit laborioſiſſimus & in hoc de Eccleſia benè meritus, qvod dicta Biblica in verſus Græcos tranſtulit, cum videret eos avidè peti.*) Edidit eos ſuperioris ſeculi anno 52. typis diligentiſſimis Turnebus, nec ulla, qvæ ſecuta ſunt, editionum diligentiam Turnebianæ hactenus æquavit. EPHRÆMI Syri, Diaconi Edeſſeni opera Syriacè ſcripta, non niſi latinè habentur, partim in *Bibliotheca* P.P. partim in editione Gerhardi Joh. Voſſii, ſed incertum eſt, an aliqva ſint ejus, qvæ circumferuntur. (*Mirandum eſt, doctiſſimum virum H. Grotium hujus Ephræmii auctoritati tantum tribuere, ſæpe nimirum decipitur. Qvoties enim aliquid ex Ephræmo reperit, tum illud omnibus aliis P.P. præfert, argumento nullo alio ductus, ut arbitror, qvam reverentia illius ſeculi; debuiſſet autem cogitare, non omnia, qvæ ſub nomine P.P. hujus temporis circumferuntur, eſſe genuina.*) BASILIUS M. Epiſcopus Cæſarienſis in Cappadocia, fertur vulgo auctor *Inſtitutionis Monaſticæ*. (*Nicetæ tamen commentator alium quendam nominat.*) Hujus Patris eruditio eſt ſumma, eloqventia, qvalis vix dari poteſt hoc ſeculo, magnifica, qva parem non habet, figuratè nonnunqvam locutus eſt, ſicut & alii Patres, qvæ poſtea ad errores ſtabiliendos adverſarii trahere ſolent;

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn746330790/phys_0205
DFG

reverâ autem fuit Vir maximus. Operum ejus editio Basileensis Græca solum & Parisiensis Græco-Latina commendatur. ANDREÆ Cæsariensis Episcopi, Basilii successoris, *Commentarii in Apocalypsin* exstant in *Bibliotheca* PP. GREGORIUS NAZIANZENUS Episcopus, Vir maximus eruditione & longè magis pietate. Humilius qvidam de eo senserunt, dum Latinè tantum legebatur, est autem revera summæ eruditionis, neqve satis mirari possumus eum, qvando carmina ipsius legimus, omni apparatu eloqventiæ adornata, ut nihil simile exstet. Conflictatus est cum multis & maximis calamitatibus; qvædam non sine lacrymis legi possunt. Habemus editionem Basil. Græcam & Græco-Latinam Parisiensem; in Bibliotheca Basiliensi est nitidum & incomparabile manuscriptum. DAMASI Episcop. Rom. qvæ feruntur, suspecta, aut aliorum Auctorum sunt. FAUSTINI Diaconi Romani Liber *contra Arianos* exstat in *Bibliotheca* PP. EPIPHANIUS Constantiæ in Cypro Episcopus, vir fuit pius magnæque suo ævo auctoritatis, qvo planè carere non possumus, ut aliàs dictum, qvanqvam interdum incautior. Editiones Basil. & Græco-Latina Petavii commendantur. PHILONIS CARPATHII Episcopi Commentarius in *Canticum Canticorum* continetur in *Bibliotheca Patrum*. AMBROSIUS Episcopus Mediolanensis; vir insigni pietate & eloqventia, qvalis esse poterat illis temporibus, non Tulliana, ut in omnibus tam exqvisita sit rectitudo styli. Editio Erasmi haud dubie est optima. Judicia habentur apud Gerhardum & alios. PHILASTRII *de hæresibus* liber in *Bibliotheca* PP. exstat. (Sæpe refert inter hæreses, ut Epiphanius, qvæ hæreses non sunt.) IDACIO Episcopo Hispano tribuunt vulgo *libros III. adversus Varimundum Arianum* in *Bibliotheca* PP. T. IV; sed non assentitur G. J. Vossius de *Hist. Lat.* L. II. C. 17. ubi etiam IDACIOS distingvit, & credibile est, Idacios hujus seculi nil reliqvisse. GREGORIUS Basilii M. Frater, NYSSÆ Episcopus, fuit quoque eloqventissimus; operum ejus editiones habentur superiori & hoc seculo. AMPHILOCHIUS Iconii Episcopus, Basilii & Gregorii æqvalis & suppar, non tamen cum iis omnino comparandus. Editio postrema Parisiensis est optima, in qvam ejus sunt collecta, cum judicio tamen legenda & examine. HIERONYMI Presbyteri clarissimum nomen, postrema hujus seculi ornavit, vita in seqvens seculum excurrit. Patria fuit *Stridonensis Dalmat.* Pater est eruditione qvidem in hoc seculo incomparabilis, Græcè Latinè & Hebraicè doctus, qvamqvam Johannes Drusius, vir de literis Hebraicis optimè meritus, dicat, eum non semel à doctore suo Judæo fuisse deceptum, plurima tamen ostendunt, qvantus in literatura Hebraica fuerit. In juventute multa scripsit φιλοχρίστερα magis, qvam Theologica, qvæ Megalander noster Lutherus ei objecit, ipse se tamen excusat etiam. Videtur autem Lutherus propterea ipsi fuisse infensus, qvod tantopere cœlibatum extulerit adversus conjugium, in qvod [illegible] est. Vocat enim mulierem, qvæ ad secunda vota transiit, [illegible] qvi qvidem [illegible] uxorem duxit, [illegible] & multa

& multa acerba in eum dicit. Sine controversia autem est eloqventissimus, unde Erasmus ejus eloqventia ita captus est, ut diceret, *Ciceronem miraturum fuisse ejus eloquentiam, eamq; etiam prælaturum fuæ, cum longè magis ardui operis sit, in rebus Theologicis stylo eleganti uti, quam in moralibus & naturalibus.* Fuit lector optimorum auctorum qvorumcunqve. Editio Erasmica est omnium optima, secunda scilicet, prima enim est vitiosissima, qvia typographia tum nondum ad eandem perfectionem fuit perducta. THEOPHILI ALEXANDRINI *Epistolæ* qvædam Latinæ factæ per Hieronymum in *Bibliotheca* P. P. exstant. JOHANNES HEROSOLYMITANUS vixit qvidem sub postrema hujus seculi, sed qvæ ejus nomine in *Bibliotheca* P. P. præscribuntur, longè recentioris notæ sunt. DIADOCHII liber *de Perfectione* in *Bibliotheca* P. P. habetur. RUFFINUS Presbyter Aqvilejensis, de qvo accuratè G. J. Vossius de *Hist. Lat.* l. II. c. 11. poterat etiam inter Historicos referri. GAUDENTII Brixiensis Episcopi, Philastrii successoris, qvædam exstant in *Bibliotheca* P. P. ut & GROMATII qvædam, Aqvilejensis Episcopi. JOHANNES CHRYSOSTOMUS Constantinopolitanus Episcopus Nectarii successor, etiam in seqvens seculum excurrit, sed seqvimur consvetudinem hactenus receptam. (*Hoc seculo plane ostentare possunt Græci suam Ecclesiam, in qua tot lumina profulserunt.*) Fuit Chrysostomus vir verè sui nominis, mirandum tot illum opera potuisse conscribere, cum ultra 50. annos non multum vixerit, multaqve ad nos non pervenerint. Est eloqventissimus, sed alio eloqventiæ genere, qvam Basilius & Gregorius, qvi magis fuerunt occupati in theoreticis & dogmaticis, hic in practicis, qvibus in dogmaticis & polemicis minor est. (*Quanquam non possim valdè jactare lectionem PP. jam prid. m tamen in his eram versatus, dumq; mensa Magni & Celeberrimi Viri utere, licuit mihi uti editione Anglicana H. Savillij, ubi multa ex Græco in latinum conversi, ductus suavitate meditationum. Est autem in editione Savillii totus Tomus operum suspectorum, quæ res adeò clarè se prodit, ut nihil in Chrysostomo legerit, qui credit illa à calamo Chrysostomi profecta. Editio Savillij quoq; eo nomine est commendanda, quod certos homines per Europam & Orientem dimisit, qui undiquaq; scripta ejus investigarent, unde postea Parisiensibus facile fuit Græca vertere; pauca enim accesserunt, eaque non magni momenti, ut malim possidere Savillianam editionem qvam Parisiensem.*) Nemo aptior est eodem alicui practico, adeò propter perspicuitatem nemo implevit laudem optimi Concionatoris & Homiliastæ, & qvod maximum est, eloqventia ejus ab omnibus potest intelligi, qvod in perfecto Oratore reqviritur à Cicerone, cujus *Orationes*, etsi omnia artificia Oratoria habeant, ab omnibus tamen percipi possunt. In hoc igitur Charactere Chrysostomus est incomparabilis. Perspicuitas autem ejus non est enervis, sed cum modesta gravitate conjuncta, in dogmaticis autem, ut dixi non est laxis facilis.

IV. MEDICOS hujus seculi recensuit G. J. Vossius de *Philosophia* c. 12. §. 25 in qvibus ORIBASIUS PERGAMENSIS, AETIUS AMIDENUS, JULIUS AUSONIUS, VINDICIANUS, OCTAVIUS HORATIANUS, MARCELLUS BURDIGALENSIS excellu..t

V. E GRAMMATICIS ÆLIUS DONATUS, cujus qvædam in *Vett. Gramm.* Putschii, tum in *Terentium & Virgilium notæ.* Judicium Scaligeri viri κεφαλικωτάτου de eo hoc est, qvod ipsum vocarit, *animam Poëtarum.* Non omnia autem sustinent tantum nomen, ut merito ab alia manu illa censeantur profecta. MACROBIUS valde contemnitur à Joviano Pontano in *Antonio* suo & Scaligero in *Poëticis*; luculentissimi tamen sunt ejus *Commentarij in Somnium Scipionis*, nec minus difficillimum opus est aggressus in *Saturnalibus*, qvæ etsi non ubiqve exactè tractarit, magnis tamen excidit ausis & viam monstravit aliis, ulterius de eo meditandi. Lipsius tamen fuit inter eos, qvi eum valde æstimant. (*Jovianus Pontanus sua judicia de Poëtis alieno potius debet ingenio, quam suo.*) Editio Isaaci Pontani sine controversia est optima, qvi præclarissimè de Macrobio est meritus.

VI. RHETORES & ORATORES. SOPATER sub Constantino M. Syrus habetur inter eruditissimos Rhetores, unde & Grotius ejus judicium maximi facit, sequitur modum veterum & omnia, variosque casus ex medio actu civili & pragmatica politica petit. Editus Venetiis ab Aldo; à Stephano Parisiis. JULIANO Imperatori, laus eloqventiæ tribuenda est in summo gradu, nihil licet in eo deprehendere, quod non accuratissimè sit positum. Opera ejus antehac sparsim sunt edita & à Cantoclaro versa, collecta demum à Dionysio Petavio & Dissertationibus ac eruditis sane notis ornata Parisiis. THEMISTII (qvi & Philosophus fuit) illustre & præclarum nomen est in Eloqventia, ut EUPHRADAS diceretur. Scripsit etiam *in Aristotelem*; edidit eum Aldus, sed postea plura sunt reperta. Orationes edidit Petavius Græco-latinè, item doctissimus ille JCtus Georgius Remus *Orationes sex Augustales*, cum criticis sane notis: ductus rerum gravitate, & qvia multa habent ad hoc seculum pertinentia. LIBANII Opus distribuitur in *Rhetorica & Oratoria* duobus tomis. Eruditione abundat, stylo autem sibi proprio utitur, qvod ab omnibus non probatur, unde alii illum laudant, alii improbant ut dilutum Oratorem, sed hi non intelligebant, qvod studio vitarit & declinarit illud ὕψος dicendi, qvod alii qvoqve laudabiliter fecerunt. Editio Frid. Morelli (*qui de pluribus Scriptoribus Græcis præclarissimè meritus,*) præcellit, neqve tamen in his II. Tomis omnia habentur. Inveni in Bibliotheca Reginæ Sveciæ CCC. epistolas ejusdem ineditas; In codice Augustano integra qvoqve est Oratio adversus Icarium, qvæ mutila tantum exhibetur in editione Morelli; item alia planè inedita contra eundem Icarium; Item de *curialibus cogendis*, qvam apparet consulto subtraxisse Virum Doctissimum, Eliam Ehingerum, cum IV. alias Jacobo Gothofredo edendas transmitteret, qvod facere non debuisset, utut enim vehementius invehatur in Constantinum M. publicari tamen potest, modo addatur antidotum seu refutatio. Qvantus autem fuerit Libanius, inde æstimari potest, qvod Basilius M. tantus & tam eloqvens Pater, maximi fecerit ejus eruditionem, ut Epistolæ Amœbææ testantur. HIMERIUS editus à Stephano; Adde plures apud Vossium de *Rhetor. nat. & constitutione* c. 12. In LATINIS de Victorino supra dictum. Seqvitur MAMERTINUS,

cuj

cujus tres sunt *Panegyrici*. Vir hic est satis eruditus. In omnibus tamen Panegyristis, qui hoc seculo vixerunt, videre licet, qvantum mutaverit facies styli. Qvanquam enim valerent ingenio, Seculum tamen suum vincere non potuerunt; conantur qvidem sæpè assurgere ad gravitatem veterum, sed conantur tantum; culpa etiam ad adulationes aulicas referenda est, omnia enim tum altius erant efferenda, neque verba invenire poterant, qvibus satis reverenter de Cæsaribus loquerentur, hinc dum novas voces adinvenire ceperunt, valde plerumq; lapsi sunt. EUMENII sunt *Panegyrici* IV. Nazarii, *Panegyricus* unicus. Valent ex Panegyristis Nazarius & Mamertinus, subtili ingenio & profunditate cogitandi, ut apparet ex crebris sententiis, PACATUS autem, cujus *Panegyricus* unus, explicatiorem habet eloquentiam. (*Opus hoc panegyricum dignum sane esset, in quod vir eruditus, cui otium suppeteret, curas suas intenderet & phrases difficiliores ex historia explicaret; qvæ enim hactenus scripta sunt in illos, variæ fuerunt lectiones tantum; quo difficultate deterritos plerosq; ut nollent historica illius temporis perscrutari.*) INCERTI AUCTORIS *Panegyricus* V. & VI. hujus seculi sunt, ille *Maximiano* & *Constantino*, hic *Constantino* scriptus, variè editi fuerunt. SYMMACHI habentur *Epistolæ*. (*Notandum hic male vulgò fieri, quod has epistolas exemplum ad imitationem deligunt, declinavit enim Symmachi stylus non modo â stylo veterum, sed etiam ab eloquentia hujus seculi, ut ex Panegyristis liqvet; Ambrosius longè etiam est eloqventior Symmacho; Sententiosus est quidem & accuratos habet sensus, sed stylus non meretur commendari. Hoc autem præcipuum est in eo æstimandum, quod plurima habet Juridica; fuit enim vir πολιτικώτατος & civilis prudentiæ peritissimus, multa qvoq; particularia & historica illius temporis conservavit, quæ alibi non exstant. Studiosis juris merito debet esse commendatus.*) Editio omnium optima est Mureti, summi illius JCti, qui & alia multa ex antiquitate protulit, Parisiis excusa in IV. qui prorsus præclaram operam navavit huic operi, eruditissimis notis additis. Merebatur hæc editio dudum â typographis nostris recudi, nisi nugas mallent semper exhibere, ut Francofurti & Hannov. aliqvoties fecerunt, dum has epistolas ediderunt.

VII. POETÆ GRÆCI non exstant, nisi quod APOLLINARIS *Psalmi*, de qvibus supra, tum NAZIANZENI & AMPHILOCHII qvædam *carmina* supersunt. vide Vossium de *Poëtis Græcis* C. 9. p. 76. 77. Poetas hujus seculi latinos diligenter recenset G. J. Vossius de *Poëtis Latinis* C. 4. p. 54. seq. & inter hos RHEMNIUM FANNIUM, PUBLILIUM OPTATIANUM PORPHYRIUM, qui prodiit Augustæ Vindelicorum auspicio Welseriano. (Carmen est laboriosum, adeoque τεχνοπαιγνιον potius & carnificina ingenii, æstimatur tamen propter antiquitatem & qvia aliqva habet ad hoc seculum facientia.) JUVENCUM, de quo supra; HILARIUM, VICTORINUM, de qvibus itidem supra. AUSONIUM Ethnicum, Virum satis eruditum, qui tamen eloqventia Panegyristas non attingit; nobilis est editio Eliæ Vineti & Jos. Scaligeri. RUFUM FESTUM AVIENUM, DAMASUM Episcopum Romanum, MARCELLUM AM-

AMBROSIUM, AURELIUM PRUDENTIUM, cujus carmina longe sunt eruditissima, multa doctrina & cultu & spiritu ad æmulationem antiquorum. Jo. Weizii editio præstat luculentis & amplissimis commentariis. CLAUDIANUM Ethnicum, cui eloqventiæ causa statua fuerat posita. Hic enim prorsus seculum suum vicit, in genere Panegyrico plane est incomparabilis, Epica tamen non æquant laudem veterum. Commendandus studiosis Juris, qui Virgilium & difficiliores per otium legere non possunt, hic enim est explanatior. Editio Cl Barthii prodit luculentis commentariis; it. Nic. Heinsii Danielis Filii, in qva illud singulare est, qvod Poëtam cum pluribus MSCtis contulit, cum in itinere suo Angliæ, Galliæ, Italiæ, Germaniæ Bibliothecas lustraret, ut qvædam etiam in phrasi, qvæ sunt hujus seculi, eximiè explicarit. PONTIUM PAULINUM Episcopum Nolanum, cujus editio ultima Parisiensis maximè probatur; vid. *Collectio veterum Poëmatum & Epigrammatum*, qvæ alias frustra seorsim qværerentur, in aureo illo opere Pithæi.

IIX. PHILOSOPHI Græci supersunt THEON ALEXANDRINUS in *Arat. Ptolom. & Euclidem*, de quo vide Vossium de *scient. Mathem.* c. 16. p. 59. & c. 33. p. 163. seqq. Producta sunt hæc opera primum à Federico Commandino Pisauro & postea reproducta à Mersenno in *cogitatis Physico-Mathematicis*. An Progymnasmata etiam sint hujus Theonis, non liqvet. Habuit filiam, doctissimam in Philosophia & Astronomicis, nomine HIPPATIAM. PAPPUS ALEXANDRINUS; v. Vossius p. 58. & 164. JAMBLICHI opus *de vita Pythagoræ* philosophicum & *orationes protreptica*. (*Poterat is Historicis annumerari propter vitam Pythagoræ, nisi totum institutum Philosophiam spectaret, præmisit enim vitam Pythagoræ, tanquam exemplum ad philosophandum, postea Orationes admonitorias subjungit.*) De eo præclarissimè meritus est Arcerius in Editione qvæ superiori seculo ex typographia Commeliniana prodiit. CHALCIDIS traductio & explanatio in *Timæum Plat.* exstat ex editione Joh. Meursii. JULII FIRMICI MATERNI Opus Astronomicum, Libris IIX. laudatur, ex editione, Herwagiana Basil. (*In qva & alii hujus πραγματείας auctores exhibentur. Auctor etiam valdè eruditus, subinde facit excursationes & digressiones Politicas.*) VEGETIUS de *re militari* L. V. Auctor est optimus, & methodo elegantissima utitur, accurateque omnia complexus est, unde etiam sequentibus ætatibus admirationi fuit. Plurima exhibet ex veteribus, studiosus Sallustii, cujus ad lectionem præcellit editio Petri Scriverii, sicut omnia exacta sunt, ad qvæ summus ille Criticus manus admovit. Qvod ad argumentum, multa industriè in eruditis suis notis explicavit, ad ectis figuris God. Stewechius. Germanicè versus in der Krieges Kunst der Waldhausen reperitur.

IX HISTORICI GRÆCI recensentur à Vossio *de Hist. Gr.* L. II. C. 17. §. 19 Nominabimus tantum, qui exstant. De Eusebio supra dictum, ut & de Jamblicho. (*Fuit & alius Jamblichus, qui Babylonicè scripsit. Servata sunt illius opera in Palatio Escuriali Regis Hispaniarum, qvæ Regina Svecia maximis sumptibus redemit, qvod unicum illud exemplar exstaret in tota rerum natura, qvorsum nunc delatum fuerit, nescio, pertinet hic Jamblichus ad seculum II.*) EUNAPI-

NAPIUS Scriptor *vitæ Sophistarum*. Scripsit & aliud opus *contextæ historiæ*, incipiens, ubi Herodianus defecerat. Ajebant illud opus Venetiis adservari, sed nihil potuit reperiri, cum ab eruditissimis viris id perquirerem. Fragmentum ex illo opere edidit Andr. Schottus de *Legatis*. Optima editio Commeliniana. Contraxit invidiam aliquam, qvod in Christianos iniquior esset. MARCELLINI *de Thucididis vita & in Hermogenem Commentarii* præmitti solent historiæ Thucydidis; libellus περὶ ἰδέσεων est eruditus valde in Hermogenem; Aldus edidit. An auctor sit AMMIANUS ille MARCELLINUS, qvi patria Græcus fuit, non constat. De PATRUM historiis non opus est sermonem ordiri. PALLADII *Lausiaca* Meursius edidit, quæ magni æstimata olim historia & in Ecclesiis legi solebat ob vitas Sanctorum. SOPHRONII versio Græca libri Hieronymi de *Scriptoribus Eccles.* & *vita Hilarionis*. Historicos Latinos recenset Vossius de *Hist. Lat. L. II. c. 7. 8. 9. 10.* *JULIUM CAPITOLINUM, ÆLIUM LAMPRIDIUM, Fl. VOPISCUM, VICTORES* duos, *EUTROPIUM, SEXT. RUFUM, AMMIAN. MARCELLINUM, DEXTRUM VIGILIUM.* (*De sex illis Scriptoribus Historiæ Augustæ sapius dictum; de VICTORIBUS omnium præclarissimè meritus est eximio opere & eruditissimis notis Andr. Schottus. EUTROPIUS à Paulo Diacono interpolatus, malo exemplo, unde viris doctis nata cura, eum seorsim edendi, qvod fecit Fr. Sylburgius in Scriptoribus Hist. Aug. minoribus. In AMMIANO MARCELLINO laudatur candor, judicii gravitas & experientia rerum; qvod autem præclarè intelligit, vix satis eloqvi potest. Præclarissimè de Ammiano emaculando meritus est Lindenbrogius, sicut & alia præclara opera edidit; postea magnam laudem meruit H. Valesius, qui adhuc inter doctos Galliæ viros vivit. Hic præsertim de officiis Domus Augustæ, qvoniam illa materia à nemine uno ex Veteribus Historicis præter Ammianum plenè est tractata, post curas doctorum virorum Gutherii, Bulengeri de Imp. & Imp. Greiseri in Codinum, eximia & aliis prorsus nondum notata adjecit.* DEXTRI *opus, prodiit Parisiis in folio, dubitant tamen eruditi, an sit Scriptor hujus seculi.*)

X. Inter INVENTA hujus seculi non debet perdere memoriam sui operis GULFILAS, de qvo Socrates L. IV. c. 33, Τόπε ἦν καὶ ὐλφίλας ὁ τῶν γότθων ἐπίσκοπος, γράμματα ἐφεύρε γοτθικὰ; καὶ τὰς θείας γραφὰς εἰς τὴν γότθων μετεβαλὼν, τὸς βαρβάρες μανθάνειν τὰ θεῖα λόγια παρεσκεύασε. Isidorus in *Chronico* inde: *Tunc Guilphilas eorum Episcopus literas condidit & Scripturas V. & N. T. in eandem linguam convertit.* Ex illa versione nihil hodie supereſt, præter qvatuor Evangelia, qvorum codex rarissimus & incomparabilis Pragæ asservatus, & postea in Sveciam deportatus fuit. Scriptus est majusculis literis inauratis, reliqvus color violaceus est in membranis; adeò autem sunt ant qvæ, ut oculos ferè fugiant. Est & alius Codex apographus recentior, ex priori descriptus. Licuit nobis in Bibliotheca Svecica eum inspicere, formam literarum exhibuit doctissimus Olaus Wormius.

XI. ACCURSIANA VERSIO avo qvæ Constantini & Theodosii regnis effecta creditur; vid. Vossium de Philol. c. 7. p. 57. (Scripsit Demetrius quidam

quidam ἱερογλύφων, quem una cum anonymo uno opere edidit Rigaltius *de re Accipitraria*; edidit de eadem elegantissimum carmen Thuanus ille, qui in historia scribenda præclarum nomen meruit. Constantinopoli deinceps officium fuit, ut hodie, der Falckenmeister.

XII. Circa MEMORABILIA ALIA seculi hujus Quarti Cunradi Lycosthenis cura hic semper nominanda est, in PRODIGIIS & aliis NATURÆ MALIS memorandis, in quibus aliqua animadversione opus habent. Ut illud: *Circa hæc tempora in Laterana visa manus invisi* (non conspecti) *auctoris, quæ ad parietem scribebatur cunctis videntibus simulac legentibus: Hodie venenum Ecclesiæ infusum est. Et hoc illa die cum Constantinus M. Imp. Sylvestro Pontifici dedit Ecclesiæ Romanæ palatium Lateranum, urbem Romam ac Italiæ provincias.* Ex Malleolo homine valde novitio de *nobilitate*. Sed cum Pontificii ipsi (vide Baronium ad A. C. CCCXXIV.) donationem illam Constantini ficitiam fateantur, facilè apparet, cujus generis hoc sit. (*Sunt scilicet nugæ canoræ & quamvis nonnulli Pontificii negent, se niti refutatione Baronii, eruditiores tamen quoq; inter quos Petavius & P. de Marca Archiepiscopus Tolosanus inter Clericos hodie doctissimus, disertis verbis vocat CONFICTAM illam donationem, quæ in adolescentiori ætate etiam mihi semper suspecta fuit, cum neminem esse ex Veteribus viderem, qui meminerit; unde miratus sum Gesselium in Historia Ecclesiastica nobissime non dubitasse magno cum periculo & damno existimationis suæ illam fabulam reponere, quam nemo non observat nimis crude ad stabiliendam illam hypothesin Calvinianam de eliminandis ornatibus templorum accommodari; mirum proinde est, scriptorem, qui in tam magno argumento aliquid præclari promittit, tales nugas in media luce literarum adferre.*) INCENDIUM ROMÆ ORTUM, quo conflagravit *templum Fortunæ*, eiq; adjuncta SEDITIO MILITARIS à Maxentio repressa describitur à Zosimo L. II. p. 49. EXUNDATIONEM MARIS NOTABILEM describit Ammianus Marcellinus L. XXVI. c. 31. & ex eo Thomas Rivius *Hist. nat.* medio L. II. c. 15. qui eandem sane memorabili Dissertatione allatis similibus exemplis illustrat. Portenti instar est MOSIS CRETENSIS facinus, descriptum Socrati & ex eo Th. Rivio *Hist. natal.* medio L. II. c. 15. De INDICTIONUM tempore & causa institutionis varia disputarunt Scaliger de *Emendatione temporum* & in *animadversionibus* ad Eusebium; Calvisius, Baronius in A. C. CCCXII. ubi nota Spondani videnda. Vossius dissert. de *nat. anno Christi* §. 4. breviter: *Cyclus indictionis est Systema trium lustrorum quinquennalium seu annorum XV. unde & πεντακαιδεκαετηρὶς nuncupatur, nomen à tributis & pensionibus, quas Constantinus ejusq; successores indicerent.* Nam ridiculum est, quod apud Constantinum Porphyrog. in II. *de Thematibus* & alios legas, ἔνδικτον, quasi ἀνάκτων, ab Actiaca victoria dici, quasi non indictiones multo sint Augusti temporibus recentiores. Dion. Petavius *Rationario Temporum P. I. L. VI.* c. 1. egregiam habet dissertationem, sed ingenuè fatetur, nihil certum seu probabile adferri. NUMMUS CONSTANTINI, qui putatur, à Josepho Scalig. examinatus *in Epistola*. PATRICII TITULUS: Κωνσταντῖνος πρώτος τούτῳ ἐπινοήσας καὶ τῷ τιμῷ καὶ σεμνοῦ τὰς τούτου ἠξιωμένους τῶν τῆς αὐλῆς ὑπάρχων νομοθετήσας. v. Zosimum L. II. p. 68. & pleraque congesta Meursio in *glossario Græco Barbaro*, voce πατρίκιος. (*Fuit hoc nomen novo scil. illo significatu magnæ potestatis & officii, in Carolum M. quoque Romæ translatum.*)

SECULI QVARTI, & cum eo HISTORIÆ BOECLERIANÆ FINIS.

SOLI *AUTEM* DEO GLORIA *SINE FINE*.

(O)

MUTUÆ
ILLUSTRIUM VIRORUM,
F. PAULI SARPII,
VENETI,
ET
ISAACI CASAUBONI,
EPISTOLÆ,
QVANTUM HACTENUS CONSTAT, NONDUM PUBLICATÆ;
QVAS EX AUTHENTICO
IN USUM BONI PUBLICI
EDIDIT
JOHANNES Gottlieb MÖLLERUS.

ROSTOCHII,
Typis JOH. WEPPLINGII, Univ. Typogr.

Universitäts-Bibliothek Rostock

FRATER PAULUS VENETUS

JSAACO CASAUBONO.

S. P. D.

SAnè magno gaudio affectus sum, cum jam annum te in Angliam transmigrasse audivi. Timebam tibi, si Italum aërem inspirasses, ut constitueras. Sæpè in animum induxi meum, ut studia tua aliquibus literis interturbarem, unde semper distuli, majorem opportunitatem exspectaturus; Nunc id facere cogor, ut pro tuis literis prid. Kalendas Majas datis gratias agam. Et ne putes, nos incuriosos esse eorum, quæ istic scribuntur, Epistolas Tuas ad *FRONTONEM* & ad *PERRONIUM*, legi, & apud me habeo. Hujus postremæ exemplar à te missum mihi carius erit, ut à te profectum, & manu tua subscriptum. Profuerit libellus ille multis bonis viris, qvi inviti errant; Nam vir, ad quem scripsisti, licet multis nominibus, nullum ex eo fructum percipiet, cum voluntas ivaderi non possit.

Quod in Baronium scribere paras, gaudeo, & pergere hortor, licet illum antagonistam dignum te non putem. Sæpè ipse mecum animo volutavi, quid causæ esset, cur in magna existimatione apud plerosque sit, absque ullo suo merito, ne dicam absque ulla culpa; cum, quid in tam magno opere laudandum foret, videre nequirem. Nulla pars est, quæ confutari non possit, solo adminiculo eorum, quæ ab eodem proferuntur. Nullus est parvi vel magni nominis Historicus, quem non sæpè commendet, & sæpius confutet. Mitto adulterina & detorta testimonia, prolixitatem maximè fastidiosam, & judicia perversa ac insulsa, quæ nemo in Historia ferre potest. Pædagogiam in lectores petulanter exercet, quos singulis passibus intempestivè sistere jubet. Divinæ providentiæ consilia in bonis distribuendis

endis & malis infligendis ad solius Papatus rationes adstringit. Reliquum, video fortunam bonam illi favorem conciliasse, quæ adhuc illum sequitur, cum Tu illius scripta oppugnare instituis, nam magni Æneæ dextra cadet. Cadet tamen in publicam utilitatem opus tuum procul dubio; verùm quod illum fraudis & doli mali convincere paras, vereor, an probaturus sis iis, qui morum hominis gnari fuerint. Vellem potius levitatis & temeritatis accusares. Ego illum Romæ novi, anteqvam honoribus manum daret, & prurigine scribendi tentaretur, cum solius animi tranquillitati & puritati conscientiæ daret operam. Nunquàm hominem vidi simpliciorem, quem univoco verbo tibi exprimam. Nullas habebat opiniones proprias, sed eas è conversantibus sine delectu sumebat; quas tamen quasi proprias & bene perfectas, pertinaciter defendebat, donec alias jussus potius fuisset, quam edoctus. Si multi prudentes & cordati fatali poculo ebibito, spiritu vertiginis circumacti sunt, minimè mirum, si miser unicus purpureis laqueis commune malum effugere non potuit. A dolo malo abfuisse crediderim, à levitate & temeritate minimè. Hæc, ut ad amicum, liberius, & ultra epistolii modum scripsi. Tu veniam dabis.

Quod sapientissimi REGIS benevolentia fruaris, Tibi gratulor ex animo. In eo (rarum) cumulatæ sunt virtutes Principis & Viri. Regum idea est ad quam fortè anteactis seculis nemo formatus fuit. Si ego ejus protectione dignus essem, nihil mihi deesse putarem ad mortalis vitæ felicitatem. Tu Vir Præstantissime, nihil te dignius efficere potes, qvam tanto Principi mea studia commendare. Deum veneror, ut Illi & Soboli vitam incolumem & diuturnam donet, & tibi favores Illius adaugeat. Vale, & me, Tuum cultorem, eadem benevolentia prosequere.

JSAACUS

ISAACUS CASAUBONUS VIRO VENERANDO P. PAULO VENETO S. D.

QVo rariores Tuas accipio, PAULE PRÆSTANTISSIME, eo gratiores illas experior, quanquam, vel si quotidie ad me scriberes, rem mihi faceres semper gratissimam. Optavi aliquando Italiam vestram, Venetias cumprimis, illum Italiæ ocellum, invisere; sed non tenuit me unquam tanta cupiditas illorum locorum videndorum, quantum fuit in me desiderium Tui videndi, & sermones Tecum de rebus gravissimis serendi. Ex quo primum scripta Tua legi, sum captus admiratione Tuæ singularis doctrinæ & judicii excellentissimi, quo excellis; cum tempore

re crevit illa admiratio, non parum iis literis confirta, quas variis temporibus à te accepi; postrema vero Epistola Tua paucos ante dies mihi reddita, ut Te dignissima, ita mihi accidit longè gratissima.

Non poteras Baronium magis graphicè depingere, qvam feciſti paucissimis verbis. At vulgus imperitum, ut scis, in admiratione illorum ANNALIUM stupet; vulgus cum dico, etiam multos intelligo, qui se plurimum sapere in literis videri volunt. Nam quotus quisque est hodie τῶν παρομαιτῶν, qui de illo Scriptore Annalium non dicet, quod olim de Pythâgora: αὐτὸς ἔφα. Vidisti novissimam Conciliorum editionem, & flagitia in illa admissa, propter unius Baronii auctoritatem; Sed dudum observavi, omnes illos, quibus summæ pietatis est, adorare τὸν τῆς ἐπαλόφω κύριον; id totis viribus agere, ut omnia Historiæ Ecclesiasticæ antiqua monumenta, præ uno Baronio nihili esse facienda cunctis mortalibus persvadeant. Et meritò illi quidem! Nam causæ Pontificiæ nullus, ne cogitari quidem potest animosior illo Scriptore defensor, omnia confert, imo trahit, omnia audet, imo fingit, in illum unicum finem, ut valde mirari soleam pati Reges & Regum Consiliarios tantum pestilentissimæ doctrinæ Magistrum tanto ubique esse in pretio; Omnino θεήλατον ei hoc πάθος. Fit enim ex hoc justissimo Dei judicio, ut qui mendaciis & fabulis anilibus in negotio religionis delectentur, iidem hæc quoque pernitiosa venena Omnipotentiæ Pontificiæ à suis subditis hauriri atqve imbibi patiantur.

Eqiv-

Eqvidem de illis Annalibus sic semper judicavi, ut in eo Auctore, qvid præter diligentiam probarem, nihil omnino invenirem. Apparet, ei propositum fuisse omnia colligere, bona, mala, vera, falsa, nullo discrimine recti. Veri judicii qvanta laboraret inopia, in apparatu ipso statim ostendit. Vix attingit, qvod erat necesse, gravissimas qvæstiones, & multum perdit verborum, ut, qvæ erant per se clara, aut certè non adeò obscura, tenebris involvat, & congerie mendaciorum verum abscondat. Josephum, scriptorem gravissimum, qvod ejus simplex & vera narratio, vanissimis, qvos instituit, epilogismis non congruat, Præsides Syriæ cum Judææ Procuratoribus puerili errore confundens, mendacii reum agere conatur, qvi suas ineptias atque fatuitatem accusaret melius. Atque ut uno verbo dicam, πολυγραφίαν suam ita ubique ostentat, ut simul linguarum & meliorum disciplinarum & artium imperitissimum se fuisse probet. Et hic tamen est Baronius, ê cujus rhaphodiis volunt hodie nos pendere, quibus Omnipotentiæ Pontificiæ commentum placet. Nos igitur amore veri flagrantes, id nunc agimus, ut scopum illorum Annalium aperiamus, &, quanti parens illorum fieri debeat, doceamus. Qvo in proposito eam moderationem tenemus, ut præter Dei gloriam nihil quæsiviisse nos, facile omnes sint intellecturi, si ad breve tempus ὁ διάβροτος Jesus Christus vitæ usuram concesserit. Videbis quæ in primum Tomum scripsimus; id caput est totius operis, quod, si probaveris

verimus vix aliquid sani habere, de cætero corpore quid sit judicandum, non erit adeò difficilis conjectura.

Arduum est opus, quod incepi, vel propter congestarum in id rerum copiam. Sed mihi bonitas causæ animos facit, & cumprimis Sereniſſimi Sapientiſſimique REGIS Majestas, quem & auctorem habeo nobilis incepti & assiduum ἐργοδιώκτην. Scit Princeps, pietate & doctrina Excellentissimus, quanti Christianæ Reipublicæ interſit, Baronio detrahi personam, ut talis omnibus appareat, qualis est revera, non qualem ipsum stulta hominum persuasio fingit. Hoc igitur MAJESTAS ipsius mihi muneris mandavit, ut meam in eo negotio occuparem industriam. Existimat enim REX non alibi melius quam in illo argumento omne id, quantulumcunque est literarum, quod Dei beneficio sum consecutus, posse occupari. Spero Deum immortalem conatibus affuturum meis; ego certe cupiditate ardeo incredibili, efficiendi, ne ejus benignitatis, quam mihi quotidie exhibet, REGEM prudentissimum possit aliquando pœnitere.

Gratissimum vero mihi fuit ex literis tuis cognoscere, de Tanto PRINCIPE non aliter te ex ejus scriptis & hominum sermonibus judicare, quam hic optimus quisque facit eorum, quibus assiduo usu pietas, virtus Ipsius & doctrina sunt notæ. Plane ita est, ut scribis. Qvod qværit Philosophus, an cadat in Principem laus viri boni, eam controversiam REGIS hujus

jus exemplum prope unicum decidit; quippe nulla est aut Viri boni laus, aut boni Principis, qua non sit REX JACOBUS dignissimus. Cui ego tuum de ipsius Majestate judicium, cum significassem, magnam optimum Principem ex verbis meis animadverti capere voluptatem. Magni enim te, *Paule Venerande*, REX sapientissimus idemque doctissimus facit, ut nemo mirari debeat, gratum ipsi esse â tam laudato Viro laudari. Cum autem verba hæc in extrema Epistola tua ipsi ostendissem; *Si ego Ejus protectione dignus essem; nihil mihi deesse putarem ad mortalis vitæ felicitatem*; Statim jussit me REX de sua erga te benevolentia omnia tibi prolixe polliceri. Optare quidem se, ut popularibus tuis face virtutum tuarum præluceas, quod fecisti hactenus, si tamen aliter eveniat, scire vult Te Sereniſſimus REX, paratum tibi esse in ipsius magnificentissima liberalitate solatium, & scito scripsisse ejus Majestatem ad suum, qvem isthic habet, Oratorem, ut nulla in re tibi desit. Experire, si necesse sit, senties REGI JACOBO ad bene merendum de bonis longas esse manus. Oro supplex DEUM OPTIMUM MAXIMUM, ut Principem, natum in exemplum maximarum virtutum terris qvam diutissime concedat; Idemq; Te servet, *VIR VENERANDE*. Vale. Londini Kalendis Julii cIↃ IↃC XII.

INDEX PRIOR SECTIONUM

SECULI PRIMI

exhibentur

I. Chronologia, pag. 1
II. Romana, 2
III. Externa, 6
IV. Ecclesiastica, 9
V. Viri celebres, literæ, artes, inventa, & alia, 23

SECULI SECUNDI.

I. Chronologia, 41
II. Romana, 41
III. Externa, 53
IV. Ecclesiastica, 56
V. Viri celebres, literæ, artes, inventa, & alia. 69

SECULI TERTII.

I. Chronologia, 85
II. Romana, 85
III. Externa, 105
IV. Ecclesiastica, 109
V. Viri celebres, literæ, artes, inventa, & alia. 120

SECULI QVARTI.

I. Chronologia, 129
II. Romana, 129
III. Externa, 155
IV. Ecclesiastica, 157
V. Viri celebres, literæ, artes, inventa & alia. 167

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn746330790/phys_0221
DFG

INDEX POSTERIOR
RERUM ET VERBORUM,
Ubi NUMERUS ROMANUS PRIOR, SECULUM, *POSTERIOR*, *SECTIONEM*; *NUMERUS BARBARUS PRIOR*, SECTIONIS PARAGRAPHUM, *POSTERIOR* PAGINAM designat.

A.

Accipitraria Venatio, celebris Seculo Quarto *in Seculo* IV. *sectione* V. §. 11. p. 175.

Acosta, qvid de eo habendum. I. IV. 15. 17.

Adamiani, eorum hæresis. III. IV. 11. 113.

Adrianus (*Imp.*) ejus vita II. II. I. 41. ejus leges. II. II. 1. 42. II. II. 8. 49. utrum Trajano anteferendus, an postponendus? II. II. 1. 44. ejus monumenta. II. V. 15. 83. magiæ amator II. V. 16. 83.

Aerius ejus hæresis IV. IV. 6. 163.

Ægesippus. ejus Scripta investigata. II. V. 3. 72.

Æleagabalus Nomen idoli ab Heliogabalo culti. III. II. 3. 89.

Ælianus (*Claud*) ejus opera indagata. I. V. 9. 76. variæ ejus editiones commemoratæ, II. V. 9. 77.

Æmilianus (*Imp.*) ejus historia. III. II. 7. 96.

Æra, vide *Dionysiana*.

Africanus Stylus, ejus indoles II. V. 13. 83. III. V. 2. 122.

Alemanni, eorum res gestæ ad Seculum tertium pertinentes. III. III. 9. 108. qvando nomen illorum auditum *ib.* qvinam designentur hoc nomine populi. *ib.*

Alexander Mammæa (*Imp.*) ejus adoptatio. III. II. 3. 90. ejus vita. III. II. 4. 91. ejus leges. III. II. 18. 103 in Christianos favor. III. II. 18. 104

Alexander Phryx, (Imp.) ejus vita. IV. II. 1. 132.

Alexandrina Ecclesia. Episcoporum in ea series in seculo secundo II. IV. 4. 61. In Seculo tertio III. IV. 6. 112. In Seculo quarto IV. IV. 8. 165.

Allegoria, earum nimium studium improbatum III. IV. 11. 115.

Ἄλογοι, eorum hæresis. III. IV. 11. 113.

Ambrosius, ejus in excommunicatione Theodosii animositas IV. IV. 5. 159. Ejus opera indagata IV. V. 3. 170. Ejus de *officiis* opus magni æstimatum à Boeclero *præf.* p. 5.

America, utrum olim fuerit habitata I. IV. 15. 17.

Amida, urbs, ejus obsessio. IV. II. 4. 146.

Ammianus Marcellinus, de eo judicium. IV. II. 4. 144. Ejus elogium. IV. II. 4. 147. & IV. III. 4. 157. ac IV. V. 9. 175. ejus opera indagata IV. V. p. 175.

Ammonius Alexandrinus, ejus harmonia laudata. III. IV. 1. 110. III. V. 2. 123.

Amphilochius, ejus opera indagata. IV. V. 3. 170.

Ancyranum Concilium, ejus historia. IV. IV. 13. 166.

Andro-

Andreas Cæsariensis, ejus opera indagata IV. V. 3. 170.
Andromachus, ejus elegia de *Theriaca* I. V. 8. 30.
Angelus Politianus, ejus in Qvintilianum præfatio laudata. I. V. 4. 26.
Angelici, eorū hæresis. III. IV. 11. 114.
Anomœi, eorum hæresis. IV. IV. *6.* 163.
Antidicomerianitæ, eorum hæresis IV. IV. *6.* 163.
Antiochena Ecclesia, Episcoporum in ea series in seculo secundo. II. IV. §. 62. in Seculo tertio. III. IV. 7. 112. in Seculo qvarto IV. IV. 9. 165.
Antiochense Concilium, ejus historia. IV. IV. 13. 166.
Antiochensis terræ motus. ejus descriptio. II. V. 17. 84.
Antiochenus (*Johann.*) ejus de Christo testimonium, cujus auctoritatis I. IV. 2. 9. qvid de ipso Scriptore habendū I. IV. 2. 10.
Antimachus, Adriano carus. II. V. 14. 83
Antinous, pro Adriano devotus. II. II. 1. 43.
Antoninus Pius (*Imp.*), ejus historia II. II. 2. 44. qua lege fuerit ab Adriano adoptatus. *ib.* unde *Pius* cognominatus *ib.* & II. IV. 6. 62. qvomodo Pater Patriæ dictus. II. II. 2. 45. ejus leges. II. II. 9. 50.
Antoninus Marcus (*Imp.*) unde *Philosophus* dictus II. II. 3. 45. ejus historia *ib.* ejus leges II. II. 10. 50. ejus mirabilis victoria adversus Qvados II III. 3. 55. qvid de ejus literis ad Senatum hoc fine scriptis habendum *ib.* & II. V. 16. 83. ejus Scriptum II. V. 9. 78. variæ ejus Scripti editiones, & de eo judicia *ib.* Magorum osor II. V. 16. 83. ejus elogium II. V. 17. 84.
Antoninus, qvantæ auctoritatis nomen Antoninorum fuerit apud Romanos. III. II. 1. 85. III. II. 3. 85.
Antonius Abbas, ejus opera indagata IV. V. 3. 168.
Antonius, Monachorum Parens III. IV. 13. 119.
Antwerpienses Patrum editiones, qvid de iis habendum. II. V. 3. 72. III. V. 2. 124.
Apellejani, eorum hæresis II. IV. 7. 66.
Aphrodisius (*Scribonius*) ejus historia. I. V. 3. 25.
Apollinarius, ejus hæresis IV. IV. 6. 163. ejus Opera indagata IV. V. 9. 163.
Apologiæ, Veterum pro Christianis. II. IV. 1. 57.
Apollonius, ejus Scripta indagata IV. V. 9. 79.
Apostoli minores. qvinam dicantur. I. IV. 15. 17.
Apostolici, eorum hæresis. III. IV. 11. 115.
Apotactici, eorum hæresis III. IV. 11. 115.
Appianus Alexandrinus, qvid de eo habendum II. V. 9. 77. ejus editiones *ib.*
Apulejus M. daurensis, ejus opera indagata. II V. 13. 82. variæ editiones *ib.*
Aratea translatio, ad qvem auctorem referenda. I. V. 7. 30.
Arcadius, ejus historia IV. II. 12. 153. utrum rectè Saporis filium commenda-

commendaverit IV. III. 6. 157.

Archi-Episcopus,
qvomodo vox hæc Epistolas antiqvis Romanis Episcopis tributas, falsitatis arguat II. IV. 6. 64.

Archium,
idem qvod Archivum III. II. 20. 104.

Archontici,
eorum hæresis II. IV. 7. 66.

Argentoratum,
illustre, prælio à Juliano ibi habito. IV III. 1. 155. qvomodo & *Argentoratus* & *Argentina* dicatur *ib.*

Arius,
ejus historia IV. IV. 6. 161

Ariani,
eorum hæresis IV. IV. 6. 161.

Aristides (*Qvintilianus*)
ejus MSCtum in Bibliotheca Argentoratensi I. V. 13. 39.

Aristides (*Hadrianensis*,)
ejus opera laudata II. V. 7. 75.

Arminius,
ejus res gestæ. I. III. 8. 8.

Arnobius,
ejus Scripta indagata III. V. 2. 122. variæ ejus editiones. *ib.*

Arrianus (*Nicomediensis*)
ejus opera indagata. II. V. 9. 76.

Artotyritæ
eorum hæresis II. IV. 7. 67.

Asper.
ejus historia. I. V. 5. 27.

Assessores,
qvid antiqvis notent, III. II. 18. 104.

Athanasius,
ejus opera indagata. IV. V. 3. 168.

Athenæus,
ejus Scripta indagata II. V. 5. 72. variæ ejus editiones *ib.*

Athenagoras,
ejus Scripta investigata II. V. 3. 71.

Athenodorus,
ejus historia. I. V. 13. 38.

Audiani,
eorum hæresis. IV. IV. 6. 162

Augustæ historiæ,
ejus Scriptores qvinam dicantur. III. II. 3. 89. IV. V. 9. 175. à qvibus illustrati *ib.* & III. V. 7 126. eorum elogium III. II. 4. 92. eorum opera indagata. III. V. 7. 126.

Augustinus,
ejus Opera indagata. IV. V. 3. 170.

Augustus (*Imp.*)
varia methodus annos ejus numerandi. I. II. 12. ejus historia. I. II. 2. 3. admirabilis sub ejus imperio pax *ib.* omnium sub eo artium flos *ib.* ejus in Imperio modestia. I. II. 2. 4.

Aurelianus (*Imp*)
ejus leges III. II. 19. 104. ejus adversus Francos victoria, III. III. 2. 105. III. III. 4. 106.

Aurelianus (*Cælius*),
ejus opera indagata II. V. 12. 80.

Aurelianus, L.
ejus in Tacitum cura taxata I. V. 10. 38.

Aurelianus (L. *Domitius*, *Imp.*)
ejus vita. III. II. 11. 97.

Aurelius (*Claud. Imp.*)
ejus vita. III. II. 9. 97.

Aurelius (*Quinctillus.*)
vid. *Quinctillus.*

Aurum Coronarium,
qvid notet II. II. 8. 49.

Ausonius,
ejus Opera indagata IV. V. 7. 173.

B.

Balbinus (*Cælius*,)
ejus Historia. III. II. 5. 94.

Balduinus (*Franciscus*,)
ejus de Constantino M. scriptum laudatum IV. II. 13. 154. & IV. IV. 1. 157.

Bardesianistæ,
eorum hæresis III. IV. 11. 114

Baronius,
ejus lapsus. I. IV. 4. 10. I. IV. 17. 17. II. IV. 7. 63. III. IV.

IV. 12. 117. IV. II. 1. 138. & pag. 139. de ejus in recensenda Pontificum Romanorum serie, methodo, qvid habendum? II. IV. 3. 60.

Barnabas,
de ejus Epistola, qvid sentiendum I. IV. 12. 14.

Barthius (*Caspar*),
ejus elogium. I. II. 4. 5. I. V. 10. 34. ejus lapsus in historia Claudii Imp. I. II. 4. 5.

Basilides,
ejus hæresis. I. IV. 22. 21.

Basileenses Patrum editiones,
laudatæ II. V. 3. 71.

Basilius M.
ejus opera indagata IV. V. 3. 169.

Beicht Zettel/
utrum licitè tradantur & accipiantur III. IV. 13. 118.

Berneggerus,
ejus elogium. I. II. 7. 6. I. V. 18. pap. 34. & 35.

Betulius,
ejus in Lactantium cura rejecta. III. V. 2. 122.

Betius (*Gregor.*)
ejus opera indagata. IV. V. 3. 169.

Bibliotheca
CRISTINÆ REGINÆ SVECIÆ laudata. IV. II. 3. 140. IV. V. 6. 172. *IV.* V. 9. 174.

Bibliotheca,
à TRAJANO & ADRIANO exstructæ IV. V. 15. 8.

Blondellus,
ejus Pseudo-Isidorus laudatus. I. IV. 13. 14. I. IV. 18 18. III. V. 2. 121. Singularia de ejus notis in Baronium I. IV. 13. p. 15. & 18. Excellens ejus eruditio commendata. I. IV. 13. 15. ejus vitulo qvomodo Vossius (: Isaac :) & Salmasius araverint. I. IV. 18. 18.

Bochartus (*Sam.*)
ejus elogium I. I. 1. 1. singularia de eodem I. I. 1. 1.

Boeclerus (*Johannes Heinricus*)
operis Ejus Historici, qvod index * hic respicit, Historia; p 3. *Præf.* methodus, qvam in hac ipsa historia qvoad recensionem rerum Romanarum observavit. I. II. 1. 3. qvousqve continuare voluerit hanc historiam II. II. 6. 49. Qvænam fuerint observata circa editionem Ejusdem Pr. p. 15. 16. Ejus Vita *Præf.* 3. & 25. Elogium *Præf.* 3. 10. 11. Parentes *Pr.* 5. scripta recensita *pr.* 8. & 30. Dissertationes SS. *pr.* 6. de Lingua Nov. Testamenti dissertatio commendata *pr.* 6. editio Novi Testamenti Græci commendata. *pr.* 7. utrum ei *Biblio-graphia Historico-Politico-Philologica* sit adscribenda. *pr.* 9. qvid de ejus operibus posthumis habendum *Præf.* 11. qva methodo usus fuerit in lectionibus. *pr.* 13.

Boeclerus (*Johan.*)
laudatus. *Pr.* 13.

Bolandus
de ejus vitis sanctorum qvid habendum II. IV. 8. 69.

Bonosius (*Qvinctus Imp.*)
ejus vita III. III. 13. 98.

Bosius (*Jo. Andr.*)
laudatus *præf.* 2.

Boxhornius,
Ejus nomen præferens editio Scriptorum historiæ Aug. non probatur. III. V. 7. 126.

Britannia.
res memorabiles in ea gestæ. I. III. 11. 8.

Brittones Armorici,
qvinam dicantur? IV. III. 3. 156.

Buchnerus
ejus elogium I. V. 5. 27.

Bulialdus
ejus elogium I. V. 10. 38.

Buleutarum
Jus, qvid notet? II. II. 12. 52.

Burgensis (*Paulus*),
ejus

ejus elogium II.IV. 7. 63.
Buxtorffius (Johannes Sen.)
ejus studium in solvendis difficultatibus Chronologico-Biblicis. I. I. 1. 1.
C
Cajani,
eorum hæresis II. IV. 7. 65.
Caligula (Imp.)
ejus vita. I. II. 4. 4.
Calvisius (Sethus),
laus ejus in rebus Chronologicis. I. I. 1. 1.
Calpurnius,
ejus opera indagata I. V. 6. 125. variæ editiones. ib.
Campugnarius (Pompejus)
qvomodo sub ejus nomine Hippolytus à Collibus lateat. I. V. 10. 37.
Candida Massa,
qvid denotet. III. IV. 13. 119.
Capellus (Ludovicus,)
ejus in Hebraicis ignorantia. I. I. 1. 1.
Capitolinus,
de eo judicium. II. V. 1. 70.
Caracalla (Imp.),
ejus historia III. II. 1. 85.
unde sibi nomen sumpserit Caracallæ III. II. 1. 86.
ejus leges. III. II. 16. 102
Carinus. (Imp.),
ejus vita III. II. 14. 99.
Carolus. M.,
qvomodo Patritii titulo insignitus. IV. V. 12. 176.
Carpocras,
ejus hæresis. I. IV. 22. 21.
Carus (Imp.),
ejus vita. III. II. 14. 99
Casaubonus,
de ejus in Baronium animadversionibus judicium. I. IV. 14. 15. ejus in Strabonem cura laudata. I. V. 9. 31.
ejus Comment. de re vestiaria promissus. III. V. 12. 128.
Cassius (Medicus),
ejus historia. I. V. 11. 38.
Cataneus.
ejus elogium. I. V. 5. 27.
Cataphryges,
eorum hæresis. II. IV. 7. 67.
Cathari, eorum hæresis III. IV. 11. 114.
Catholica Ecclesia,
qvid notaverit antiqvis II. IV. 6. 64.
Catomidiari,
qvid denotet. II. II. 1. 42.
Cedrenus.
qvid de eo habendum. IV. II. 1. 139.
Celsus (Cornelius).
Ejus Historia I. V. 12. 38. variæ Operum ejus editiones. ib.
Censorinus,
ejus Scripta indagata. III. V. 4. 125.
Census Romanus,
Qvid notet I. V. 17. 40.
Centuriatores Magdeburg.
de iis Judicium I. IV. 14. 16.
eorum elogium. I. IV. 8. 17.
Cerinthus,
ejus hæresis. I. IV. 22. 21.
Cerdoniani,
eorum hæresis II. IV. 7. 66
Chalcides,
ejus opera indagata. IV. V. 8. 174.
Chemnitius (Martinus),
laudatus. III. V. 2. 122.
Chronicon Alexandrinum,
de eo Judicium III. III. 2. 105.
Chronologicæ Controversiæ,
in historia sec. primi obviæ I. I. 1. 1 in Seculo secundo II. I. 1. 41. in Sec. tertio III. I. 1. 85. in Seculo qvarto IV. I. 1. 129.
Christus,
Chronologica disqvisitio de die ejus natali I. I. 1. 1. Circa tempora ejus ex Maria nativitatis, qvanta ubiqve fuerit pax. I. II. 2. 3. de ejus ad Abgarum epistola qvid habendum. I. IV 14. 1. qvomodo & unde paganis Chrestus dictus. I. IV. 21. 20.
Christiani,
qvomodo Judæi sæpè vocentur. I. IV. 21. 20. qvomodo Chrestiani dicti. ib.

Chri-

Christianismus,
de ejus per Apostolos propagatione l. IV. 15 16.
de ejus propagatione, in Seculis seqvioribus qvàm fabulosa multa referantur, *ibid.* utrum olim in America per Apostolos plantatus, l. IV. 15. 17.
Chrysostomus,
ejus opera indagata IV. V. 3. 171. ejus elogium *ibid* Qvanti ejus opera æstimata à Boeclero, *ibid.* operum ejus editiones: *ibid.*
Claudianus,
ejus opera indagata. V. V. 7. 174.
Claudius (*Imp.*)
ejus vita l. II. 4. 4. jurene an injuria ob stultitiam infametur. l. II. 4. 5.
Clemens (*Alexandrinus*),
ejus historia. III. V. 2. 122 variæ Operum ejus editiones *ibid.*
Clemens (*Romanus*),
de ejus ad Corinthios epistola per Junium edita qvid habendum l. IV. 13. 14. de ejus *Recognitionum Libris* qvid habendum. l. IV. 13. 14. & 15.
Clutenius (*Johannes*).
laudatus. IV. II 13. 154.
Codinus (*Georg.*)
ejus opera indagata. IV. II. 1. 140
Colonienſe Chronicon,
qvid de eo habendum. II. IV. 1. 57.
Colonienſis Patriciatus.
ejus antiqvitas fabulis stabilita. II. IV. 1. 57.
Colorbasii,
eorum hæresis. II. IV. 7. 65.
Columella,
ejus historia. l. V. 13. 39.
Collyridiani,
eorum hæresis IV. IV. 6. 163.
Commodus (*Imp.*)
ejus historia II. II. 4. 47.
Concilium,
Apostolicum. l. IV. 24. 23.
Constantinopolitanum primum, ejus historia IV. IV. 12. 166.
Antiochenſe vid. *Antioch.*
Gangrenſe vid. *Gangrenſe*,
ut & reliqva concilia sub nominibus suis specialibus qvære.
Conringius (*Herm.*)
ejus elogium *Pr.* 10.
Constans (Imp. Constantini M. Filius)
ejus historia IV. II. 2. 141.
Constantio (*Chlorq*, *Imp.*)
ejus vita III. II. 15. 100. IV. II. 1. 129. ejus adversus Francos res gestæ III. III. 8. 108.
Constantinus M.
ejus historia IV. III. 129. utrum ex legitimo matrimonio genitus *IV. II.* 1. 130. ubi natus fuerit IV. II. 1. 131. visio, qvâ crux ipsi ostensa & vox audita, considerata IV. II. 1. 134. vitia qvibus indulserit IV. II. 1. 136. qvid de ejus baptismo & lepra sanata habendum IV. II. 1. 139. ejus leges IV. II. 13. 154. adversus Francos victoria, IV. III. 1. 155. in Ecclesiâ merita IV. IV. 4. 158. Donatio, qvæ Sylvestro facta creditur, ab ipsis Pontificiis rejecta IV. V. 12. 176. miracula qvibus Donatio dicitur firmata, IV. V. 12. 176. ejus nummus memorabilis. IV. V. 12. 176.
Constantinus (*Constantini M. Filius*)
ejus historia. IV. II. 2. 141.
Constantius (*Constantini M. Filius.*)
ejus historia IV. II. 2. 141. IV. II. 4. 143.
Constantius Gallus (*Constantii Chlori Imp. Nepos.*)
ejus historia IV. II. 4. 144.
Constantinopolis,
urbis origo & splendor IV. II. 1. 139. ejus historia fabulis intermixta *ibid.*
Constantinus (*Porphyrogenitus Imp.*) de

de compendiis ejus jussu adornatis qvid habendum? I. III. 10. 8.
Corona filiginea,
Qvænam III. V. 12. 128.
Crassitius (Lucius),
ejus historia. I. V. 3. 25.
Cresollius,
ejus elogium, I. V. 4. 26.
Crispus,
qvomodo à Constantino interemptus? IV. II. 1. 137.
Crucæus,
ejus in Statium cura improbata. I. V. 7. 30.
Crux Christi,
qvomodo honorari debeat licitè? IV. II. 1. 134.
de ejus inventione qvid habendum? IV. IV. 4. 159.
Cujacius (Jac.)
ejus de Papiniano Scriptum laudatum. III. II. 1. 86.
Cunæus (Petrus),
ejus de Melchisedeco sententia. III. IV. 11. 114. nimius ejus in Julianum favor reprehensus. IV. II. 4. 146.
Curtius,
de eo judicium I. V. 10. 35.
ejus editiones. *ibid.*
Cyprianus,
qvantus æstimator Tertulliani? III. V. 2. 121. de eo judicium. *ib.*
Cyriades,
Tyrannorum XXX. præcipuus, ejus historia, III. II. 8. 96.
Cyrillus Hierosolymitanus,
ejus Opera indagata IV. V. 3. 169.

D.

Damasus,
ejus opera indagata IV. V. 3. 170.
Decius (Imp.)
ejus vita III. II. 6. 95. III. II. 7. 95.
Delmatius,
ejus historia, IV. II. 2. 141.
Demetrius,
ejus Scripta indagata IV. V. 11. 176.
Devotio,
qvidapud Veteres fuerit? II. II. 1. 43.
Dexippus.
laudatus III. V. 7. 126.
Dexter,
ejus Opera indagata. IV. V. 9. 175.
Diadochius,
ejus opera indagata. IV. V. 3. 171.
Didymus.
ejus opera indagata III. V. 3. 169.
Dimœritæ.
eorum hæresis, IV. IV. 6. 163.
Dionysiana æra,
unde dicatur I. I. 2. 2. qvid de ea sentiendum. *ibid.*
Dio Cassius,
ejus laus I. II. 2. 4. ejus editiones II. III. 1. 53. III. V. 7. 126.
de eo judicium III. V. 7. 126.
Dionysius (Alexandrinus)
ejus opera indagata. III. V. 2. 124.
Dionysius (Halicarnassæus)
ejus historia. I. V. 6. 27.
Dionysius (Alexandrinus, περιηγητής)
singularia de eodé. I. V. 8. 30
Dio Prusæus,
ejus historia. I. V. 6. 27.
Diocletianus (Imp.)
ejus vita III. II. 15. 99. ejus adversus Francos res gestæ III. III. 8. 107.
Diogenes Laërtius,
de eo judicium. II. V. 9. 77.
ejus editiones. II. V. 9. 78.
Diogenianus,
ejus opera indagata II. V. 9. 77.
Domitianus (Imp.)
ejus vita. I. II. 7. 5.
Donatus (Ælius)
ejus opera indagata. IV. V. 5. 172.
Donatiani,
eorum hæresis. III. IV. 11. 114.
Dorotheus,
ejus opera indagata III. V. 2. 124.
Drusius (Johannes)
ejus elogium IV. V. 3. 170.
Dudithius, ejus

ejus elogium. II. V. 7. 75.
ejus judicium de Sturmio sub censuram vocatum *ib.*

E.

Ebion,
ejus hæresis. I. IV. 22. 21.
Ecclesia,
qvæ in ea floruerit doctrina Seculo primo. I. IV. 16. 17. qvæ in seculo secundo. II. IV. 1. 56. qvæ in Seculo tertio. III. IV. 1. 109. qvæ in Seculo qvarto. IV. IV. 2. 157. qvinam ritus in ea floruerint Seculo primo. I. IV. 17. 17. Seculo secundo. II. IV. 1. 56. Seculo tertio III. IV. 1. 109 Seculo qvarto. IV. IV. 2. 157. qvodnam regimen in ea viguerit Seculo primo. I. IV. 18. 17. qvanta incrementa acceperit in Seculo qvarto, IV. IV. 4. 158.
Edictum perpetuum,
qvid notet. II. II. 12. 52.
Ehingerus,
de ejus in Libanium cura qvid habendum. IV. V. 6. 172.
Elogia,
quid antiqvitus notaverint IV: II. 4. 147.
Encratitæ,
eorum hæresis II. IV. 7. 67.
Enenckelius,
Baro, qva occasione *Sejanum* scripserit. I. V. 2. 24.
Ephræmus (Syrus,)
ejus opera indagata. IV. V. 7. 169.
Epiphanes
hæreticus, Secundianis carus. II. IV. 7. 65. ejus elogium. *ibid.*
Epiphanius,
disqvisitio circa ejus locum de Petro & Paulo primis Romæ Episcopis. *I. IV* 18. 18. ejus in consignandis hæresibus diligentia laudata. I. *IV.* 22. 21. *IV. IV.* 6. 164. de ejus hæresium Catalogo judicium. I. *IV.* 22. 21. III. *IV.* II. 114. & 115. *IV. V.* 3. 170.
Episcopus,
de Episcopis & Presbyteris controversia; qvid de ea habendum. I. IV. 18. 18. qvotupliciter vox Episcopi & Episcopatus sumatur *ibid.* eorum in præcipuis Ecclesiis successio qvare notanda? II. IV. 2. 58.
Epistolæ Synodicæ,
earum historia II. IV. 6. 64.
Epitomator,
qvid generaliter de eorum studio judicandum. I. III. 10. 8. crebri eorum lapsus I. IV. 2. 10.
Erasmus,
qvid de ejus paraphrasi ad Epistolas Novi Testamenti habendum, I. IV. 9. 13. ejus in stylo Patrum dignoscendo felicitas. IV. V. 3. 168. editiones Patrum ab illo publicatæ qvanti æstimandæ. IV. V. 3. 169.
Erustius (Heinricus,)
ejus elogium I. V. 3. 25. ejus in Lactantium cura laudata. III. V. 2. 122.
Evagrius,
Presbyter Antiochenus. III. III. 5. 106.
Eugenius,
turbæ ab eo excitatæ. IV. II. 11. 152.
Eumenius,
ejus Scripta indagata. IV. V. 6 173.
Eunapius,
ejus opera indagata. IV. V. 9. 175.
Euphemitæ,
eorum hæresis. IV. IV. 6. 164.
Europa,
res in ea gestæ Seculo secundo. II. III. 3. 55.
Eusebius (Pamphili,)
qvid de ejus Chronico habendum. II. IV. 4. 62. III. IV. 5. 111.
ejus historia IV. V. 3. 167.
qvid

qvid de eius Operibus habendum, *ibid.*
Eutropius,
lex eo suggerente lata, qvæ ipsimet nocuit. IV. II. 13. 155.
ejus Scripta & Scriptorum editiones indagantur. IV. V. 9. 175.

F.

Faber (Petrus),
ejus opus ἀγωνιστικὸν commendatum. I. V. 14. 39.
Fames,
ingens Romæ. I. V. 17, 40.
Fasti dies, ab Antonino Philosopho amplificati. II, II. 10. 51.
Faustina,
ejus impudicitia II. II. 3. 46.
Ferrarius,
ejus de *Re vestiaria* Commentarius sub censuram vocatus. III. II. 3. 90.
Firmus (Imp.)
ejus Vita. III. II. 11. 97.
Firmus,
sub Valentiniano turbarum excitator. IV. II. 7. 151.
Fiscus,
qvomodo Principum ærarium vocatus. II. II. 8. 50.
Flaccus,
ejus historia. I. V. 7. 30.
Floscus (Andr. Dominic.)
Auctor Libri de *Magistratibus Romanis*. I. V. 10. 84.
Florianus (Imp.)
ejus vita. III. II. 12. 98.
Florus (Lucius Annæus,)
ejus Scripta indagata. II. V. 10. 79 de eo judicium. *ibid.*
Formica Indica,
horrendæ magnitudinis. I. V. 10. 36.
Fortunatius,
ejus opera indagata. III. V. 5. 125.
Franci,
eorum res gestæ qvæ in Seculum tertium congruunt. III. III. 1. 105. seqq. Germanorum nomine insigniti. III. III. 2. 105. eorum res ad Seculum qvartum pertinentes. IV. III. 1. 155.
Freinshemius,
ejus in Curtium cura commendata. I. V. 10. 36.
Frontinus,
ejus historia. I. V. 13. 39.

G.

Gabinianus,
ejus historia. I. V. 5. 27.
Galba, (*Imp.*)
ejus vita. I. II. 6. 55.
Gallandius,
ejus in Qvintilianum cura laudata. I. V. 4. 26.
Galenus,
ejus opera indagata. II. V. 12. 80. variæ editiones. *ibid.*
Gallus (Imp.)
ejus vita. III. II. 12. 98.
Gallienus (Imp.)
ejus historia. III. II. 8. 96.
ejus adversus Francos res gestæ. III. III. 3. 105. sub ejus imperio Francorum felix expeditio. *ibid.*
Gallus (Asinius),
ejus historia. I. V. 5. 27.
Gallus (Cornelius)
ejus historia. I. V. 5. 7.
Galli,
eorum res gestæ. I. III. 7. 7.
Gallia Rex,
nunqvàm à Pontifice excommunicari potuit. IV. IV. 5. 160.
Gallica Patrum editiones,
laudatæ. II. V. 3. 72.
Gangrense Concilium
ejus historia. *IV. IV.* 13. 166.
Gaudentius,
ejus opera indagata. IV. V. 3. 171.
Gellius,
defensus. I. V. 13. 39. qvodnam ejus genuinum nomen. II. V. 6. 74. de ejus noctibus judicium. *ibid.*
Germani,
eorum res gestæ. I. III. 7. 3.
Gerhardus (Johannes),
ejus harmonia laudata. II. IV. 6. 63. ejus LL. Theol. laudati. IV. IV. 5. 160. magni semper Bœcleroæstimatus. *Præf.* 4.

Getæ,
ejus historia. III. II. 1. 85.
Glycas (*Michael*,
qvid de eo judicandum. IV. II. 1. 139.
Gnostici,
eorum hæresis. I. IV. 22. 21.
Gordianus (*Imp. Pater*,)
ejus historia. III. II. 5. 93.
Gordianus (*Imp.*)
ejus vita. III. II. 5. 94.
Gotofredus (*Jacobus*)
Ejus *Manuale Juris* commendatum. I. V. 11. 38.
Gothanum H. E. Compendium,
ejus auctor & qvid de eo habendum. Pr. 8.
Goveanus,
Ejus de morte Papiniani sententia in censuram vocata. III. II. 1. 86.
Grammatici,
eorum qvodnam fuerit antiqvitus officium? III. V. 4. 124. III. V. 11. 127.
Gratianus (*Imp.*),
ejus Vita. IV. II. 10. 112.
Gregorius Nazianzenus,
Ejus in Julianum invectivæ laudatæ, IV. II. 4. 146. ejus opera indagantur. IV. V. 3. 170.
Gregorius (*Neo-Cæsariensis*,) unde θαυματέργος dictus. III. IV. 1. 109. Ejus Historia. III. V. 2. 123.
Gregorius Nyssenus,
Ejus opera indagata. IV. V. 3. 170.
Gretserus,
Ejus de Christi ad Abgarum Epistola judicium in censuram vocatum. I. IV. 14. 15.
Gromatius,
eius operum indagatio. IV. V. 3. 171.
Gronovius,
singularia de eodem. I. V. 7. 30. Ejus elogium. III. II. 18. 103.
Grotius,
ejus lapsus. IV. V. 3. 169.
Guevarra,
qvid de ejus Horologio Principum habendum. II. II. 3. 46.
Gulfilas,
de eius versione & codice argenteo disqvisitio. IV. V. 10. 175.

H.

Hæretici
Seculi Primi. I. IV. 22. 21.
Seculi Secundi.
II. IV. 1. 57. & II. IV. 7. 65.
Seculi Tertii.
III. IV. 11. 113. seqq.
Seculi Qvarti.
IV. IV. 6. 160.
Hæretici,
de eorum Baptismo controversia Sec. III, agitata. III, IV, 12. 116.
Hannibal (*Scotus*),
Ejus in Tacitum cura in censuram vocata. I. V. 10. 38.
Hannibalianus,
ejus historia. IV. II. 2. 141.
Harpocration,
ejus opera indagata. II. V. 5. 73.
Heidmannus (*Christoph.*)
Ejus Elogium. I. II. 1. 3. *II*. II. 2. 45. II. II. 6. 49. IV. II. 1. 140.
Heinsius, (*Dan.*),
Judicium de ejus Oratione in laudem asini. I. II. 5. 5. Felix imitator Flori. II. V. 10. 78.
Heinsius (*Nicolaus*),
ejus Editio Ovidii laudata. I. V. 7. 28. Ejus in Claudianum cura laudata. IV. *V*. 7. 174.
Helena,
utrum legitima Constantii Chlori uxor. *IV*. II. 1. 130. Eius in Ecclesiam merita. *IV*. *IV*. 4. 159.
Heliagabalus (*Imp.*),
Ejus Historia. III. II. 3. 88. Eius nominis indagatio. ib. Qvomodo & unde *Tiberianus*, *Tractitius* & *Impurus* dictus. III. II. 3. 90.
Heraclianitæ,
eorum hæresis. II. *IV*. 7. 65.
Hermogenes,
ejus Rhetoricum opus laudatum. II. *V*. 7. 75. *V*ariæ editiones, *ib*.
Herodes (*Atticus*),

ejus

ejus Historia. II. V. 13. 80.
Herodes, Herodiadæ,
Eorum historia. I. III. 3. 6.
Herodianus,
Ejus Elogium. I. II. 1. 3. II. II. 4. 48. III. V. 7. 126.
Herodotus,
defensus. I. V. 10. 36.
Heraclitæ,
Eorum hæresis IV. III. 6. 160
Hieronymus,
Ejus Vita Pauli laudata. III. IV. 13. 119. Ejus opera indagata. II. V. 3. 170. eius styli elegantia. *ib.* Eius errores. *ib.* Qvantam Literaturæ Hebraicæ habuerit cognitionem. IV. V. 3 170.
Hierosolyma,
qvomodo post ultimam desolationem restitui in integrum nunqvam potuerit. I. III. 2. 6. qvomodo *Ælia Capitolina* dicta. II. III. 1. 54. qvomodo eam adeundi licentia Judæis oblata & ad unicũ diem restricta. II. III. 1. 54.
Hierosolymitanæ Ecclesiæ Episcopi Sec. *Primi* I IV. 18. 19. *Secundi* II. IV. 2. 58. Qvomodo Episcopi *Secundi secundi* nominari possint, cum Hierosolyma nulla fuerit. II. V. 17. 84. *Seculi tertii* Episcopi III. IV. 4. 111.
Hilarius,
ejus opera indagata. IV. V. 3. 169.
Hippatia,
fœmina erudita. IV. V. 8. 174.
Historia,
qvid de methodo, Principum Vitas scriptis non tam historicis qvàm moralibus consignandi habendum. II. II. 3. 46.
Historia Miscella,
â qvibus consignata I. III. 8. 6.
Ejus error in Historia Crispi detectus. IV. II. 1. 133.
Historia Universalis,
qvid propriè denotet. I. II. 2. 3
Historici Ecclesiastici,
qvi fabulis indulserunt, qvantum detrimenti Historiæ attulerint. I. V. 1. 24.
Historicus Pragmaticus,
â Biographo qvomodo differat. II. II. 4. 48.
Honorius,
eius Historia IV. II. 12. 153.
Horatius,
eius historia I. V. 7. 28.
Hostilianus,
eius Vita III. II. 6. 94.
Hottingerus,
in censuram vocatus II. IV. 1. 56. II. IV. 6. 62.
Hülsemannus,
eius Breviarium commendatum. II V. 13. 81. magni Bœclero semper æstimato Pr. 4.
Hyginus,
eius Historia I. V. 3. 20.
in ejus Historia qvomodo ab Epiphanio Pontificii differant, II. IV. 3. 60.
Hypocaustum,
qvid proprie notet. III. IV. 11. 114.
Hippolytus,
eius historia III. V. 3. 124.

J.

Jamblichus,
eius opera indagata IV. V. 8. 174.
Jamblichus,
(qvi Babylonice scripsit) ejus opera indagata IV. V. 9. 174. Eius MSC pretiosum *ib.*
Idacius,
Eorum qvi hoc nomen habent, historia IV. V. 3. 170.
Jesuitæ,
eorum suspecta fides I. IV. 15. 17 Iis vitium familiare, qvod aliorum laboribus obtrectent. I. I. 2. 2. Qvid de eorum studio circa Martialem purgandum, habendum. I. V. 7. 30.
Ignatius,
qvid de eius Epistolis habendum. I. IV. 12. 13.
Impurus,
qvid notet. III. II. 3. 90.
Incendium Romæ ortum,
IV. V. 12. 176.
Indictio,
qvænam & unde dicatur? IV. V. 12. 176. *In-*

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn746330790/phys_0232
DFG

Insula,
ejus ortus singularis. I. V. 17. 40
Johannes Hierosolymitanus,
eius opera indagata. IV. V. 3. 171.
Johanna Papissa,
qvid de eius veritate historica habendum? Pr. 7.
Johannes Evangelista,
qvando scripserit I. IV. 6. 11.
ejus Apocalypsis qvantæ auctoritatis. I IV. 10. 13.
Johannes Antiochenus,
de eo judicium. IV. II. 6. 150.
Josephus,
ejus de Christo testimonium I. IV. 2. 9. Varia de ejus auctoritate judicia. I. V. 9. 31.
variæ operum ejus editiones. I. V. 9. 32.
Josippus Gorjonides,
qvid de eo habendum. I. V. 9. 32.
Jotapianus (*Imp.*),
ejus vita III. II. 6. 95.
Jovianus (*Imper.*),
ejus historia. IV II. 6. 149.
utrum pacta sua violare potuerit salvo Christianismo, IV. II. 6 149. ejus singularis in servandis pactis integritas. *ibid.*
Irenæus,
ejus in reprehendenda Victoris audacia animositas laudatur. II. IV. 6. 64.
ejus scripta investigata. II. V. 4. 72. ejus Martyrium. III. IV. 3. 117.
Judæi,
eorum sævitia in Africa II. III. 2. 55. eorum res gestæ. I. III. 2. 6. eorum bellum cum Adriano. II. III. 1. 54.
Nomen *Judæorum & Christianorum* qvomodo apud Scriptores Christianos sæpe confundatur I. V. 21. 20.
Judaismus,
ejus variæ Sectæ in Sec. I. famosæ. I. IV. 20. 20.
ejus studia in Secundo Seculo II. IV. 6. 62 ejus studia in Seculo tertio. III. IV. 8. 113.
Juliana Periodus,
qvænam ita dicatur I. I. 2. 2.
à qvonam inventa *ibid.*
Julianus Salvius,
ejus decreta frustra abolere tentavit Severus II. II. 12. 52.
Julianus Didius (*Imperat.*)
ejus historia. II. II. 6. 48.
Julianus (*Apostata Imp.*),
qvid de ejus *Cæsaribus* habendum II. II. 7. 49. in qvibus laudandus, in qvibus vituperandus? *ibid.* ejus adoptatio IV. II. 4. p. 145. & p. 146 IV. II. 5. 148. ejus in eloqventia laus. IV. V. 6. 174.
ejus Vita. IV. II. 5. 147.
ejus vulnus & ex vulnere mors cum profanæ vociferatione. *ibid* Qvomodo Christum *Galilæum*, & Christianos *Galilæos* vocarit. IV II. 5. 148. ejus in Christianos odium diversimode declaratum IV. II. 5. 148. IV. IV. 3. 158. Qvomodo nullos Christianos informari voluerit in Scholis, *ibid.* qvomodo vel invitus laudaverit Christianos *ibid.*
ejus de Medicis Lex. IV. II. 13. 154.
Julius Africanus,
ejus Scripta indagata III. V. 2. 123.
Julius Papa Rom.,
qvomodo à Marcello *comministr* dictus. IV. IV. 6. 162.
Julius Secundus,
ejus historia. I. V. 5. 27.
Junius Patricius,
laudatus. I. IV. 13. 14.
Jure Consulti in *Seculo primo* celebres. I. V. 11. 38.
in *Seculo secundo*. II. V. 11. 79.
in *Seculo tertio* III. V. 9. 127.
Jus, *Juris varii*
indices laudati. II II. 13. 52.
Justinus Historicus,
ejus historia I. V. 10 34. II. V. 10. 79. commendatus. *ibid.*
variæ editiones. *ibid.*
Justinus Martyr,
ejus Apologeticus laudatus & vin-

& vindicatus. II. IV. 1. 56.
ejus opera investigata. II. V. 3. 71.
Juvenalis,
celebriores ejus editiones. IV. 7. 30.
Juvencus, ejus opera indagata. IV. V. 3 168.
K.
Keckermannus,
ob reprehensionem Diogenis Laërtii in censuram vocatus. II. V. 9. 77.
Kircherus (*Athanasius*)
de eo judicium. I. V. 13. 39.
Konigshoferus,
qvid de eo habendum. I. IV. 15. 16. II. IV. 1. 57.
Kyriander,
de ejus *Annalibus Trevirensibus* qvid habendum. II. IV. 1. 57.
Kulpisius,
ejus eruditio laudata Pr. 5.
L.
Labienus,
ejus historia. I. V. 5. 27.
Lactantius,
de eo Judicium. III. V. 21. 122.
variæ ejus editiones. *ibid.*
de Læt. (*Joh.*)
ejus elogium. I. IV. 15. 17.
Lampridius,
ejus elogium. III. II. 3 89.
Langius,
ejus in Martialem index rejectus. I. V. 7. 30.
Laodicenum Concilium,
ejus historia. IV. IV. 13. 166
Lapsi,
duo eorum genera III. IV. 13. 118. de Lapsis recipiendis controversia. III. IV. 13. 119.
Largus, *Medicus*,
Laudatus. I. V. II. 38.
Lat o (*Marcus Portius*)
ejus historia I. V. 5. 27.
Launojus,
commendatus. III. V. 2. 122.
Leidenses,
Auctorum classicorum editiones cum notis variorum qvanti æstimandæ, I. V. 10 35.
Leno,
eorum neqvitia. II. II. 10. 51.
Leonides,
ejus Martyrium. III. V. 13. 117.
Leptius,
ejus de Papiniano scriptum laudatum. III. II. 1. 86. III. V. 1. 120.
Leunclavius,
ejus scripta in Jovianum sub censuram vocata. IV. II. 6. 150
Lex Regia,
utrum ad Augustum, an ad Julium Cæsarem referenda. I. II. 2. 4.
Libellatici,
Qvinam dicti fuerint. III. IV. 13. 118.
Libanius,
ejus Oratio laudata. IV. II. 1. 141. ejus opera indagata. IV. V. 6. 172. ejus MSCtum in Bibliotheca REGINÆ SVECIÆ. *ibid* in codice Augustano. *ibid.*
Livinius,
ejus vita. IV. II. 1. 132.
Lindenbrogius,
ejus cura in Censorinum laudata III. V. 4. 125 ejus in Scriptores Septentrionales labor prædicatus. IV. III. 4. 156. ejus in Ammianum studium commendatum. IV. V. 9. 175.
Lipsius,
ejus in studio Eloqventiæ lapsus. I. V. 10. 33. rigor censuræ in Qvintilianum castigatus. *ibid.* qvid de ejus stylo habendum. *ibid.* ejus de Curtio judicii Censura. I. V. 10. 35. ejus in correctionibus Auctorum audacia. I. V. 10. 37 ejus de Gellio Judicium in censuram vocatum. II. V. 6. 74. ejus Politica commendata. *Præf. p.* 4.
Livius,
varia de eo judicia. I. V. 10. 33. variæ ejus editiones. I. V. 10 34
Longinus (*Dionysius*),
Ejus opera indagata. III. V. 4. 124.

Lotichius,
ejus ad Petronium commentarius improbatus. l. V. 7. 29.

Lucifer,
ejus opera indagata. IV. V. 3. 168.

Lucanus,
qvomodo Neroni adulatus. l. II. 5. 5. de ejus Poëmatibus eorumqve editionibus judicium. l. V. 7. 29.

Lucas (Evangelista),
utrum idem fuerit qvi Paulo laudatur. l. IV. 5. 11. utrum fuerit Pictor. *ibid.* qvando scripserit *ibid.* alterum ejus scriptum, utrum *acta*, an *actus* vocari debeat. l. IV. 8. 12. Scopus operis. *ibid.*

Lucianistæ,
eorum hæresis. II. IV. 7. 66.

Lucianus,
ejus scripta indagata. II. V. 13. 82. variæ ejus editiones. *ibid.*

Ludi Seculares,
Sub Philippi Imperio celebrati. III. II. 6. 95.

Lutherani,
utrum in locis Pontificiis degentes schedulas confessionarium Pontificum respicientes (vulgò Beichtzettel) petere possint? III. IV. 13. 118.

Lysosthenes,
de eo judicium. l. V. 17. 40. IV. V. 2. 176.

M

Macarius,
ejus opera indagata. IV. V. 3. 168.

Machiavellus,
in censuram vocatus. l. IV. 10. 37.

Macrinus (Pater Imp.)
ejus historia III. II. 2. 87. ejus leges. III. II. 17. 102.

Macrinus (filius,)
ejus historia. III. II. 2. 87.

Macro,
ejus historia. l. V. 2. 24.

Macrobius,
ejus opera indagata. IV. V. 5. 172.

Mæcenas,
ejus nomen qvomodo scribendum. l. V. 2. 24. ejus historia. *ibid.*

Magnentius,
ejus historia. IV. II. 2. 143.

Mamertinus,
ejus scripta indagata. IV. V. 6. 173.

Mammea,
Aurelii Severi Alexandri mater. III. II. 4. 91.

Manichæi,
eorum hæresis. III. IV. 11. 116

Manilius,
ejus historia. I. V. 7. 29.

Manuscripta,
in Bibliotheca CHRISTINÆ R. IV. II. 1. 140. & alibi passim laudata.

Marcelliani,
eorum hæresis. IV. IV. 6. 162.

Marcellus,
ejus historia. I. V. 3. 25.

Marcellinus,
ejus opera indagata. IV. V. 9. 175.

Marcionistæ,
eorum hæresis. II. IV. 7. 66

Marcius (Imp.)
ejus historia. III. II. 6. 94.

Marcus,
qvo tempore scripserit Evangelium. l. IV. 4. 10. qvo idiomate scripserit. *ibid.*

Marcosii,
eorum hæresis. II. IV. 7. 65.

Mare,
ejus memorabilis exundatio. IV. V. 12. 176.

Maria,
ejus honor legitimus assertus, illegitimus rejectus. IV. IV. 6. 164.

Marius (Victorinus),
eius opera indagata. IV. V. 3. 168.

Maroboduus,
eius res gestæ. l. III. 3. 8.

Martialis,
eius historia. l. V. 7. 30.

Martyres Scillitani,
eorum

eorum martyrium III. IV. 13. 117. Qvinam *massa candida* dicti. III IV. 13. 119

Martyriani,
eorum hæresis IV IV. 6. 164

Massaliani,
eorum hæresis. IV. IV. 6. 164.

Maternus (*Julius Firmicus*)
eius opera indagata. IV. V. 8. 174.

S. Maternus,
qvam multæ de eo fabulæ referantur. I. IV. 15. 6. II. IV. 1. 57.

Maternus (*Curiacius*)
eius historia. I. V. 5. 27.

Matthæus,
qvando Evangelium scripserit. I IV. 3. 10. qvo idiomate scripserit. *ibid.* qvid de eius Hebraico Evangelio habendum. *ibid.*

Matthæus (*Petrus*,)
ejus elogium. I. V. 2. 24.

Mathematicus,
qvid antiqvis notaverit. II. V. 13. 81.

Mathematicæ disciplinæ,
earum honor in *seculo secundo*. II. V. 13. 82.

Maxentius,
ejus Vita. IV. II. 1. 131.
ejus interitus Pharaonis exitio similis. IV. II. 1. 133.

Maximianus (*Senior Imp.*)
ejus vita. III. II. 15. 100. IV. II. 1. 131. Ejus adversus Francos res gestæ. III. III. 8. 107.

Maximianus (*Junior Imp.*)
ejus vita III. II. 15. 100. IV. II. 1. 129. & 131.

Maximinus (*Thrax. Imp.*)
ejus vita. III. II 5. 93.

Maximus Tyrius Platonicus,
ejus opera indagata. II. V. 13. 80.

Maximus Britannus
ejus historia. IV. II. 11. 152.

Medici, in seculo secundo
celebres. II. V. 12. 80.

in seculo quarto. IV. V. 4. 171.

Meermannus,
de ejus *Theatro conversionis gentium* qvid habendum. II. IV. 1. 57.

Meibomius (*Marcus*)
laudatus. I. V. 13. 39.

Mela,
de eo judicium. I. V. 10. 35.
ejus editiones *ibid.*

Meletiani,
eorum hæresis. IV. IV. 6. 161.

Meletius,
ejus historia IV. IV. 6. 160.

Melchisedeciani,
eorum hæresis. III. IV. 11. 114.

Melissus,
ejus historia. I. V. 3. 25.

Melito,
ejus scripta investigata. II. V. 3. 71.

Menander,
ejus hæresis. I. IV. 22. 21.

Mercurialis,
commendatus. I. V. 14. 39.

Meritorium,
qvid notet. III. II. 20. 104.

Messala,
ejus historia. I. V. 5. 27.

Metaphrastes,
qvem denotet. II. IV. 8. 69.

Middendorpius,
ejus *de Academiis* scriptum in censuram vocatum. II. V. 14. 83.

Minutianus,
ejus opera indagata. III. V. 5. 125.

Minutius Felix,
ejus historia. III. V. 2. 121.

Monachi,
eorum origo unde nata. III. IV. 13. 119. antiqvorum institutum hodiernis non patrocinatur. III. IV. 13. 119.

Morellus,
ejus in Philostratum cura commendata. II. V. 9. 79.
ejus in Auctores Græcos cura laudata. II. V. 13. 82.

Morentinus,
ejus de Juliani vita scriptum laudatum. IV. II. 4. 146.

Morus (*Alexander*),
Scaligeri defensor. I. I. 2. 2.

Moses Cretensis,
ejus impostura. IV. V. 12. 176.

Mulierum Senatus,
ab He-

ab Heliogabalo institutus. III. II. 3. 89.
Mundus,
Chronologica disquisitio circa ejus natalem. I. I. 1.
Muretus (*JCtus*),
ejus elogium. IV. V. 6. 173.
Musica antiqua,
ejus ratio. I. V. 13. 39.

N

Nazaræi,
eorum hæresis. I. IV. 22. 21.
Nemesianus,
ejus Poëmata. III. V. 6. 125.
Neocæsariense Concilium,
ejus Historia. IV. IV. 13. 166.
Nepotianus,
ejus historia. IV. II. 3. 143.
Nero (*Imp.*)
ejus vita. I. II. 5. 5.
Nerva (*Imp.*)
Ejus vita. I. II. 7. 5. & 8. 6.
controversia de ejus Patria. *ib.*
Nicenum Concilium,
ejus historia. IV. IV. 1. 166.
Niephorus,
de eo judicium. I. IV. 5. 11. I. IV. 15. 16. II. IV. 4. 61. IV. II. 1.
Nicolaus, (139.
ejus hæresis. I. IV. 22. 21.
Noëtiani,
eorum hæresis. III. IV. II. 114.
Novatus & Novatianus,
qvomodo non confundendi. III IV. 14. 120.
Numerianus (*Imp.*),
ejus vita. III. II. 14. 99.
Nummi,
qvantum faciant ad notitiam historicam. II. III. 1. 53. III. II. 6. 94.

O

Obeliscus,
ex Ægypto Romam translatus. IV. II. 4. 146.
Obrechtus (*Ulricus*),
ejus eruditio laudata. *Præf.* 5. 12. qvæ ab eo Opera Bœcleri posthuma fuerint edita. 13.
Obrechtus (*Elias*),
ejus elogium. *Pr.* 13.
Onuphrius,
de ejus historia Pontificum qvid statuendum? I. IV. 18 19. II. IV 3. 59. ejus elogium. III. III. 6. 107.
Ophitæ,
eorum hæresis. II. IV. 7. 65.
Oppianus,
ejus opera indagata. II. V. 8. 75. commendata. II. V. 8. 76.
Optatus,
ejus opera indagata. IV. V. 3. 169.
Orator,
qvomodo necessariò debeat simul esse Philosophus. II. V. 13. 82.
Orantes,
eorum hæresis. IV. IV. 16. 164
Oresiensis Monachus,
ejus opera indagata. IV. V. 3. 168.
Origenes,
ejus errores. III. IV. II. 115. utrum ad Idololatriam prolapsus fuerit. III. IV. II. 115. III. IV. 13. 119. ejus scripta indagata. III. V. 2. 123. ejus *tetrapla*, *III* IV. I. 110.
ejus *Octapla*. *ibid.*
ejus *Hexapla*. *ibid.*
Origeniani, (*qvorum Origo incerta*),
eorum hæresis. III. IV. II. 115.
Origeniani ab Origene dicti
eorum hæresis. III IV. II. 115.
Orosius,
ejus historia. III. III. 3. 106.
Orthodoxographa Patrum,
qvænam per illa intelligantur scripta? I. IV. 14. 15.
Otto (*Imperator*),
ejus vita. I. II. 6. 5.
Ovidius,
de ejus vita, scriptis, scriptorumq; editionibus singularia. I. V. 7. 28.

P.

Pacatus,
ejus scripta indagata. IV. V. 6. 173.
Pacchonius,
ejus opera investigata. IV. V. 3. 168.
Paccuvius,
pro Augusto devotus. II. II. 1.
Pacani, (43.
eorum hæresis. II. IV. 7. 66.
Pacianus,
ejus opera indagata. IV. V. 3. 169.
Pæanius,
ejus

ejus elogium. IV. II. 1. 138.
Palladius,
ejus opera indagata. IV. V. 9. 175.
Palæmon,
ejus historia. I. V. 3. 25.
Panegyrici celebriores Seculi IV,
eorum historia. IV. V. 6. 173.
Papinianus,
ejus historia. III. II. 1. 86.
ejus mortis genus delineatum. III. II. 1. 86.
ejus discipuli. III. V. 1. 120.
Papianus Imperator,
ejus vita. III. II. 6. 85.
Parthi,
eorum res gestæ in *Seculo secundo*. II. III. 1. 154. in *Seculo tertio*. III. III. 11. 109.
Paschα,
de tempore ejus celebrationis controversia. III. IV. 7. 63.
utrum Christus & Judæi eadem die illud celebraverint? *ibid.*
Pascha lius,
ejus opus de *Coronis* laudatum. II. II. 8. 49.
Passienus,
ejus historia. I. V. 5. 27.
Pathicus,
qvid notet. III. II. 3. 90.
Patres,
Bibliothecæ PP. celebriores editiones. I. IV. 14. 15. Scripta eorum genuina à suppositiis discernendi methodus. IV. V. 3. 168. Libri huc facientes laudati. IV. V. 3. 168.
Patritius,
qvid sibi titulus ille velit. IV. V. 12. 176.
Paulinus,
ejus opera indagata. IV. V. 7. 174.
Paulus, (*Apostolus*)
ejus Epistolæ qvo tempore scriptæ. I. IV. 9. 12
qvomodo appellentur antiqvis? II. IV. 9. 12. ejus Martyrii tempus. I. IV. 23. 22.
Paulus Monachorum Parens, III. IV. 13. 119.
Pausanias,
ejus opera indagata. II. IV. 9. 78. de eo Judicium, *ib.* variæ ejus editiones, *ibid.*
Pedianus,
ejus historia. I. V. 3. 25. utrum Historicus & Grammaticus idem fuerit. I. V. 3. 25.
Pedo,
eius historia. I. V. 7. 28.
Peregrinus, (*philosophus*)
ejus ambitiosa mors. II. V. 17. 44.
Pepuciani,
eorum hæresis. II. IV. 7. 67.
Persecutiones,
eas numerandi varia Methodus. I. IV. 23. 22. *Prima* persecutio sub Nerone. I. IV. 23. 22. *Secunda* sub Domitiano. I. IV. 23. 22. *Tertia*, sub Trajano. II. IV. 8. 67. *quarta*, sub Marco Antonino. II. IV. 8. 68. *qvinta* sub Severo. III. IV. 13. 117. *Sexta*, sub Maximino. III. IV. 13. 118. *Septima*, sub Decio. III. IV. 13. 118. *Octava*, sub Valeriano. III. IV. 13. 119. *Nona*, sub Aureliano. III. IV. 13. 119. *Decima*, sub Diocletiano III. IV. 13. 120. IV. IV. 15 167. Qvantas ab hæreticis Ecclesia fuerit perpessa. IV. IV. 2. 158 qvantas à Juliano. IV. IV. 2. 158.
Persarum res gestæ, ad Seculum IV. pertinentes. IV. III. 5. 157.
Persius,
de eius *Satyris* earumq; editionibus Judicia. I. V. 7. 29.
Pertinax, (*Imperator*)
eius historia. II. II. 5. 48. eius leges. II. II. 11. 52.
Pescennius niger,
eius historia. II. II. 6. 48.
Petavius,
eius sententia de Natali Domini I. I. 1. 1. eius elogium I. I. 1. 1. I. I. 2. 2. II. IV. 3. 60. eius in reprehendo Scaligero temeritas. I. I. 1. 1.
Petronius,
eius historia. I. V. 7. 29.
Phago,
Aureliano carus. III. V. 15. 128
Phædrus,
ejus

eius historia. I.V.7.29.
Phavorinus,
prudens eius erga Adrianum moderatio. II. II. 1.43.
eius opera indagata. II. V. 70. 80.
Philastrius,
de eius *catalogo Hæreticorum* Judicium. I. IV. 22. 21. IV. V. 3. 170.
Philo,
de eo Judicium. III. IV. II. 116.
Philo Biblius,
ejus Historia. I.V.9.32.
Philocarpatius,
ejus Opera indagata. IV. V. 3. 170.
Philippus Arabs, (*Imp.*)
ejus & Filii vita. III. II. 6. 94.
utrum Christianus fuerit. *ib.*
Philostratus,
ejus elogium. I. V. 6. 27.
ejus de *vita Apollonii* scriptum in censuram vocatum. II. V. 9. 79. ejus editiones. *ib.*
Variorum hujus nominis historia. III. V. 7. 125.
Phlegon,
ejus opera indagata. II. V. 9.
Phœnix, (77.
utrum unqvam exstiterit? I. IV. 13. 14. I. V. 17. 40.
Photiniani,
eorum hæresis. IV. IV. 6. 162.
Phrygastæ,
eorum hæresis II. IV. 7. 67.
Phrynisus,
ejus opera indagata. II. V. 5. 73.
Pictura,
Romanis non æstimata. I. V. 15. 39.
Pilatus,
qvid de *Actis Pilati* habendum. I. IV. 2. 9.
Plato,
ejus Philosophia qvomodo hæresibus ansam suppeditaverit. II. IV. 7. 65.
Plotinus,
Ejus scripta indagata. III. V. 10. 127. Variæ editiones. *ibid.*
Plinius (*Major*),
varia de eo judicia. I. V. 10. 36. editiones variæ. *ibid.*
Plinius (*Junior*),
ejus *Panegyricus* qvomodo & qvare minus recte intelligatur. I. II. 8. 6. Idem commendatus. *ibid.* I. V. 5. 27. Ejus Epistolæ laudatæ. *ibid.* epistola de Christianis primævis commendata II. IV. 6. 62.
Plutarchus,
varia de eo judicia I. V. 9. 32. variæ operum ejus editiones. *ibid.*
Pneumatomachi, IV. IV. 6. 163.
Poëta, eorum raritas II. V. 8. 75.
Polienus,
ejus opera indagata. II. V. 9. 78.
Politianus,
ejus elogium. III. V. 7. 126.
Polemo,
ejus opera indagata. II. V. 13. 82.
Pollio,
ejus Historia. I. V. 2. 27.
Pollux,
ejus *onomasticon* laudatum. II. V. 5. 73. variæ editiones. *ib.*
Polybius,
ejus elogium. I. II. 2. 5.
Polycarpus,
ejus scripta investigata. II. V. 3. 71.
Pompejanus,
ejus res gestæ. II. III. 5. 106.
Pontanus,
ejus in Macrobium cura commendata. IV. V. 5. 172.
Pontifex Romanus,
ejus primatus potestatis, qvomodo ex antiqvitate refutetur. IV IV. 6. 162.
Pontificii,
eorum incertitudo in adornanda Pontificum Romanorum serie. III. IV. 5. 112.
Pontius,
ejus de Cypriano Scriptum laudatum. III. V. 2. 121.
Porphyrius,
ejus opera indagata. III. V. 10. 127. Variæ editiones. *ib.*
Ejus opera qvæ adhuc in MSC. lateant. *ibid.*
Porphyrius, (*Publ. Optatianus*) eius

ejus opera indagata. IV. V. 7. 173
Posthumius, ejus declamationes laudatæ. III. V. 5. 125.
Potamo, ejus historia. I. V. 9. 31.
Præfectus Augustalis, ejus officium. I. III. 5. 7.
Prætoriani, novum circa eos Severi institutũ II. V. 17. 84.
Praxagoras, de eo judicium. IV. II. 1. 137.
Priscilliani, eorum hæresis. II. IV. 7. 67.
Probus, ejus historia. I. V. 3. 25.
Probus, (Imp.) ejus vita. III. II. 13. 98.
ejus adversus Francos res gestæ. III. III. 5. 106. III. III 6. 117. sub ejus imperio audax Francorum factum. III. III. 6. 107
Procopius, ejus opera indagata. III. II. 15. 100.
Proculus, (Imp.) ejus vita. III. II. 13. 98.
Propertius, ejus historia. I. V. 7. 28.
Prudentius, ejus opera indagata. IV. V. 7. 174.
Ptolemaitæ, eorum hæresis. II. IV. 7. 65
Ptolemæo, (Alexand.) ejus opera indagata. II. V. 13 82. variæ ejus editiones ibid.
Pupienus, (Maximus) ejo historia. III II. 5. 94
Q.
Quartadecimani, eorum hæresis. II. IV 7. 67.
Quintilliani, eorũ hæresis. II. IV. 7. 67
Quintilianus, qvid de eo judicandum. I. V. 4. 26.
Declamationes, ei falsò adscriptæ. III. V. 5.
R (125.
Remus JCtus, laudatus. IV. V. 6. 172.
Rhenanus, de eo Judicium. I. V. 10. 54.
Rhodius, (Joh.) laudatus. I. V 12. 38.
Richartsonus, ejus harmonia laudata. I. IV. 1. 9.
Rittershusius, ejus Speculum Principum commendatum. II. II. 3. 47.
ejus in Oppianum cura laudata. II V 8 76.
Rivius, ejus historia navalis tione opus commendatum. II. V. 9. 77.
Romana Ecclesia, ei Hierosolymitanam qvomodo præponant antiqvi. III. IV. 5. III.
Romani, eorum μεγαλησια. III. II. 4. 91.
Romani Episcopi, Eorum series in seculo primo ex calculo Onuphrii Panvinii I. IV. 18. 18. ex calculo Petavii. I. IV. 18. 19. in secundo seculo ex calculo Baronii & Onuphrii IV. II. 3. 60. ex calculo Petavii. II. IV. 3. 61. in qvid de eius seculo tertio ex Eusebii, Baronii, Onuphrii calculo. III. IV. 5. 11. in seculo Qvarto juxta Eusebium, Baronium, Onuphrium. IV. IV. 7. 164. Pontificiorũ in collocanda Pontificum serie discrepantia cum exceptione frivola. II. IV. 3. 59. eorum Epistolæ suppositiæ. II. V. 3. 71. III. V. 2. 121. IV. V. 2. 167.
Romana Respublica, ejus status in Seculo secundo. II. II. 7. 49.
Rorarius, ejus de Brutorum ratione opus commendatum. II. V. 9. 77.
Ruffinus, (Arcadii Tutor) ejus Dominatus in Oriente. IV. II 12. 153.
Ruffinus, (Scriptor Ecclesiasticus) ejus opera indagata. IV. V. 3. 171.
Rufus, ejus scripta indagata. II. V. 12. 80.
Rupertus (Christ. Adã) in censuram vocatus. I. II. 3. 4. I. II. 4. 5. & 8. 6. II. II. 1 44. II. II. 3. 47. IV. II. 4. 146.
qvid de eius observationibus ad Beroldum habendum. I. II. 3. 4. ejus elogium. III II. 7. 95. III. II. 8. 97. III. II. 15. 100.
S.
Sabelliani, eorum hæresis. III. IV. 11. 110.
Sabinus Aulus, I. V. 7. 28.
Sacrificati, qvinam dicti. III. IV. 13. 118.
Salmasius, in opere de primatu Papæ qvomodo averit vitulo Blondelli. I. IV. 18. 18.

de

de ejus *exercitationibus Plinianis* singularia. II. V. 6. 74.
ejus elogium. III. II. 18. 103.
Samaritanismus, qvomodo in ipso Judaismo comprehendatur. I. IV. 20. 20.
Samaritani, variæ eorum sectæ. I. IV. 20. 20.
Samaritanus Codex, qvantæ auctoritatis. I. IV. 20. 20.
Samosatenus, ejus hæresis. III. IV. 11. 116.
Sampsei, eorum hæresis. III. IV. 11. 114.
Sathaniani, eorum hæresis. IV. IV. 9. 164.
Saturnilius, ejus hæresis. I. IV. 22. 21.
Saturninus (Imp.) ejus vita. III. II. 13. 98.
Saviliana Chrysostomi editio, qvid de ea habendum. II. V. 3. 72. IV. V. 3. 171.
Saxones, eorum res ad Sec. IV. pertinentes. IV. III. 3. 156.
Scaliger (Josephus,) ejus elogium. I. I. 2. 2.
qvid de ejus *Periodo Juliana* habendum? *ibid.*
de ejus in *Eusebium animadversionibus* qvid habendum? II. III. I. 53.
ejus de Pausania judicium in censuram vocatum. II. V. 9. 78.
ejus lapsus in animadversionibus ad Eusebium. IV. II. I. 130.
Scevola Samartanus, ejus *Pedotrophia* commendata. II. V. 8. 76.
*Scheffer*us, ejus elogium. II. V. 9. 77.
de ejus cura in Ælianum judicium. *ibid.*
Schottus (Andreas), ejus ad Senecam notæ laudatæ. I. V. 4. 26.
ejus elogium. II. V. 9. 77.
Scioppius, in censuram vocatus. I. V. 10. 37.
Scriptura Sacra, ejus methodus in recensendis annis. I. I. 1.
Difficultatum Chronologicarum in ea occurrentium causa. I. I. 1.
ejus in Græcum Sermonem versiones. III. IV. 1. 109.
Scriverius (Petrus), ejus elogium. I. V. 7. 29. IV. V. 8. 174.
Seculum I, ejus initium. I. I. 1. 1.
ejus finis I. I. 2. 2. qvare in eo præter Canonica scripta nihil indubitatum subsistit. I. IV. 10. 13.
doctrina qvæ circa illud floruit in Ecclesia. I. IV. 16. 17.
ritus in Ecclesia qvi tum floruerunt. I. IV. 17. 17.
Regimen Ecclesiasticum qvale tum fuerit. I. IV. 18. 17.
Seculum II, ejus initium. II. I. 1. 41.
ejus finis. II. I. 2. 41.
in ejus historiâ defectus qvalis occurrat, qvæqve ejus causa. II. V. 2. 78
Seculum III, ejus initium & finis. III. I. 2. 85.
Seculum IV, eius initium. IV. I. 1. 129. Finis. IV. I. 2. 129.
Secundiani, eorum hæresis. II. IV. 7. 65.
Sejanus, ejus historia. I. V. 2. 24.
Semonda, qvomodo cum illa *Phœnix* confundatur. I. V. 17. 40.
Senaculum, qvid notet. III. II. 3. 89
Seneca, de eius *Apocolocyntho*si judicium. I. II. 4. 4.
de *tragœdiis*, earumq; editionibus judicium. I. V. 7. 29.
Variæ operum eius editiones. I. IV. 13. 39.
Septimius Severus (Imperator,) eius historia. II. II. 6. 48. ejus leges. II. II. 12. 52.
Serenus, (Sammonicus) ejus opera indagata. II. V. 12. 80. III. V. 6. 125.
Serapion, ejus opera indagata. IV. V. 3. 168.
Sethiani, eorum hæresis. II. IV. 7. 66.
Severiani, eorum hæresis. II. IV. 7. 66.

Severus, (*Titus Cassius*) ejus historia, I. V. 5. 27.
Sextus, (*Empyricus*) ejus historia & opera indagata. II. *V.* 13. 80. ejus variæ editiones. II. V. 13. 81. varia de eo judicia. *ibid.*
Sigonius, ejus elogium. III. III. 6. 107.
Silius, ejus historia I. V. 7. 30.
Simon Magus, ejus hæresis. I. IV. 22. 21.
Simeon Metaphrasta, qvid de eo habendum. II. IV. 8. 69.
Solinus, ejus historia. II. V. 6. 74. variæ ejus editiones. *ibid.*
Solares, eorum hæresis. III. IV. 11. 114.
Sopater, ejus opera indagata. IV. V. 6. 172.
Sophronius, eius opera indagata. IV. V. 9. 175.
Soranus, eius Scripta indagata. II. V. 12. 80.
Spartianus, Auctoris anonymi Commentarius in eum laudatus. II. II. 1. 41.
Spondanus, de eo judicium. II. V. 2. 70.
Spondanus, ob candorem laudatus. IV. II. 1. 139.
eius fraus detecta. *IV.* *IV.* 4. 159.
Statius, eius historia. I. *V.* 7. 30.
Stephanus, (*Henr.*) singularia eius studia. I. *V.* 10. 33. de eo judicium. *ibid.* III. *V.* 7. 126.
Stenechius, eius cura in *Vegetium* laudata. *IV. V.* 8. 174.
Stilico, eius Dominatus in occidente. *IV. II.* 12. 153.
Strabo, eius elogium. I. V. 9. 31.
Studia, eorum in Seculo Secundo honor. II. V. 14. 83.
Svetonius, eius difficultas. I. II. 3. eius elogium. II. *V.* 10. 79. editiones. *ib*
Svidas, de eo judicium. I. IV. 2. 10.
Sulpicia, eius *Satyra*. II. V. 7. 30.
Surius, eius historia. IV, II. 4. 145.
Sylvanus, eius historia. IV. II. 4. 145.
Symbolum Apostolicū, eius historia. I. IV. 11. 13. trium Symbolorum historia. IV IV. 14. 166.
Symmachus, qvid de eius scriptis habendum? IV. V. 6. 173.
T.
Tacfarinas, eius res gestæ. I. III. 4. 7.
Tacitus, (*Scriptor*) in censuram vocatus. I. III. 2. 6. Varia de eo judicia. I V. 10. 37. variæ eius editiones. *ibid.* qvanto opere æstimatus Imperatori Tacito. III. II. 20. 104.
Tacitum Senatusconsultum, qvid sit. III. V. 15. 128
Tacitus (*Imp.*) eius vita. III. II. 12. 98. eius leges. III. II. 20. 104.
Talmud Hierosolymitanum, eius historia. III. IV. 8. 113.
Tascodrugitæ, eorum hæresis. II. IV. 7. 67.
Tatianus, ejus scripta indagata. II. V. 3. 72.
Terentius, Caji de eo judicium utrum ad Julium Cæsarem an Claudium pertineat. I. II. 4. 5.
Terræ motus, in Seculo secundo. II. V 17. 84.
Tertullianus, ejus opera indagata. III. IV. 2. 110. variæ editiones. III. V. 2. 121. de eo judicium. III. V. 2. 121.
Testamentum Novum, de ejus codicibus MSC. observationes. I. IV. 7. 11. Editio per Bœclerum publicata commendatur. Pr. 7.
Thebea Legio, ejus martyrium III IV. 14. 120.
Themistius, ejus opera indagata. IV. V. 6. 172.
Theo Smyrneus, ejus historia. I. V. 13. 38.
Theodoretus, de ejus opere *Fabularum hæreticarum* judicium

dicium. I. IV. 22. 21.
Theodosius M. (*Imp.*) ejus historia. IV. II. 10. 151.
admirabilis adversus Eugenii victoria. IV. II. 11. 153. excommunicatio & pœnitentia IV. IV. 5. 160
eadem à Pontificiis in abusum tracta *ibid.*
ejus memorabiles leges. IV. II. 13. 154.
Theodotiani, eorum hæresis. III. IV. 11. 114.
Theon, ejus opera indagata. IV. V. 8. 174
Theophilus (*Alexandrinus*,) ejus opera indagata. IV. V. 9. 171
Theophilus (*Antiochenus*), ejus scripta investigata. II. V. 4. 72.
Therebodius, ejus opera indagata. IV. V. 3. 169.
Thuanus, (*Jac. Aug.*) ejus elogium. I. II. 2. 3. IV. V. 11. 176.
Thurificati, qvinam dicti. III. IV. 13. 118.
Tiberius, (*Imp.*) ejus vita. I. II. 3. 4. qva lege ab Augusto adoptatus. II. II. 2. 44.
Titus (*Imperator*) ejus vita. I. II. 7. 5.
Titus Bostrensis, ejus opera indagata. IV. V. 3. 169.
Trajanus, qvare *herba parietaria* dictus. II. II. 1. 42. res ab eo in Asia gestæ. II. III. 1. 53. ejus Pons in Danubio structus. II. III. 3. 55. II. V. 15. 83.
Trogus Pompejus, ejus historia. I. V. 10 34.
Tunica molesta, qvid denotet. I. IV. 23. 22.
Tyranni XXX. eorum historia. III. II. 8. 96. VII. Tyrannorum sub Diocletiani Imperio historia. III. II. 15. 100.
V.
Valentinianus (*Senior, Imp.*) ejus Historia. IV. II. 7. 150.
Valentinianus, (*Junior Imp.*) Ejus Historia. IV. II. 8. 151.
Valens (*Imp.*) Eius Vita. IV. II. 9. 151.
Valentiniani, Eorum hæresis. II. IV. 7. 65.
Valerianus, (*Imp.*) Ejus Vita. III. II. 8. 96.
Valerius (*Maximus*) qvid de eo judicandum. I. V. 10 34
Variæ eius Editiones. I. V. 10. 35.
Valesii, eorum hæresis. III. IV. 11. 114
Valesius (*Hadr.*) Ejus de *Rebus Francicis* Opus allegatum, cum judicio de eodem. III. III. 8. 108. IV. III. 1. 156.
Valesius, (*Heinr.*) De eius cura in Eusebium qvid habendum. I. IV. 4. 10. eius elogium. III. II. 3. 80. III. II. 15. 99. Ejus opera in discernendis Valentinianis laudatur. IV. II. 8. 117.
ejus studium in Amianum commendatur. IV. V. 9. 175.
Valla, (*Laurentius*) de eo judicium. I. V. 4. 26.
Vechietti, (*Hieron.*) singularia de opere ejus Chronologico. I. I. 1. 2.
Vedelius (*Nic.*) de eo judicium, I. IV. 12. 13.
Vegetius, Ejus opera indagata IV. V. 8. 174.
Vellejus Paterculus Eius adulatio. I. II. 3. 4. encomium. I. V. 10 34. Variæ editiones *ibid.*
Verrius Flaccus, Ejus Historiâ. I. V. 3. 2.
Versio LXX. interpretum Græca, utrum hodie superstes. I. I. 1.
Verus (*Imp.*) Ejus Historia. II. II. 4.
Vespasianus (*Imp.*) eius vita. I. II. 7. 5. eius Lex Regia. I. II. 7. 6.
Vetranio

Veranio,
Eius Historia. IV. II 3. 143.
Victor (*Aurelius*),
de eo judicium. I. II. 2. 40. III. II. 5. 93.
Utrum libri *De Cæsaribus & Epitomes unus* idemqve auctor? I II. 8. 6.
Victor, (*Episcopus Romanus*)
Eius insolentia. II. IV. 7. 63.
Victorinus Petavionensis,
non confundendus cum *Pictavienſi*. III. V. 2. 122.
Eius Historia. *ibid.*
Virgilius,
qvando vixerit. I. V. 7. 27.
magis admirandus ob *Georgica*, qvam *Æneida*, II. V. 8. 76.
Visio miraculosa,
qvæ contigisse creditur in Laterano. IV. V. 12. 176.
Vitellius (*Imp.*)
ejus vita. I. II. 6. 5.
Vitrum ductile,
ejus artificium. I. V. 16 40.
Vitruvius,
ejus elogium. I. V. 13. 39.
Variæ ejus Editiones, *ibid.*
Ulfilas v. Gulfilas.
Valusianus, (*Imp.*)
Ejus historia. III. II. 7. 95.
Vossius, (*Gerb. Joh.*)
Ejus Dissertatio de *tempore Passionis* laudata. I. IV. 1. 9.
Eadem sub censuram vocata. II. IV. 7. 63.
De eo judicium. I. V. 10. 34.
Ejus de *Scientia Mathematica* Tractatus commendatus. I. V. 13. 39. ejus de *tribus Symbolis* Dissertatio laudatur. IV. V. 14. 167
Vossius (*Isaacus*,)
Ejus sententiæ circa natalem mundi examen. I. I. 1. 1.
Ejus in Literatura Hebraica ignorantia. I. I. 1. 1.
Ejus de Ignatianis Epistolis Judicium in censuram vocatum. I. IV. 12. 14.
Ejus de Barnabæ Epistola judicium in censuram vocatum. I. IV. 12. 14.
Usserius (*Jacob.*)
Ejus de Natali mundi sententia. I. I. 1. 1.
Ejus Elogium I. I. 1. 2. I. IV. I. 9. I. IV. 11. 13.
Ejus in digerendo Actuum Apostolicorum studium commendatum. I. IV. 8. 12.
Ejus opus de *Antiquitatibus Britannicæ Ecclesiæ* laudatum. II. IV. 1. 58.
Ejus de *LXX. viralibus Versione* laudatus Tractatus. III. IV. 1. 110. 129. 130. IV. II. 1. 139.
Wagenseilius,
laudatur. Pr. 8.
Xenophon,
qvid de ejus *Cyropædia* habendum. II. II. 3. 46.
Xiphilinus,
de eo judicium. I. II. 4. 4. I. III. 10. 8.
Zeno,
Ejus historia. III. V. 2. 122.
Zenobius,
Ejus opera indagata. II. V. 9. 77.
Zenobia,
Ejus Historia. III. V. 14. 128.
Zonaras,
de eo judicium. II. II. 2. 45.
Zosimus,
qvid de eo judicandum. III. II. 11. 98. III. II. 13. 99. IV. II. 1. 136. Ejus Editiones. & IV. II. 1. 140. Ejus lapsus IV. II. 1. 129. 130. IV. II. 1. 139.

§(o)§



Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn746330790/phys_0248
DFG

Ecclesiam *Catholicam* suam vocarunt, MELETIANI
tyrum; add. Theodoretum *hæret. fabul.* L. IV c. 7. De cæ-
b Ecclesia alienum docuit, quin etiam Arium Baucalæ
Ecclesiæ Presbyterum prava sentientem primus detexit
iscopum deduxit. Post Meletii mortem, cum Alexan-
copus Meletianos, ut ad Ecclesiam reverterentur, urge-
njunxerunt, eorumque nefariam hæresin illa societate
arunt. ARIANORUM seu ARIOMANITARUM
r. LXIX.) ARIUM, ut dictum est, habet Auctorem, (v.
ab. L. IV. C. 1.) qua totus orbis Romanus in Oriente præ-
Dissidebant in Ecclesiis Alexandrinis primo Presbyteri,
lluthum, alii Carponem, Sarmatam alii auctorem jacta-
em ARIANORUM & COLLUTHIANORUM secta
em mox evanuit. Arium Alexander Alexandrinus Epi-
n, Presbyterorum & Episcoporum qvorundam consensu
χῆ ἐκκήρυκτον ποιεῖ ἐν τῇ πόλει. Inde in Palæstinam
on receptus ibi, ab aliis autem receptus. Hinc Alexan-
fere LXX. ad Episcopos, eorumque Responsa partim
ata. Patrono usus est præcipuo, Eusebio, Nicomediensi
pistolam scripsit, ubi de Christo affirmat, ὅτι πρὶν γεν-
ναθῆναι ἢ σπερματισθῆναι, οὐκ ἦν; addidit: διωκόμεθα
χὴν ἔχει ὁ υἱός, ὁ δὲ Θεὸς ἄναρχος ἐστὶ καθ' ὃν ἐπεκτεινόμεθα,
m quoque Epistolam producit Epiphanius ad Alexan-
ίας scriptam, in qua illa leguntur de Filio: οὐδὲ γὰρ
ναίδιος, ἢ συναγέννητος τῷ πατρὶ, οὐδὲ ἅμα τῷ
& mox *Patrem principium Filii* dicit & *ante Filium* &c.
Imperatorem bis inficiatus est suum dogma Arius,
pud Imperatorem ejus partes ageret, atque in eo
ntinopolitanæ Ecclesiæ obtruderetur, precibus Alexan-
ntinopolitani Deus exstinxit Arium in cloaca. (*Duo hi Constantinopolitanus & Alexandrinus, Spiritu planè Helubrum depugnarunt, alter quoque precibus suis occidit.*)
Nicæna CCCXIIX Episcoporum, qui Anathemate
hæresin, (vid. Photium Cod. 88.) Utebatur Arius ad
nandam locis scripturæ Prov. IIX. 22, Hebr. III. 2. Joh.
IV. 28. Lucæ XIIX. 19. Matth. XX. 22. Rom. X 9.
XV. 34. Joh. XVII. 30. Matth. XXII. 42. Marc. XIII. 32. Joh.